
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
12 K
7
ROMA

PATRIS
F. CAROLI LANTERII
GENVENSIS

Ordinis Minorum Regularis obser. Prouinciȩ Terrȩ Laboris, Sacrȩ Theologiȩ Lectoris Iubilati, & Ex-Ministri, Totius Ordinis iam Diffinitoris Generalis, ac in Romana Curia Generalis Commissarij; Et ad prȩsens Discreti perpetui; Nec non Sancti Officij Romæ Qualificatoris.


C·M·PHILIPPVS GRVTHER


C·M·PHILIPPVS GRVTHER

TRACTATVS
De Iustitia originali, & de Primorum Parentum productione in statu Innocentiæ.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

DOMINO HIERONYMO CASANATO

Vtriusque Signaturæ Referendario, & Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Assessori Dignissimo atque Doctissimo.

Comprato quli 4 Agosto 1675 [illegible]




Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1672.

Superiorum permissu.


ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

DOMINO HIERONYMO CASANATO

Vtriusque Signaturæ Referendario, & Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Assessori Dignissimo atque Doctissimo.



Vm huic meo codici de Innocentiæ statu vltimã admouerem manum, de Mecęnate condigno operi, cui illud consecrarem, non diù erat deliberandum, *Illustr. Domine.* Quandoquidẽ non fato, quodam, sed meo maximè voto, tua illibata in limine se se obtulerit innocentia,& eximia sapientia obuiauerit: quæ æquè tecum creuere a cunis, ac maioribus maturescunt annis: Ita enim has pretiosas adeptus es gemmas, vt vltra in te magis vigeat æqui rerum hamanarum ambigant arbitri. Non obscurè hoc testantur illi tui conciues, qui a puero te perspicuè conspexerunt, natura spectabilem, ornatum moribus, incessu grauem, illecebrarum osorẽ maximum, celestiũ amatorem integerrimũ. Ita vt de te dicere nõ verear, quod sicut rosa inter spinas tribulosque, non sicca est, exanguis, aut marcida, sed vegeta viget, ac floret, suaui tumens succo, ac odore fragrans optimo; sic tuæ vitæ integritas inter humanas varietates fluidasq; delitias, pietatem spirat, suauitatẽ olet, honestatẽ sapit, ac caduca quæque despiciens, ibi tua fixa sẽper respiciant corda, vbi vera sunt gaudia, Nec minus vereor de te illud Ausonij proferre: *Cuius unquam egressus ausspica-*


BIBL. PHILIPP.



picacior, aut incestus modestior, aut habitudo corporis cohibitior, aut familiaris habitus condecentior.

Hic ingenuus animi tui candor, & innocua morum venustas amplissimum ad omnem sapientiam pandit adtium, vt potè, quæ pro aptissimo suæ maiestatis solio, tuam beneuolam elegerit animam. Nec aliud profectò in vllo rerum euentu amare videris nisi vnam sapientiam, cui à primis tenerisque annis te totum tota propensione deuouisti. Tu equidem ipse es, qui in humanioribus litteris tantum fecisti profectũ, vt admirandum magis, quam commendandum genium ingeniumque demonstrares. In Philosophicis coętaneos plurimos nouisti inferiores; superiorem neminem. In Theologicis talem laudem merebaris, vt de Cassenate in Diuum quendam Aquinatem transformari conspiciaris. Vtriusque etiam iurisprudentiæ ita sedulam nauasti operam, vt sacrarum litterarum studium non omitteres. Et quãuis non rarò negotiorum mole o brutus, non his tamen adeo relaxas animum, quin opportunum suffureris tempus, quo sacris litteris, vel Sanctorum Patrum, & Doctorum sententijs seriò vacare valeas. Quamuis equidem aliæ principes sat superque in te dominentur virtutes, totum istum pręclaræ mentis effectũ, ipsi soli sapientiæ indubiè debes; quę in te illud aperte promeretur Encomium, quo apud Tullium cõmendatur; *Vita dux, virtutis indagatrix, expulxtrisq; vitiorum*, nec mius in te viget, quod eidẽ ab Arnobio tribuitur. Nempe *purgare animas, atq; ab omni puras vitiositate præstare.* Pręterea aureo sapientię dono, & hoc nullũ reticendũ sęculis tibi euenit beneficiũ, vt qui tè apprimè gubernare noueris, & alios optime regere comperiaris: nam si inoffenso pede illud Tullij percurrat, *Fortior est, qui se,*

quam

quam qui fortissima vincit mænia. Iustissimus tu omnium ore prędicaberis, qui iustitiam in te primitus exercueris. Hinc apud pię memorię Innocentium X. intimi Cubicularij honore laudabiliter functus, hinc Sabinorum Pręses, hinc Fabriani, Camerini, & Anconę Gubernator constitutus, non licenter non segniter ad voluptates magistratus tuos retulisti, sed noscere prouinciam, nosci subditis, experiri peritos, sequi optimus; nihil appetere ad iactantiam, nihil ab formidinem recusare, simulque benignus, & seuerus, grauis, & intentus agere. Nec minus commemorandum quod Militensis insula Te inquisitorem, & Delegatum Apostolicum per quinquennium fermè, libenter viderit, & illibenter amiserit. Cur in Vrbem Pręduci officium ponentis S. Consultæ, ac votantis vtriusque Signaturæ cõmissum fuit, quod vtrumque tam eximiè fideliterque exercueris, vt dignus planè iudicareris, qui eiusdem Signaturæ Auditorum per biennium ageres. Paulo post non tantùm in Secretarium S. Congregationis de Propaganda fide electus, iterumque confirmatus fueris, verum etiã Sacro Cardinalium Collegio Conclaui, te Vrbisq; Leoninę regendę moderandęq; non semel præfectus. His alijsque officijs egregiè à te administratis, quam bene dignitatem Assessoris S. Officij qua modo fungeris, promerueris, nemo est qui ambigit.

Quamquã verò tot nominibus huius Codices mei tibi vendices dedicationem, nullo tamen titulo *proprius* ad te spectare videntur, quam propter excelsum tuum animum, ac planè heroicum, ita erga huiusmodi litteras effectum, vt hoc ęrumnoso sęculo totus ad excitanda, & sustentanda litterariorum ingenia natus esse videaris. Taceo reliquas tuas vir-

virtutes; quibus mortalitatis huius limites transcendens in hominum memoria te immortalem semper conseruabunt. Accipe itaq; *Illustrissime Domine*, opusculum tibi hoc meum, si vlli debitum, & quod in eo incultum obscurumque fortasse irrepserit, id nominis tui splendor, & consumata eruditio, vti perficiat ac illustret, obnixè, animatusque aueo; meque solito quo cępisti fauore prosequere.

Illustriss. & Reuerendiss. Dominationis Vestræ.

Deuotissimus Seruus

Frater Carolus Lanterius a Genua.

Licen-

Licentia Ordinis.

FR. FRANCISCVS MARIA RHINI DE POLITIO totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N.S. Francisci Minister Generalis & Seruus. Dilecto nobis in Christo R.P.F. Carolo Lanterio à Genua Lectori Iubilato, iam Diffinitori Generali, & in Romana Curia Com. Generali, nec non Prouinciæ nostræ Reg. obser. Terræ laboris Ex-Ministro Prouinciali, ac S. Officij Qualificatori.

Salutem in Domino sempiternam.

CVm quoddam opus a te compositum, cuius Titulus est, *Tractatus de Iustitia originali, & productione primorum Parentum pro statu Innocentiæ*; a duobus nostræ Religionis Sacræ Theologiæ Lectoribus Iubilatis, quibus commisimus, reuisum, & approbatum fuerit, iuxtà Apostolicas, Nostriq; Ordinis Cõstitutiones. Tenore præsentium cum Salutis Obedientiæ merito, quatenùs seruatis seruãndis, Typis mãdare possis, facultatẽ tibi facimus, & impertimur. Vale; sisque nostri in tuis præcibus memor. Datum Romæ ex Aracœli Die 12. Octobris 1672.

Fr. Franciscus Maria Rhini de Politio
Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli

De mandato suæ Reuerendiss. *Paternitatis.*

Fr. Pius a Placentia
Ordinis Secret.


Appro-

Approbatio Operis.

NOs subscripti Theologi Ordinis Minorum Almæ Prouinciæ Romanæ, ex Reuerendissimi Patris Fr. Francisci Mariæ Rhini à Polirio totius nostri Seraphici Ordinis Ministri Generalis mandato vidimus, ac attentè legimus eruditissimum Librum, cui titulus est. Tractatus de Iustitia originali, & Productione primorum Parentum pro statu innocentiæ, ab A.R.P. F. Carolo Lanterio a Genua eiusdem Instituti Sac. Theol. Lectore Iubilato, iam Diffinitore Generali, & in Romana Curia Cõmissario Generali, nec non Prouinciæ Terræ Laboris bis Ex-Ministro Prouinciali concinne compositum, & elaboratum, in quo non solum Orthodoxæ Religioni, ac Christianis moribus repugnans nil reperimus; sed multa sanè inuenimus, quæ tale Mysterium mirè elucidant clarificant, hinc dignissimum reputamus, vt publicæ luci mandetur, atque Typis edatur. Datum in nostro isto Conuentu S. Mariç de Aracæli die 10. Septembris 1672.


F. Claudius de Como Min. Prou.
& Lector Iubilatus.

Fr. Hieronymus de Velitris
Ex Custos Prouin. & Lector Iubilatus.




Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Apost. Pal.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libelli Mag. Sac. Pal. Apost.



INDEX

Disputationum, Difficultatum Propositionum, &c. quæ in hoc opere continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam designat.

DISPVTATIO I.

De natura, & quidditate Iustitię originalis. p. 1.

DISPVTATIO II.

De essentia peccati originalis iustitię originali oppositi, & generali illius transfusione in posteros Adę. p. 60.

DISPVTATIO III.

De compossibilitate peccati venialis in Adamo in statu innocentię.p.133.

Do-

Dif-

De-

sis

DISPVTATIO IV.

De viribus hominis in ſtatu innocentię. p.274.

 tura

DISPVTATIO V.

De productione primorum Parentum. p. 310.

Pe-

DISPVTATIO VI.

De creatura merè materiali, p. 342.

& in

lem docet abundè Moyses.ibi.c.2

Propositio IX. Ex *lata productione vtriusque creaturæ tam incorporeæ, quàm corporeæ, dicitur* Deus *quieuisse*. Hinc *Moyses*. Igitur *perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*. *Compleuitque* Deus *die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit*. *pag.* 467.1.



 IN-

INDEX
Dubitationum orbiter incidentium.

Ex Disputatione Prima.

Ex Disputatione II.

Ex Disputatione III.

Ex Disputatione IV.

Ex Disputatione V.

Ex Disputatione VI.



DIS-



DISPVTATIO PRIMA DE NATVRA, Et quidditate Iustitiæ originalis.



QVAE pertinent ad hanc Disputationem, dabimus declarata, beneficio aliquarum Propositionum: Præmittimus tamen nonnulla Documenta. Incipiamus à primo.

DOCVMEMTVM I.

Quid intelligamus per Iustitiam originalem?

HAbitus Iustitiæ originalis consistit in armonia habituum existentium non solùm in potentijs spiritualibus, sed etiã in sensitiuis, vt habet Scotus in 2. dist. 29. §. *Potest dici*, vers. *sed non quid*, & vers. *quòd si dicatur &c.*

Si perseuerasset status innocentiæ, hi forent effectus. Primò, rectificatio voluntatis; ità vt sine difficultate foret conformis voluntati Diuinæ. Secundò, conformitas ad voluntatem rectam; ita vt appetitus vllo modo resisteret imperio voluntatis, nec imaginatio iudicio rationis. Tertiò, potentiæ executiuæ sine vlla lassitudine obedirent rationi, nec esset grauedo aut fragilitas; non quia non posset mori: sed quia posset non mori, nec ab intrinseco, nec ab ex intrinseco contigeret infirmitas, vel læsio; haberet quippe homo humores in debita proportione, & per esum ligni vitæ facilè restauraret, quod per actiones internas contrarias deperderet, donec tandem Deus eum in Paradisum transferret; non fuisset tamen tunc simpliciter incorruptibilis, vel immortalis, vt probat Scotus in 2. dist. 29. difficultant Doctores; an omnes isti effectus causarentur à Iustitia originali. Mihi veriùs non posse naturaliter causari tales effectus à Iu-

ſtitia originali propter repugnantiam appetitus ſenſitiui ad voluntatem in ordine ad ſua delectabilia, & fragilitatem corporis, ac inclinationis voluntatis ad condelectandum appetitui; de quo videatur Scotus in 2.diſt.29.

Petes, an de potentia Dei abſoluta poſſit dari aliquis habitus, vel aliqua multitudo habituum exiſtens in potentijs ſenſitiuis, quæ itá valeat ſupra iſtas potentias; vt non permittat eas prorumpere in actus inordinatos. Reſpondeo negatiuè: Primò, quia actus inordinati, & ſubiti inſurgunt propoſito & præſentato obiecto conueniente à potentia naturaliter propenſa in illud: ſed nullus eſt poſſibilis habitus, qui impediat præſentationem, & conuenientiam obiecti, atque naturalem inclinationem potẽtiæ in illud; ergo nullus eſt poſſibilis habitus, qui impediat motum inordinatum & ſubitũ. Secundò, quia obiectum exiſtens & applicatum appetitui mouet appetitum naturaliter inclinatum in illud, niſi à potentia ſuperiori per actualem motionem contineatur, in officio; ſed nullus habitus poteſt impedire motionem potentiæ in obiectum ſibi conueniens. Tertiò, quia nullus habitus eſt, perfectior gratia, ſeu charitate, & alijs ſupernaturalibus: ſed gratia & charitas, ac alij ipſam comitantes, non poſſunt habere vim reprimendi inordinatos motus appetitus; ergo nec alius habitus naturalis, aut ſupernaturalis poteſt habere iſtã vim. An poſſit fieri humana caro impeccabilis per naturam, quæ videlicet non inclinet niſi in bonum? Ratio dubitandi eſt, quia nequit fieri rationalis anima impeccabilis per naturam; ergo nec caro humana. Conſequentia patet à fortiori, vel ſaltem à ſimili. Antecedens probat fusè Scotus in 2.diſt.23. quæſt.vnica. In contrarium tamen eſt, quia de facto producitur habitus, qui non inclinat niſi in bonum; ergo benè etiam fieri poteſt caro humana, quæ non inclinet niſi in bonũ. Conſequentia patet à ſimili: Antecedens etiam patet de habitu moraliter bono, & Theologico.

***

DO-

DOCVMENTVM II.

Non sunt idem status innocentiæ; & Iustitiæ originalis; differunt vt includens, & inclusum.

STatus itaque innocentię stare nequit sine statu Iustitiæ originalis, non tamen è contrà: benè potest dari Iustitia originalis sine statu innocentiæ. Hoc conuinci potest ex quadam suppositione, dando quòd in instanti, in quo Adam transgressus fuit præceptum de non comedendo fructu illi vetito, status innocentiæ amissus fuit, remansitque solus status naturæ lapsæ; tunc sic: demus quòd Adam perseuerauit in obseruantia præcepti, à qua dependebat status innocentiæ conseruatio vsque dum natus fuit Abel; & posteà comedit Adamus de ligno prohibito, tunc amissus fuit status innocentiæ: & tamen Abel non amisisset Iustitiam originalem; ergo formaliter Iustitia originalis non est, quo constituitur status innocentiæ. Sit tale argumeutum: Adam in aliquo signo reali consensit interiùs operi peccaminoso antequam illud exerceret, & tamen vsque quo exercuit opus comedendi, non amisit Iustitiam originalem, licet supponatur amissa gratia, cùm internè consenserit in transgressionem externam præcepti; ergo in Adamo durante Iustitia originali, non perseuerabat innocentiæ status. Vndè errant plures in hoc puncto, iudicando idem esse Iustitiam originalem, & statum Iustitiæ originalis: valdè enim sunt distincta, nam status Iustitiæ originalis, seu innocentiæ (quæ sunt sinonima) consistit in hoc quòd ex exigentia status debetur infundi Iustitia originalis; at verò Iustitia originalis est quoddam donum supernaturale, vt ait Scotus in 2. dist. 29. quæst. 1. §. *Potest dici*, vers. *ex hoc*, num. 4. Iam ergo patet distinctio status innocentiæ, seu Iustitię originalis ab ipsa Iustitia originali: ille enim formaliter consistit non in quatuor bonis, quæ huic conueniebant, vt suprà notauimus; nàm illi potiùs sunt effectus talis status si durasset, quàm constitutiuum eius; siquidem ait Scotus in 2. dist. 2. quæst. 1. §. *Dico ad quæstionem*, vers. *secundo modo*, num. 3. Quòd dum primam tentationem vicisset Adam, ipse & posteri eius

A 2 con-

confirmati essent, vt nec venialiter possent peccare; videatur vers. *sed fuisset ne*? legatur ergo Scotus, & res clara habebitur.

DOCVMENTVM III.

ET si Iustitia originalis sit donum supernaturale, vt substinet & probat Scotus in 2. dist. 29. quæst. vnica; quia tamen non est principium merendi, vt Scotus ipse docet ibidem, computatur inter perfectiones naturales, non autem naturales: quasi verò necessariò consequātur naturam eorum, quibus exhibentur, vel quod viribus naturæ valeant obtineri, sed naturales; tùm quia dicuntur congruere toti naturæ seu speciei; tùm quia exhibentur in ipsa productione omnium & singulorum indiuiduorum talis naturæ, seù speciei. Hanc doctrinam habet in terminis Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *Ad quæstionem &c.* vbi examinans; an species essentiam Diuinam repræsentans distinctè, quam asserit præstitam fuisse omnibus, & singulis Angelis in primo instanti creationis ipsorum dici debeat naturalis, hæc habet formalia verba; *Et istam talem speciem repræsentantem essentiam Diuinam intellectui Angelico, non videtur inconueniens ponere intellectui Angelico inditam esse à principio; ità quòd licet ipsa non sit naturalis intellectui hoc modo, quòd iste intellectus possit ex naturalibus suis eam acquirere, nec etiam quòd possit eam habere ex actione alicuius obiecti finiti mouentis, nisi essentia Diuina tantùm, quæ nihil aliud à se causat naturali causatione: tamen sicut perfectiones datæ Angelo in sua prima creatione, licèt non necessariò sequantur naturam eius, dicerentur naturales, distinguendo contra merè supernaturales, scilicet gratiæ, & gloriæ; ità ista perfectio data intellectui Angelico, qua essentia Diuina esset ei præsens distinctè, licèt abstractiuè potest dici naturalis, & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere: ità quòd quidquid cognoscit Angelus de Deo virtute huius speciei, aliquo modo cognoscit naturaliter, & aliquo modo non naturaliter; naturaliter in quantùm ista non est principium actus gratuiti, nec gloriosi; non naturaliter in quantum ad istam non posset pertingere ex naturalibus, nec aliqua actione naturali &c.*

Originalis igitur Iustitia, & si donum sit supernaturale; quia nihilominùs non est principium me-

merendi, connumeranda erit inter perfectiones naturales. His positis, descendamus ad Propositiones; & earum prima sit.

PROPOSITIO I.

Iustitia originalis distinguitur realiter à gratia sanctificante.

PRobatur, quoniam aliàs peccatum originale non esset priuatio Iustitiæ originalis, sed gratiæ sanctificantis; vel esset carentia simul vtriusque, & originalis Iustitiæ, & gratiæ sanctificantis, quod nullus huc vsque nec Patrum, nec Scholasticorum asseruit, aut insinuauit. Sola originalis Iustitia debita est posteris Adam, & per consequens cum sola originalis Iustitiæ carentia concipiuntur; & hinc fit, vt Scotus in 2. dist. 32. quæst. 4. sub lit. F. dixerit debitum habendi Iustitiam originalem commutari nobis in susceptione Baptismatis in debitum habendi gratiam sanctificantem. Ex quo manifestè colligitur, quòd ante susceptionem Baptismatis non aliud reperitur debitum in posteris Adam, quàm debitum habendi Iustitiam originalem; & per consequens non alia tunc reperitur in illis carentia, quàm solius originalis Iustitiæ: debitum verò habendi, & retinendi gratiā sanctificantem, hinc fit ab ipso in instanti susceptionis Baptismatis; nec potest reperiri in baptizzato carentia gratiæ sanctificantis; nisi postquàm peruenit ad vsum rationis, & per lethalem culpam tunc amiserit illam.

Hanc doctrinam non obscurè tradidisse videtur Tridentinum sess. 6. cap. 7. vbi in calce habet hæc formalia verba: *Itaque veram & Christianam Iustitiam accipientes eam, seu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Iesum Christum illis donatam candidam, & immaculatam; iubentur statim renati conseruare, vt eam perferant ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam &c.*

In quibus verbis si expandātur illa, quibus dicitur; *iubentur statim renati, eam conseruare*: manifestè apparebit iussum, seu præceptum habendi, & conseruandi gratiam sanctificantem incipere in renatis statim, hoc est in ipso puncto regenerationis per Baptismum; ergo ante susceptionem Baptismatis non habent

præ-

præceptum habendi, & retinendi gratiam ſanctificantem, ergo ante Baptiſmum non habent debitum habendi, & conſeruandi eam, ergo ante ſuſceptionem Baptiſmatis non habent carentiam gratiæ ſanctificantis, ergo ante Baptiſmum non aliam habent carentiam niſi ſolius originalis Iuſtitiæ, ergo per ſanctitatem (quam nobis perdidit Adam) non intelligit Concilium gratiæ ſanctificantis habitum. Hinc colligitur Iuſtitiam originalem diſtingui realiter à gratia ſanctificante.

Noſtram item probat aſſertionem, quòd in communi tùm Patrum, tùm Scholaſticorum ſententia; ſi Adam tranſgreſſus fuiſſet aliquod aliud præceptum ab illo, quo prohibitus fuit ipſi eius ligni, quod erat in medio Paradiſi, ſibi ſoli tunc: neutiquâm tamen amiſiſſet nobis originalem Iuſtitiam; cuius ratio à priori indè liqueſcit, quia in eo caſu non vt conſtitutus morale caput propagandorum ex ipſo, virtualiter videlicet moraliter illorum continens voluntates in ſua, nec per conſequens vt publica: ſed omninò vt priuata perſona præuaricatus fuiſſet, pactum ſiquidem inter Deum, & Adam initum non aliud, quàm obſeruationem præcepti de non comedendo ligno ſcientiæ boni & mali; veluti conditionem pro exhibenda poſteris eius originalis Iuſtitia, neceſſariò ab Adam adimplenda. Quo in caſu, vt euidenter liqueſcit, minimè perdidiſſet nobis Adam originalem Iuſtitiam, & ſi ob incompoſſibilitatem peccati cum gratia ſanctificante, ipſam gratiam ſanctificantem perdidiſſet; ergo ſi perſeuerante Iuſtitia originali perdidiſſet Adam gratiam ſanctificantem, omnium oculis fit palam inter gratiam ſanctificantem, & Iuſtitiam originalem dari diſtinctionem realem.

Adducuntur aliæ rationes in fauorem noſtræ Propoſitionis docentis diſtinctionem realem inter gratiam ſanctificantem, & Iuſtitiam originalem.

IVſtitia originalis, ait Suarez tom. 2. in 3. parte diſput. 4. ſeſſ. 6. Aſſorius 1. Inſtitutionum moralium lib. 3. cap. 32. quæſt. 2. & 3. Vaſquez tom. 1. in primam ſecundæ diſp. 132. cap. 7. claudit, gratiam gratum facientem, virtutes intellectus & voluntatis ſupernaturales, & naturales, habitus,

bitus, etiam bonos appetitus, auxilia adiuuantia, & specialem Dei custodiam extrinsecam, vel assistentiam, & prouidentiam ad impediendam omnem causam motus inordinati perturbantis rationem; quia gratia continens ista omnia bona, extrinsecè, & intrinsecè, componit hominem in ordine ad finem naturalem, & supernaturalem. Hinc vult, quòd Iustitia originalis sit ipsissima gratia supernaturalis.

Sed consulant sibi ipsis, qui hanc sententiam de indistinctione reali originalis Iustitiæ à gratia gratum faciente defendunt, quo pacto possint absolutè sustinere eam de mente D. Thomæ, qui licèt doceat esse longè probabilius Adamum fuisse, quàm nõ fuisse productum in gratia: aliquam nihilominùs tribuit probabilitatem sententiæ negatiuæ, atque adeò erit etiam de mente ipsius originalem Iustitiam realiter fuisse seiunctam à gratia gratum faciente in Adamo; & per consequens immeritò defenditur absolutè de mente Angelici Doctoris originalem Iustitiam, & gratiam gratum facientem realiter indistingui à se inuicem in statu innocentiæ.

Legatur Scotus in 2. dist. 29. quæst. 1. vbi postquàm §. *Potest dici*, ventilauit, an Iustitia originalis fuerit donum supernaturale, vel naturale dumtaxat; §. *Ad quæstionem dico*, indicat distingui realiter à gratia gratum faciente. Cum Scoto sunt Alensis 2. part. quæst. 9. memb. 1. art. 1. S. Bonauentura 2. dist. 19. art. 2. quæst. 1. & 2. Durandus 2. dist. 20. quæst. 5. in corpore; & ad primum: Gabriel dist. 30. qu. 1. Maior quæst. 2. Marsilius qu. 18. art. 1. corolar. 1. post tertiam conclusionem. Ex modernis hãc distinctionem realem defendunt Corduba in suo Quæstionario q. 46. Faber 3. dist. 3. disp. 11. cap. 4. & 5.

Hanc realem distinctionem videtur innuere Tridentinum sess. 5. de peccato originali, can. 2. & 3. vbi definit primum Parentem Adam iustitiam & sanctitatem per peccatum amisisse; ergo Concilium aliquid indicat esse iustitiam, quod non est sanctitas. Argumentum hoc vigorem habet contra docentes Cõcilium intellexisse per ly, sanctitatem gratiam sanctificantem; nullius ergo roboris esset in nostra sententia docente Conciliũ per ly sanctitatem, solùm intellexisse sanctitatem actualem, est

ergo

ergo argumentum fundatum contra aduersarios in principijs aduersariorum. Accedat altera probatio: peccante Eua ante Adamum, Iustitiam originalem non perdidit; licèt perdiderit gratiam iustificantem. Iustitiam quippè originalem Eua nõ perdidit, nec amisit vsque ad instans, in quo Adamo peccante destructa fuit pro tota prosperitate; vt tangit Gueuara in Matheum tom.2. obseruat. 15. sess. 5. §. 4. num.39. fol. 203. col. 1. videatur noster Pater Fœlix cap. 11. de peccatis, difficultate 6. vbi probat, quomodò Eua peccante, & non Adamo, filij non contraherent originale peccatũ; & consequenter Iustitia originalis, quæ adhuc conseruabatur, ratione status, perseuerabat in muliere prima: & tamen in instanti, in quo Eua peccauit, gratiam iustificantem amisit, nam hæc incompatibilis erat cum peccato mortali, quale erat illud, quod Eua commisit edendo de ligno vetito ante Adamum; ergo gratia sanctificans, & Iustitia originalis realiter differunt.

Probatur realis hæc distinctio in Scoticis principijs, asserentibus actum interiorem peccaminosum fore distinctum peccatum ab actu exteriori. Sit tale argumentum: Adam in aliquo signo reali consensit interiùs operi peccaminoso, antequàm illud exerceret; & tamen vsque dum exercuit opus comedendi, non amisit Iustitiam originalem: licèt supponatur amissa gratia, cùm internè consensit in transgressionem externam præcepti; ergo Iustitia originalis, & gratia sanctificans differunt realiter.

PROPOSITIO II.

Docens quomodò posteri acceperunt Iustitiam originalem in Adamo.

Monemus, quòd posteri nulla ratione virtualiter continebantur in Adamo, quantùm ad rationem contrahendi debitum Iustitiæ originalis; scilicèt non ideò posteri contrahunt debitum habendi Iustitiam originalem, quia pro ipsis acceperit eam Adam: vel (quod idem est) quia posteri acceperint eam in ipso, quoniam vt acutè satis probat Scotus in 2. dist.32. qu. 2. lit.C. ratio debiti tàm ex parte doni, quod debetur, quàm ex

ex terminis ipsis; cum nil aliud excogitari possit, ad quod reuocari valeat donum vt debitum, & voluntas vt debitrix. Non apparet igitur, quomodò originalis Iustitia habeat in posteris rationem doni debiti, & quomodò ipsorum voluntas sit eiusdem doni debitrix; nisi datio, & exhibitio talis doni immediatè respexerit, & facta fuerit posteris ipsis: doni enim exhibitio importat formaliter habitudinem ad illum, cui tribuitur; vt patet; sicut è contrà receptio doni importat ex formali conceptu habitudinem ad illum, qui donat.

Si posteri accepissent Iustitiã in Adamo, scilicet si Adam accepisset eam pro ipsis, ità vt ipsi non acceperint eam immediatè à Deo: sed in tantùm dicantur accepisse, in quantùm solus Adam velut constitutus à Deo morale caput, seu tutor vel fideiussor ipsorum, actu suo pro se, & pro posteris acceperit eam, tunc posteri non immediatè, sed mediatè tantùm accepissent à Deo Iustitiam originalem; & consequenter non immediatè, sed mediatè tantùm contraxissent debitum habendi Iustitiam originalem; & consequenter non immediatè, sed mediatè tantũm haberent peccatum originale: scilicet dicerentur constituti peccatores, non per proprium, sed per alienum peccatũ Adami; quia sicut debitum habendi Iustitiam esset alienum, quia mediatum, ità similiter carentia Iustitiæ in posteris esset aliena; quia mediatè, scilicet quia fundata in fundamento materiali mediatè ...

Nec valet, si dicas; quòd Deus non quomodocunq; dederit posterorum Iustitiam Adamo, sed ordine ad ipsos posteros, scilicet reipsã exhibendam posteris, si stetisset Adam: & quòd consequenter, quòd quantùmuis dicamus posteros accepisse Iustitiam in Adam, vel Adam actu suo accepisse illam pro ipsis; indè tamen non esse colligendum, quòd posteri non contraxerint in seipsis verum & personale debitum habendi Iustitiam.

Nihil (inquam) valet hoc, quia & si gratis demus posteros contrahere verum personale, & proprium debitum habendi Iustitiam: nunquàm tamen ex prędicto modo explicandi colligi posset in posteris verum, proprium ac personale debitum, *immediatum*, habendi Iustitiam; quod est id, quod euidenter definitur à Concilio Tridentino,

 dum

euidenter, quia si sint decem homines, qui vel suadeant vel precipiant Antonio homicidium, perpatrandum; tunc & si decem per Antonium, vel mediante Antonio occidant Franciscum phisicè: moraliter tamen loquendo seipsis immediatè occidunt Franciscum, & per consequens licèt vnica, & mediata sit in omnibus occisio phisica scilicet, licet per accidens denominentur occisores phisicè, quia per mediatam & alienam occisionem, omninò tamen per se, & immediatè denominantur occisores moraliter, quia per singulas, & proprias occisiones ducentes originem ex suasionibus, vel iussionibus eorum.

In casu tamen nostro si negauerimus posteris proprias acceptiones propriarum iustitiarum, dixerimusque ipsos merè passiuè se habuisse quantùm ad immediatas acceptiones, solo Adamo videlicet accipiente pro ipsis Iustitiam; omninò tunc tolletur de medio omnis radix, & origo ponendi in posteris immediatam proprietatem debiti habendi Iustitiam. Nec saluari posset per recursum ad virtualem continentiam voluntatum posterorum in voluntate Adami, quia estò quòd possibilis sit talis continentia per imperium superioris agentis; possibilis (inquam) quæ inducat imputabilitatem ad meritum. & demeritum, & non solùm ad lucrum & pœnam tunc nunquàm formaliter, & explicitè, sed solùm virtualiter, & implicitè posteri acciperent Iustitiam: scilicet non singuli singulis actionibus, sed solùm vnica, communi, & indistincta actione acciperent illum; & consequenter vnicum, & indistinctum esset in ipsis debitum habendi iustitiam, & consequenter vnicum, & indistinctum esset in illis originale peccatum, quod est hæreticum.

At inquies, immediatæ, & formales illæ acceptiones singulorum sunt penitùs intelligibiles: quis enim vnquàm capiet posteros non adhuc existentes in rerum natura, immediatè seipsis accepisse Iustitiam?

Ad hanc instantiam, quæ prima facie videtur difficilis, respondetur; quòd non dicimus posteros Adami ità immediatè seipsis, & formaliter accepisse Iustitiam, vt reipsà, & de facto acceperint eam: talis enim acceptio necessariò supponit accipientium existentiam, sicut sup-

posuit illam in Adamo, sed ea tantùm ratione dicimus posteros seipsis immediatè, & formaliter accepisse Iustitiam; quia non virtualiter in alio, vel mediante actu alterius per omnimodam videlicet exclusionem propriarum acceptionum. Posterorum igitur acceptiones dicuntur immediatè, propriè & formaliter tales per solam exclusionem medij, & continentiæ virtualis: dicuntur tamen virtualiter tales, quia posteri reipsà, & consequenter non acceperunt Iustitiam; sicut nec Deus reipsà, & consequenter exhibuit illam: Sed quia Deus dedit eam illis voluntate antecedente, & in præparatione animi; ità etiam posteri correspondente voluntate, & in præparatione animi acceperunt Iustitiã; non ità tamen in præparatione animi, quasi verò reipsà disposuerint accipere illam, quia talis animi præparatio, & suppositio supponit actualem existentiam præparantium & disponentium se; sed eam tantùm in præparatione animi acceperunt, vt facta à Deo Iustitiæ oblatione Adamo, & posteris futuris: illa eiusdem Iustitiæ donatio, quatenùs formaliter donatio, virtutem habuit obligandi posteros eodem pacto, quo obligauit Adamum; quia (vt acutè inquit Scotus) fuit omninò eiusdem rationis ex parte Dei in ordine ad Adam, & posteros, quia fuit vna simpliciter datio ex parte Dei, terminatiuè tantùm, & extrinsecè diuersa. Ex vi igitur illius vnius, & informis donationis Iustitiæ; ità voluntates posterorum remanserunt debitrices habendi Iustitiam, quemadmodùm remansit voluntas Adami: non enim minùs obligat, & inducit debitum donum reipsà, quantum est ex parte donantis exhibendum; quantùmuis posteà aliundè de facto non detur, quàm donum reipsà exhibitum, & reipsà acceptum. Si filij Adam extitissent, quando Deus obtulit Iustitiæ donum, vtiquè tunc accepissent illud intentionaliter, & in præparatione animi, non autem executiuè sicut Adam; executiuè etiam accepissent ipsi, si non peccaret Adam de facto nunc nec executiuè, nec intentionaliter acceperunt, quia talis acceptio supponit actualem existentiam; acceperunt tamen illud vtroque modo, sed moraliter tantùm, quia iuxta prudentem æstimationem cen-

censendi sunt, ac si accepissent illud.

Illa igitur obligatio Iustitiæ, vel potest considerari in ordine ad Adam, vel in ordine ad filios existentes, dato ex hypothesi quòd habuisset aliquos filios ante obligationem Iustitiæ; vel tertiò considerari potest in ordine ad posteros futuros. Si primò modo spectatur Adam, non moraliter sed phisicè; & reipsà non solùm intentionaliter, sed executiuè accepit illam. Si verò secundo modo consideratur, tunc data illa hypothesi existentes filij non accepissent illam executiuè, sed intentionaliter; quia Deus nunquàm de facto dedisset illis eam, nisi post deuictam ab Adamo tentationem, sicut nec etiam dedisset eam posteris, nisi quia præcessisset victoria eiusdem tentationis non solùm in Adamo, sed etiam in posteris existentibus iuxta probabilitatem Scoti: sed si data illa hypothesi Adam succubuisset tentationi, tunc Deus non dedisset Iustitiam existentibus filijs, vndè factum fuisset; quòd existentes illi filij intentionaliter tantùm accepissent Iustitiam, accepissent etiam illam executiuè, sed moraliter dumtaxat; moraliter inquam, quia supposita ex parte Dei animi præparatione ad reipsà exhibendam illis eam, si ex parte Adami adimpleta fuisset expressa in pacto inito cum ipso conditio victoriæ tentationis; iuxta prudentis æstimationem censendi fuissent quantùm ad inductum, & acquisitum debitum habendi Iustitiam originalem, ac si de facto, & executiuè accepissent eam. Si demùm tertio modo spectetur futuri posteri nullo modò reipsà nec executiuè, nec intentionaliter acceperunt eam vt patet; eam tantùm vtroque modo acceperunt moraliter loquendo, iuxta prædictam explicationem secundi membri.

Ex dictis colligitur primò, quòd posterorum acceptiones Iustitiarum à Deo in Adam; nullatenùs nec executiuè, nec intentionaliter debent dici phisicè tales, benè tamen moraliter tales vtroque modo. Vndè idem est posteros accepisse Iustitiam à Deo in Adam, ac posteros iuxta prudentem æstimationem, & rectum æquitatis dictamen, iure fore censendos; veluti si phisicè & reipsà vtroque modo accepissent eam,

Secundò colligitur omninò illud

illud idem dicendum esse de amissionibus, quod dictum est de acceptionibus Iustitiarum, vt patet: nam non aliter posteri amiserunt, quàm acceperint Iustitiam in Adamo.

Tertiò colligitur, quòd quantùmuis dictum sit posteros immediatè accepisse Iustitiam à Deo; cùm hoc tamen verum est etiam, quòd acceperint eam in Adam, sed ea lege, vt illa præpositio (in) non dicat in Adam rationem medij: quasi verò mediante ipsius acceptione imputata à nobis, acceperimus nos Iustitiam à Deo, vel quod idem est, quasi non nos immediatè; sed ipse tantùm nomine nostro acceperit illam pro nobis. Videas Scotum in 2. dist.2. quæst. vnica sub lit. C. vbi concludit posteros nec physicè, nec moraliter accepisse per Adam Iustitiam, sed immediatè à Deo. Nec dicas ratione virtualis continentiæ voluntatum posterorum in voluntate Adami, quasi verò posterorum voluntates ex Diuinæ voluntatis imperio in vnam voluntatem translatæ, & in vnum moraliter cum ipsa conclusæ, vel vnum moraliter cum ipsa effectæ; simul cum Adam acceperint Iustitiam, voluntate ipsius accipiente eam, & simul cum ipso amiserint, voluntate ipsius amittente Iustitiam: nam prætérquàm quòd iam impugnata est huiusmodi sententia, ex eo insuper patet esse falsam; quia cùm talis translatio, & confluxus voluntatum in vnicam voluntatem Adami nulla ratione fieret, nec fieri posset eo pacto, quo ex solo proprio imperio voluntates præcipientium, vel suadentium homicidium transferantur, & confluant in vnam voluntatem perpatrantis homicidium in effectu: non esset igitur nisi translatio, & confluxus moralis dumtaxat, ea videlicet moralitate, qua ex imperio & auctoritate Principis dicuntur, & censentur translatæ voluntates pupillorum in vnam voluntatem Tutoris; sed hæc moralis translatio non dicit adunationem, & confluxum voluntatum seipsis intendentium id, quod voluntas (inquam, confluunt) intendit, sed dicit earum adunationem factam ex solo extrinseco imperio alienæ voluntatis, & per consequens dicit earum vnitatem & adunationem in vnam per æstimationem dumtaxat: voluntates enim translatæ vt sic æstimantur, & censentur illa

vna

vna voluntas, in quam translatæ fuère, scilicet omnis actio, quæ fieret ab illa voluntate, in quam facta fuisset translatio, æstimaretur & censeretur veluti propria voluntatum translatarū; quia iustè supposita dicta translatione imputaretur ipsis actio illius vnius voluntatis, actio inquàm, quæ pertinet ad ea, quorum intuitu facta fuisset translatio: verùm talis actio esset omninò mediata, & extrinseca voluntatibus translatis, quia ipsæ nihil omninò seipsis vel physicè, nec moraliter haberent commune cum voluntate, in quam facta esset translatio; ergo mediatè tantùm dicerentur operari per imputatam illam actionem alienæ voluntatis, scilicet in nostra subiecta materia posteri Adami dici debent accepisse Iustitiam in ipso, quia mediante eius acceptione imputata acceperunt illam in Adam. Idipsum dicendum est de pupillis respectu Tutoris, prætereà Adami acceptio Iustitiæ quatenùs æstimata posterorum, vel quatenùs ipsi imputata non est peculiaris, & propria vnicuique posterorum, ità vt in singulis singulæ sint, & concipiantur acceptiones, sed eadem perseuerans omninò indistincta numericè est, quæ fit vnicuique propria per æstimationem, & imputationem dumtaxat.

Sed si dicta doctrina subsisteret, penitùs tunc euerteretur id, quod Tridentinum decreuit de peccati originalis proprietate in singulis posteris: Concilium enim decreuit originale peccatum inesse proprium vnicuique posterorum, proprium inquam proprietate simpliciter excludēter videlicet, communitatem omnem; originale namque peccatum ita debet esse proprium vni, vt nulla ratione sit commune alteri. Huius oppositum omninò docet prædicta sententia, quia ponit in peccato originali proprietatem secundū quid, & communitatem simpliciter: asserit enim, sicut defendit Catherinus, peccatum originale in Petro nil aliud esse, quàm transgressionem Adami Petro imputatam, & applicatam; & nihil aliud esse in Ioanne nisi eandem transgressionem applicatam, & imputatam Ioanni, & sic de cæteris posteris.

Patet ergo, quomodò ponat communitatem simpliciter in originali peccato; quia numericam indistinctionem ipsius, &

quo-

quomodò ponat in eo proprietatem, & distinctionem secundum quid, quia proprietatem, & distinctionem, quæ ducit originem è diuersitate imputationum ad diuersos posteros: ex quibus tamen imputationibus, vel ex qua iterata, & replicata imputabilitate nihil aliud ponitur in transgressione Adami, nisi multiplex respectus rationum, ex eo etiam auerteret, vel saltem minueret atque attenuaret dicta sententia peccati originalis proprietatem intentam à Concilio; quia vt deductum est suprà, ponit posteros accipere, & amittere Iustitiam in Adam mediatè, & per consequens ponere debet mediatum debitum habendi Iustitiam, & mediatam carentiam ipsius: immò ex tali mediatione necessariò confiteri debet præ impugnatam communitatem, vt patet, & facili negocio deduci potest.

Sed inquies, quòd & si verum sit prædictam sententiam saluare in peccato originali communitatem simpliciter materialiter; falsum est tamen, quòd saluet eam formaliter loquendo, scilicet, licèt ponat materiale peccati originalis esse omninò indistinctum numericè, & per consequens simpliciter commune singulis posteris: asserit tamen formale eiusdem peccati multiplicari ad multiplicationem indiuiduorum, & ex vi replicatæ imputationis fieri vnicuiq; proprium proprietate simpliciter, qua hæc Adami transgressio formaliter spectata, scilicet concepta & imputata reduplicatiuè; ità est propria huic indiuiduo, vt nulla penitùs, ratione quatenùs imputata velut inuoluens respectum imputationis passiuæ, communis sit alteri indiuiduo. Proprietas igitur, quam ponit prædicta sententia, est proprietas simpliciter in peccato originali formaliter concepto: communitas tamen, quam asserit, licet materialiter loquendo sit cõmunitas simpliciter, est omninò tamen extra formalem rationem originalis peccati; & per consequens nil penitùs varians, vel minuens proprietatem à Cõcilio intentam, quæ debet esse peccati originalis formaliter, nõ autem materialiter concepti.

In primis hæc data responsio supponit transgressionem Adami esse materiale peccati originalis, formale verò illud esse respectu imputationis passiuæ: quod tamen nescio, an verum

ſit de mente illorum, qui defendunt dictam ſententiam : nam poſſet eſſe dubium, an de mente ipſorum originale peccatum importet vtrumque formaliter ; an verò tranſgreſſionem materialiter, & imputationem formaliter:ſed gratis conceſſo quòd ita ſit, arguo nihilominùs contra ipſam tali pacto.

Originale peccatum eſt commune poſteris, ſecundùm materiale ; ergo debet eſſe commune ipſis etiam, ſecundum formale illius. Conſequentia probatur, quia materiale & formale fundatum in ipſo, neceſſariò concomitantur ſeſe, ſcilicet vbicumq; reperitur fundamentum ſeu materiale, ibi neceſſariò reperiri debet formale actu fundatum;& exiſtens in ipſo; ergo vbicùnque reperitur tranſgreſſio fundans imputationem factam Petro, ibi neceſſariò reperiri debet ipſa imputatio paſſiua, & per conſequens ſicut tranſgreſſio materialiter reperitur in omnibus,ita etiam reperiretur in omnibus formaliter concepta : quia neceſſariò ferret ſecum, vel haberet ſecum tranſgreſſio materialis(vbicùnq; reperiretur) omnes reſpectus fundatos in ipſa; & per conſequens formale peccati originalis ita eſſet omnibus commune, quòd peccatum vnius eſſet peccatum omnibus commune, quod etiam dicendum eſſet de peccatis ſingulorum in ordine ad omnes.

Sed dices, quòd argumentum concluderet, ſi tranſgreſſio materialiter ſumpta inhæſiuè reperiretur in poſteris : ſed quia reperitur in illis per extrinſecam ſolam imputationem, indè fit vt argumentum nihil concludat ; non enim ſequitur, quòd vbicùmque reperitur materiale extrinſecum, ibi etiam reperiri debeat formale fundatum in ipſo : licèt autem verum ſit,quòd omnes reſpectus imputationum paſſiuarum ſint ſimul cum ipſo materiali fundante, falſum eſt tamen, quòd ſint ſimul cum ipſo in ordine ad quoſcunque poſteros ; reſpectus igitur paſſiuæ imputationis Petri ſimul eſt cum ſuo materiali fundante, non eſt tamen ſimul cum ipſo in ordine ad Ioannem.

Contra reſponſionem hanc arguitur tali pacto : vbicùnque reperitur materiale inhærens, ibi reperitur formale fundatum in ipſo ; ergo vbicunque reperitur materiale extrinſecum, ibi debet etiam reperiri formale fun-

datum in ipso, ergo &c. Consequentia probatur, quia non ex alio capite formale fundatum in materiali inhęrente reperitur, vbicùnque fuerit idem materiale inhærens, nisi quia fundatur in illo: sed eodem pacto formale materialis extrinseci fundatur in ipso; ergo eodem pacto formale materialis extrinseci reperitur vbicùnque fuerit ipsum, quo formale materialis inhęrentis reperitur ibi, vbi aderit illud.

Hoc argumentum demonstrat euidenter, si proportionaliter loquamur de concursu & concomitantia vtriusque formalis cũ suo proprio materiali, scilicet quòd sicut ad alicuius materialis inhærentiam, seu inexistentiam sequitur euidenter quodlibet fundatum in ipso reperiri intrinsecè & formaliter vbicùnque quomodòlibet extiterit dictum materiale; itá correspondenter seu proportionaliter, suo modo extrinsecè videlicet formale materialis extrinseci reperiri debet vbicùnque quomodòlibet reperietur idem materiale.

Id quod intendit prima ratio contra primam responsionem, nil aliud est nisi concludere quòd simpliciter necessariò ens fundatum ex eo quod fundatum reperiri debet vbicùnque, quomodòlibet reperietur proprium fundamentum illius; certum est enim, quòd si fundamentum non reperietur alicubi per intrinsecam denominationẽ, quòd nec etiam reperietur ibi vt sic ens fundatum in ipso. Illud igitur erit certissimum, quòd sicut ens fundatũ quatenùs fundatum simpliciter necessariò reperiri debet, vbi aderit proprium eius fundamentũ, ita etiam non alio pacto reperietur ibi, quàm insit, vel adsit ibidem proprium fundamentum ipsius. Vndè fit, vt cùm transgressio Adami reperiatur in Petro extrinsecè tantùm; quia per extrinsecam imputationem, simili modo passiua imputatio reperiri debeat in eadem transgressione imputata Ioanni, Francisco &c. & per consequens sicut albedo fundat diuersas similitudines ad diuersas alias albedines, si per impossibile inesset pluribus subiectis, vel per possibile inexisteret saltem eisdem, necessariò intrinsecè inhæreret, vel saltem intrinsecè adesset omnibus, & singulis illis subiectis vnà simul cum omnibus, quas fundaret relationes similitudinum, vt patet: & confirmari potest exemplo

plo corporis, vel etiam eiusdem albedinis si per potentiam Diuinam existeret pluribus in locis; ità similiter Adami trasgressio per extrinsecam imputationem inexistens posteris Adami, necessariò inexisteret omnibus & singulis posteris simili, & correspondenti modo cum omnibus, quas fundaret passiuas imputationes ad ipsum: non enim poterit assignari ratio, cur magis materiale inhærens pluribus ducat secum (vt ita dicam) ea, quæ fundat, & communicet illa omnibus, & singulis subiectis, quibus inhæret quàm materiale assistens, vel inexistens ferat secum ea, quæ fundat, & applicet illa vniuersis, & singulis indiuiduis, quibus assistit, vel quomodòlibet inexistit; si vtrumque materiale conueniat in ratione fundandi ea, quæ fundat, & sit adæquata ratio, cur materiale inhærens ducat secum, & communicet sua fundata subiectis, quibus inhærens sit illa dumtaxat, quod fundat sua fundata.

Breuiter igitur ex ratione fundandi in materiali colligitur euidenter communicatio fundatorum in ipsis omnibus, quibus quomodòlibet inest; & ex diuerso modo inexistendi ipsius colligitur diuersa fundatorum communicatio illis, quibus diuersimodè inexistit: quantumuis igitur ex eo quòd Adami transgressio extrinsecè inexistit posteris eius, colligatur passiuas imputationes fundatas in ea eodem pacto simul inexistere omnibus, & singulis posteris Adami; nulla tamen ratione poterit indè deduci negatio inexistentiæ simpliciter.

Respondebis, estò quòd, passiua imputatio facta Petro ex eo, quòd fundata in eadem transgressione imputata Ioanni, reperiatur etiam in Ioanne, nunquàm tamen reperiretur in ipso Ioanne nisi per accidens tantùm. Probatur, quia in tantùm reperitur in eo, in quantum fundatur in illa eadem numero Adami transgressione, quæ imputatur vtrique, vt satis compertum est: sed patet, quòd talis fundatio accidit imputationi factæ Petro, quatenùs tali, vt loquendo clarescit; ergo omninò accidit eidem imputationi factæ Petro quatenùs tali reduplicatiuè, quod ex vi eiusdem fundationis reperiatur in Ioanne & alijs. Imputatio igitur facta Petro quatenùs facta Petro reduplicatiuè, in ipso solo reperitur, per se,

quia per actum imputantis voluntatis & intendentis imputationem; in Ioanne verò, & in cæteris indiuiduis non aliter reperitur, nisi quia fundata in vna, & eadem numero transgressione, quæ perseuerante eadem identitate imputatur reliquis posteris Adami, & per consequens imputatio facta Petro, quatenùs talis, vel per accidens, vel ad summum concomitanter reperiri debet in alijs indiuiduis.

Nec refert, quòd Adami trāsgressio etiam in Ioanne reperiatur per actum voluntatis imputantis, quia voluntas imputans talem trāsgressionē Ioanni omninò diuerso titulo ab eo, quo imputauit eam Petro, imputat eandem Ioanni; & per consequens omninò accidit imputationi factæ Ioanni quatenùs tali, quòd eadem Adami transgressio fuerit imputata Petro, & alijs. Vndè colligitur, quòd licèt passiua imputatio facta Petro per actum voluntatis imputantis, & intendentis imputationem, habeat in Petro veram rationem originalis peccati; eadem verò imputatio ex vi suæ fundationis in eodem materiali imputato per accidens, vel concomitanter reperta in Ioanne, nullatenùs habet rationem originalis peccati in ipso.

Contra datam responsionem nihil videtur superasse replicandum, nisi tantùm illud, quod cum non ità per accidens in genere causæ formalis imputatiò facta Petro repériatur in Ioanne, sicut in genere causæ efficientis Musica reperitur in ædificatore, vt patere videtur: igitur consequenter quòd aliquo pacto per se, & pertinenter debeat denominare Ioannem; ergo aliquo pacto per se debet denominare illum peccatorem, quia eadem imputatio vt in Petro denominat ipsum peccatorem; ergo similiter &c.

Ad hanc instantiam facilis est responsio, negando imputationem factam Petro reperiri aliquo pacto per se in Ioanne, quātùm ad rationem denominandi ipsum peccatorem. Ratio est, quia cùm talis ratio denominandi conueniat sibi per actum voluntatis imputantis, & intendentis imputationem; quantùmuis igitur reperiatur eadem numero etiam in Ioanne, quia tamē reperitur in ipso solùm physicè ex vi suæ fundationis in eodem numero materiali, non autem

tem moraliter per actum voluntatis imputantis, & intendētis imputationem: nusquàm igitur denominabit Ioannem peccatorem, quantùmuis verum sit, quòd ex existentia simpliciter, quàm in ipso &c. denominet illum sub alia ratione, quàm sub ratione peccatoris.

Notandum est tamen, quòd de mente Catherini, Adami transgressio non solùm habet rationem materialis in peccato originali, sed est ipsum peccatum originale in nobis: ipse namquè sustinet peccatum originale debere esse voluntarium, & consistere per consequens in aliqua voluntatis actione, quæ cum nulla ratione excogitari possit in posteris contrahentibus; necessariò igitur recurrendum est ad transgressionem Adami, & licet eius transgressio quatenùs eius non habeat plenam, & adæquatam rationem originalis in posteris, si tamen habeat adiūctam imputationem, completur in ratione peccati originalis. Ex quibus colligitur responsionem, qua dictum est Adami transgressionem esse materiale dumtaxat originalis peccati, supponere falsum de mente Catherini, & aliorum defendentium dictam sententiam; & per consequens de mente Catherini dicendum est non solùm id, quod est purum materiale in peccato originali, sed aliquid integrans formale ipsius esse commune omnibus, & singulis posteris, quod est apertè contra Concilium.

Sed estò quòd asserat Catherinus Adami transgressionem habere rationem puri materialis dumtaxat in peccato originali, adhuc eius sententia esset contra Concilium: nam quando Concilium definit peccatum originale inesse cuique proprium, certùm est quòd accipit, & loquitur de ipso in suo conceptu proprio adæquato, & integro; quatenùs videlicet includit omne in id, quod est simpliciter necessarium ad existentiam eius, sicut est materiale, & formale ipsius: non enim habuit Concilium (quemadmodùm nec habere potuit) intentionem distinguendi vnum ab alio, etiam dato quòd materiale originalis peccati esset Adami transgressio, quod est falsissimum; proprietas igitur (quam fatetur Concilium in originali peccato) non solùm à formali sed à materiali insuper excludit omnem cōmu-

munitatem in posteris, nisi velimus dicere, quòd Concilium loquendo de peccato originali, & quantùm ad proprietaté eius in singulis posteris, & quantùm ad alias rationes eius sciunxerit à formali peccati origiualis id, quod est simpliciter necessarium ad existentiam ipsius.

Ex dictis iam concludendum est, quòd quando dicimus posteros accepisse Iustitiam in Adam, præpositionem (in) nec importare in Adam rationem medij, nec rationem virtualis continentiæ; sed solùm conditionem quandam, vel causam sine qua non. Sed inquies: Concilium asserit Adamum perdidisse Iustitiam sibi, & nobis, ergo falsum est, quòd nos ea lege amiserimus eam, vt singuli in singulis immediatis amissionibus amiserimus illam. Consequentia in eo patet euidenter, quia Concilium in eo decreto de peccato originali asserit Adamum amisisse Iustitiam sibi, & nobis; nunquàm tamen nè leuiter quidem indicat, quòd nos etiam nobis ipsis amiserimus Iustitiam.

Ad hanc instantiam, quæ prima fronte videtur difficilis, respondetur; intentionem Concilij in eo decreto can. 2. eam fuisse dumtaxat, vt definiret contra Pelagianos & alios hæreticos falsum omninò esse dogma ipsorum; Adam videlicet transgressionem nihil mali culpæ communicasse, & refudisse posteris: & indè est, quòd inquit anathemate feriendos esse, qui asserunt Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini nocuisse; & acceptam à Deo sanctitatem, & Iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & etiam non nobis perdidisse. Quibus verbis & si decernat aduersus hæreticos transgressionem Adami refudisse in posteros non solùm malum pœnæ, sed etiam malum culpæ, quod erat principale intentum Concilij: ijs tamen definit, quod ità solus ipse amiserit Iustitiam; vt nullatenùs immediatè posteri amiserint eã. Non alia igitur de causa Concilium videtur attribuere soli Adamo amissionem Iustitiæ pro se & pro nobis, nisi quia intendebat concludere contra hæreticos: Adami videlicet transgressionem non solùm induxisse in posteros mortem corporis, sed etiam animæ. Immò ideo induxisse corporis mortem, & alias pœnas, quia per se primo in-

induxit peccatum, quod est mors animæ: licèt igitur Concilium asserat vnum; non tamen negat aliud.

Et quàmuis in decreto de peccato originali, formaliter non asserat posteros amisisse Iustitiam in Adam; æquiualentibus tamen verbis fatetur illud in assumpto testimonio Apostoli Romanorum 5. *In quo omnes peccauerunt*, quod testimonium necessariò intelligi debet non solùm de actuali contractione peccati: sed antecedenter de amissione Iustitiæ in ipso, vt patet.

Expressis etiam verbis sess. 6. cap. 1. fatetur veritatem; quam intendimus; inquiens: *Cùm omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent &c.* En igitur quandò in hoc alio loco, vbi non intendebat definire contra Pelagianos transgressionē Adami nocuisse simul ipsi ac propagini, & refusisse in posteros animæ, & corporis mortem; sed tantùm declarare humani generis lapsum, impotentiam arbitrij, & gratiæ necessitatem ad resurgendum, meminit, ac exprimit, quòd etiam posteri perdiderint innocentiam in præuaricatione Adami.

Sed dices Concilium non asserere in dicto testimonio posteros simpliciter perdidisse, sed perdidisse in præuaricatione Adami, vndè non leuiter indicare videtur, quòd ideò posteri perdidère Iustitiam, quia Adam perdidit eam.

Ad hoc respondetur, quòd si ly ideò, importat in præuaricatione Adami rationem anteuertentis causæ demeritoriæ, vera est propositio; sed omninò falsa est, si importat rationem causæ adæquatæ concludentis, videlicet immediatas præuaricationes & amissiones in posteris. Certum est enim, quòd nos amisimus innocentiam in præuaricatione Adami, quia fuit causa demeritoria nostræ præuaricationis, sed non amisimus illam in eius præuaricatione eo sensu; vt solus Adam immediatè, nos verò mediatè, media videlicet eius præuaricatione amiserimus eam.

Hìc nota, quòd & si Adæ præuaricatio fuerit causa demeritoria nostræ præuaricationis, eius tamen acceptio Iustitiæ non fuit causa meritoria; cur nos acceperimus eam, vt optimè declarat Scotus in 2. dist. 20. quęst. vnica sub lit. C. & in responsione ad penultimum principale.

Con-

Considera, an similis ratio sit de acceptione, & donatione; scilicet considera, an si acceptio Adæ non fuit causa motiua, cur Deus donauerit nobis Iustitiam, quod nec fuerit causa motiua, cur saltem nos acceperimus eam.

PROPOSITIO III.

Primus Parens meruit Iustitiam originalem.

Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia fuit ipsi præstita in primo instanti sui esse, seu fuit ipsi comproducta; ergo non habuit tunc quomodò mereri potuerit eam. Antecedens patet, quia dicitur in sacro eloquio: *Creauit Deus hominem rectum*. Consequentia patet: etenim comproductum ponitur in illo eodem instanti, in quo ponitur principalius productum; ergo ponitur in esse, quando principalius productum cœpit prorumpere in actum.

Contra tamen est, quia optimè potuit Adam liberum actum producere in eo instanti, in quo præstita fuit ipsi originalis Iustitia; ergo habuit, vndè mereri potuerit originalem Iustitiam, ergo meruit illam. Prima consequentia patet, nec non etiam secunda; quia nulla potest assignari ratio, cur de facto non meruerit illam, si habuit vndè proximè potuerit. Antecedens probatur: Adam in instanti productionis habuit proximam, & expeditam potentiam vtendi ratione, & voluntate; ergo habuit vndè tunc producere potuit liberum actum, ergo habuit vnde mereri originalem Iustitiam. Consequentiæ patent: antecedens etiam patet; quia in omnium sententia primus Parens fuit à Deo productus cum expedita & immediata facultate vtēdi ratione, & quàmuis dicta facultas & actualis vsus rationis concurrerit cum Adam in instanti productionis eius: Adam nihilominùs secundum esse primum ipsius spectatus naturaliter præcessit seipsum proximè, & immediatè vti potentem ratione. Et quantùmuis etiam originalis Iustitia fuerit ipsi comproducta; id tamen fuit, saluo semper naturalis prioritatis, ac posterioritatis ordine, inter actum primum, & secundum.

Præterea non videtur satis probabile, priùs Deum præstitisse Adamo Iustitiam originalem, quam iniunxerit ipsi præ-

ceptum

ceptum de non comedendo de fructu ligni, quod erat in medio Paradisi; quia supposito ipsum habuisse in primo instanti suæ productionis perfectum, & expeditum vsum rationis, non apparet cur Deus noluerit iniungere illi tunc memoratum præceptum; ergo de facto iniunxit illud ipsi tunc, ergo iniunxit illud ipsi proximè, & immediatè potenti vti ratione, ergo iniunxit illud ipsi proximè, & immediatè mereri potenti originalem Iustitiam.

MONITVM.

NON puto tamen, quòd initum à Deo cum Adamo pactum ità rigorosè vsurpetur, vt reuerà pactum iniuisse cum Adam, & velut expetiuisse, & expectasse in pactum cum eo ineundum ipsius cònsensum; non minùs, ac si duo extiterint inter sese contrahentes, mutuùque, faciendo contractum præstandum à se inuicem, expetentes, & expectantes consensum: huiusmodi namque pacti vsurpatio, & absurda foret, & impossibilis item in hac subiecta materia.

Absurditas indè manifestè deducitur, quia supremi, & absolutissimi Domini (quemadmodùm Deus est) leges, decreta, ac præcepta ex eo; quòd talis Domini sunt, ab eoque dimanant, intrinsecam retinent vim, nec non proprium sortiuntur effectum: atque adeò absurdum esset asserere ipsa assequi illa, huncque sortiri dependenter ex subditorum consensu; tolleretur enim de medio omnimoda independentia, quam huiusmodi Legislator habet in subditis.

Impossibilitas indè colligitur, quia pactum vt sic ineundum simpliciter necessariò anteuertere debet id, cuius gratia innititur; quia semper pactum vt sic, respicit rem non positam, sed ponendam in esse: atqui implicat pactum, vt sic explicatum, præcessisse id, cuius gratia dicitur fuisse initum; ergo implicat asserere fuisse initum vt sic. Minor patet, quia id cuius gratia dicitur fuisse initum vt sic, est Iustitia originalis danda ex vi talis pacti Adamo, & posteris eius; si Diuinum ipse seruasset præceptum, vel ei, & posteris eius auferenda, si transgressus fuisset illud: quæ tamen originalis Iustitia vt concreata Adamo, nedum subsecuta non est pactum

inter Deum & Adam de ipsa ineundum vt sic; verùm omninò præcessit illud, quia pactum vt sic ineundum simpliciter necessariò supponere debet vtriusque partis paciscentis existentiam, aliàs non apparet quomodò præstare posset eidem pacto, vt sic ineundo consensum: sed in illo eodem instanti, quo Adam extitit, coextitit ipsi originalis Iustitia; ergò omninò originalis Iustitia, de qua iniri debuisset pactum inter Deum & Adam, præcessit in Adam idem pactum vt sic ineundum.

Hinc manifestè colligitur, etiã posteros Adami meruisse in ipso illam merente originalem Iustitiam, sicut in ipso eam demerente demeruerunt illam. Si defenderetur Adamum fuisse productum in puris naturalibus, sicut probabiliter tenet Scotus de Angelis; facilis esset aditus ad defendendum, quòd meruerit Iustitiam originalem.

MONITVM.

POtést etiam probabiliter in doctrina Scoti defendi oppositum, de merito, quippe subtilis Doctor in 2. dist. 20. quæst. vnica; mouens, & soluens difficultatem, hæc habet formalia verba: Sed habuisset nè filius illam per Patrem, vel per merita Patris, aut Parentum? *Dico quòd non: quod enim congruit tot naturâ non datur vni indiuiduo mediante alio, vel per meritum illius; sed singulis indiuiduis singula fuissent apposita Iustitiæ originales, &c.* Hæc Scotus.

Nota, quòd si præmium cadere potest sub meritis, longè gloriosiùs est consequi illud intuitu meritorum, quàm independenter ab illis, vt Scotus docet in 3. dist. 18. quæst. vnica, sub lit. F. §. *Ad primum &c.* & expresè etiam in 2. dist. 5. quæst. vnica, sub lit. L.

PROPOSITIO IV.

Tale meritum non fuit de condigno, sed de congruo.

SVpposita probabili sententia Scoti in 2. dist. 5. quæst. 2. sub lit. N. primos Parentes creatos in puris naturalibus, præstitumque ipsis supernaturale auxilium, quo immediatè sese tunc disposuerunt ad sanctificantem gratiam communicandam illis, & Angelis in subsequenti morula, posset fieri difficultas; an ea dispo-

ſpoſitio habuerit rationem meriti de congruo, an verò de condigno. Quod habuerit rationem meriti de congruo, indè probatur; quia ſupponitur elicita ſine gratia gratum faciente, à qua dimanat & refunditur in actum omnis condignitas.

Contrà tamen eſt, quia tunc nulla intercederet differentia inter meritum, quo homo peccator contritus meretur gratiam ſanctificantem, & ipſum hominem in puris naturalibus creatum; qui per præſtitum ſibi tunc ſpeciale auxilium, diſpoſuit ſe ad eiuſdem inhærentis gratiæ receptionem. Hoc tamen videtur omninò falſum, nam ſicut latiſſima eſt differentia per habitudinem ad Deum inter hominem peccatorem attritum, & ipſum hominem in præmiſſo ſtatu productum & conſtitutum; ità etiam latiſſima debet eſſe inter ipſos differentia in ratione merendi gratiam ſanctificantem. Antecedens patet manifeſtè, quia homo attritus, vt præcisè, & formaliter talis, ante videlicet ſanctificantis gratiæ infuſionem in ipſo ſpectatus, eſt Deo inimicus: & indè fit, vt de congruo dumtaxat ſanctificantem gratiã mereatur, de congruo inquam, quia quantùmuis ſuam habeat attritionem, ſemper gratia ſanctificans indebita eſt ipſi titulo Iuſtitiæ, licèt debita ſit ipſi titulo fidelitatis, Diuinæ videlicet promiſſionis, qua miſericorditer dumtaxàt voluit Deus certiores reddere peccatores; quòd ſi Diuino adiuti auxilio ſufficienter de proprijs ipſorum peccatis attererentur, protinùs ſanctificãtem infunderet ipſis gratiam.

Homo verò in ſuis naturalibus creatus gratum facientem dumtaxat gratiam excludentibus, includentibus nihilominùs nedùm pura, ac nuda ipſius naturalia; verùm etiam illa omnia gratuita, ſeu gratis data, quæ perfectò naturalis Angelicæ vel humanæ rectitudinis ſtatui debentur; inter quæ connumerari poteſt originalis Iuſtitia, quæ debita fuit homini in ſtatu naturæ integræ, ſeu in ſtatu innocentiæ poſito; & æquiualens etiam habitus integritati naturæ, vel innocentiæ, ſeu primæuæ, naturalique Angelorum rectitudini debitus.

Veritatem hanc non obſcurè Diuina Scriptura expreſſit de homine producto ac conſtituto in ſtatu innocentiæ, dum dixit: *Ab initio fecit Deus hominem rectum*

ctum &c. rectitudine importante integritatem dumtaxat naturæ, verùm etiam concursum, & concomitantiam reliquorũ omnium gratis datorum ad naturalem illius status perfectionem attinentium.

Hoc ipsum à fortiori asserendum est, de nobiliori natura Angelica; quòd videlicet ab initio produxerit illam Deus rectam vtraque præmissa rectitudine. Angelus igitur in huiusmodi status perfectione conceptus, & si non sit adhuc filius Regni; non est tamen filius perditionis, sicut dono attritus ante infusionem gratiæ spectatus. Est etiam in eo statu Angelus (negatiuè saltem) amicus Deique gratus, immò (saluo semper meliori iudicio) dici potest, quòd virtute illius doni sibi in sui creatione præstiti, æquiualentis originalis Iustitiæ, & perfecto illius potentias subdentis imperio Diuinæ voluntatis, sit Angelus aliquo pacto positiuè gratus, & amicus Deo, nedùm vt Auctori naturæ (quia vt sic est ipsi adæquatè amicus, ac gratus) verùm etiam vt Auctori gratiæ; quoniã primæuam huiusmodi Iustitiam communiter asseritur à Scholasticis esse donum supernaturale.

Nec valet, si dicas; quòd cùm id nequeant præstare fides, & spes, quæ sunt habitus longè supernaturaliores, quàm sit originalis Iustitia longè minùs id præstare poterit ipsa Iustitia. Consequentia patet, sicut & antecedens; quia perficiunt, & ordinant habentem ad Deum finem supernaturalem, & supernaturaliter attingendum, & rigorosè propterea ipsæ supremam perficiunt animæ portionem, vt docet Scotus in 3.dist.26.quæst.vnica sub lit. G.

Non valet, inquam, si hoc dicis; quia qui per peccatum mortale amittit gratiam sanctificantem, fit statim filius perditionis, & positiuè Deo inimicus; ac per consequens fides, & spes (non concurrente cum eis charitate) non habent, vndè sibiipsis reddant aliquo pacto subiectum, in quo sunt, Deo amicum gratuitumque.

Oppositum tamen secundum aliquam rationem videtur dicendum de Angelo, secundùm superiùs dicta: nam & si primæua illa Iustitia, & rectitudo non sit forma rigorosè supernaturalis; sed secundum aliquam dumtaxat rationem sit talis; vt de Angelica specie distinctè repræsen-

tan-

tante Diuinam essentiam inquit Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. sub lit. D. existens nihilominùs in subiecto non inimico & ingrato, immò naturaliter benè viso grato que, & insuper immediatè disposito ad receptionem gratiæ sanctificantis facit cum eo compositum sic Deo dilectum; vt gratiam sanctificantem in secunda morula, vel in subsequenti instanti ei communicandam, meritò altioris ordinis quàm sit meritum merè, ac purè de congruo assequatur.

Non est, cur reuocari possit in dubium præmissorum meritorum merita, meriti videlicet de congruo, quo peccator perfectè attritus, sanctificantem obtinet gratiam & meriti, quo Angelus cum ea dumtaxat rectitudinis excellentia creatus, quæ perfectionis status innocentiæ Angelorum debetur, sanctificantem gratiam mox post primum creationis instans ipsi exhibendam assequitur. Præfatus enim discursus manifestiùs probat posterius hoc Angelicum meritum, maximoperè præstare merito peccatoris attriti.

His tamen non obstantibus non est explicatu difficile, in quo propriè, & formaliter consistat ipsorum diuersitas: nam quàmuis memoratum Angelicum meritum, longè nobilius sit, quàm meritum peccatoris attriti, quia tamen non ponitur processisse à voluntate informata charitate; nullatenùs igitur ipsi tribui potest ratio meriti de condigno; ergo non excedit sphæram meriti de congruo. Consequentia patet, quia meritum in communi prima sui diuisione adæquatè diuiditur in meritum de condigno, & meritum de congruo; cùm non detur, nec excogitatum sit adhuc aliud meritum ab vtroque præmisso distinctum; ergo non apparet in quo prædeclaratum Angeli meritum, nobilitate præest merito peccatoris attriti, si formalis ratio vtriusque spectetur: cùm ambo vnius eiusdemque speciei specialissimę sint, non enim facilis erit negotij distinctionem effingere specierum in meritis de congruo; cùm non appareat, vndè desumi possit specificarum eius differentiarum diuersitas: nam si recurrimus ad eos, qui merentur, aut ad illos de quibus non aliud indè in actus meritorum de congruo refundi reperiemus, quàm vel habitudinem, vel extrinsecarum denominationum diuersitatem; sem-

ſemper tamen inuariata manente, & perſeuerante intrinſeca ratione meriti de congruo, quæ in eo formaliter conſiſtit, vt condecentiæ dumtaxat ponat in ipſo debitũ reſpectu præmij exhibendi, penes quam condecentiam ſpecificè diſtinguitur à merito de condigno, cui ex Iuſtitia correſpondet, & debetur præmium: & ſi enim vtrumque meritum importet ad præmium, debitum tamẽ quòd ad illud trahit ſecum meritum de congruo, ſecundum quid dicitur; debitum verò quòd ad præmij redditionem inuoluit meritum de condigno, ſimpliciter eſt.

Sed quòd merito de condigno ex Iuſtitia debeatur præmium non ex eo prouenit, quòd debeatur illi ex lege; quia tunc etiam deberetur ex Iuſtitia merito de congruo peccatoris attriti: cùm infinities ferè expreſſerit Deus in ſacra Scriptura legem præmiſſionis de admittendo, & iuſtificando peccatorem ſufficienter attritum; ſed prouenit ex eo, quòd ex liberali Dei donatione conſtituitur homo iuſtus verè proprietarius, & Dominus ſuorum actuum. Vndè fit, vt is qui opus efficit de condigno meritorum vitæ æternæ, aliquid de bonis proprijs tribuat Deo, cuius intuitu e contrà ex Iuſtitia tenetur Deus retribuere illi vt mercedem & coronam, vitam æternam: iuxta illud ad Thimotheum 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus Iudex.* Iuſtitiam hanc, dominium ac proprietatem, quam ſecum trahit, & inuoluit meritum de condigno diſertis verbis ex epiſtola Cœleſtini I. cap. 12. docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. vbi ità inquit: *Cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Clariùs idipſum definit can. 32. dominium, ac proprietatem huiuſmodi excludens meritum de congruo, excludit etiam præmij retributionem ex Iuſtitia.

Verùm cur meritum de condigno includat, meritum verò de congruo excludat memoratum dominium; ea in promptu poterit eſſe ratio, quia videlicet homo iuſtus ex vi gratiæ ſanctificantis, nedum admittitur ad Dei amicitiam: verùm etiam ad eius hæreditatem, cohæreditatem autem Chriſti, & per conſequens tribuitur ipſi eiuſdem hære-

hereditatis dominiũ, & proprietas; quia hæres verè Dominus, & proprietarius est paternorum bonorum. Contrà verò accidit homini peccatori, qui quantùmuis sit attritus, nunquàm ante sanctificantis gratiæ infusionem intelligitur admissus ad amicitiam, & hæreditatem Diuinam; & per consequens tunc nullum intelligitur assecutus dominiũ, & proprietatem propriorum actuum: & per consequens non exhibet tunc Deo actum, qui sit proprium eius meritum; ergo non exhibet Deo tunc aliquid, quod sit ipsi ratio merendi ex Iustitia, ergo nec etiam quod sit ei ratio merendi de condigno gratiam sanctificantem. Iustus demùm operatur, vt amicus, & viuum Christi Domini membrũ; peccator verò attritus antecedenter ad sanctificantis gratiæ infusionem operatur, vt inimicus, & vt mortuum Christi Domini membrũ.

***

PROPOSITIO V.

Adam perdidit nobis habitum Iustitiæ originalis, & Sanctitatem actualem; non verò Sanctitatem habitualem.

EA tamen lege, & ratione hoc intellectum volumus, vt infantulis omnibus habitualem, adultis verò actualem insuper amiserit Iustitiam; atque adeò sicut omnes naturaliter ab Adam propagati, cum habitualis Iustitiæ carentia concipiuntur, ità similiter omnes adulti quantùmuis Sancti (Virgine Deipara dumtaxàt excepta) antequàm vltimum vitæ diem claudant, actualem amittere debent Iustitiam non ex vi transfusionis, sicùt amittitur originalis: sed per liberam aliquam actionem, intercedentibus adhuc duobus alijs dissidijs inter amissionem habitualis in paruulis, & amissionẽ actualis Iustitiæ in adultis.

Primum est, quòd non sicut paruuli contrahunt in primo cõceptionis instanti originale peccatum, sic etiam adulti committunt actuale in primo instanti vsus rationis; cùm sufficiat, vt ante

te instans mortis prolabantur in illud. Secundum est, quòd amissio habitualis Iustitiæ in omnibus posteris Adam, læthalis est: amissio verò actualis Iustitiæ non semper, nam etiam si quis nūquàm peccet mortaliter; committat tamen vnicum veniale, illicò tunc amittat actualem Iustitiam. Infallibilis hæc actualis amissio Iustitiæ in adultis demeritoriè suam in adultis ducit originem ex peccato Adami; sicut ex eodem peccato, velut ex proprio demerito suam in paruulis ducit originem habitualis Iustitiæ infallibilis amissio. Hæc ratio dicta sit, saluo semper meliori iudicio, & vt maximè submittendo me & eam correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

31 Quòd infallibilitas amissionis Iustitiæ actualis reuocanda sit in præuaricationem Adami, vt in propriam causam deriuatoriam; quemadmodùm reuocatur in ipsam infallibilitas amissionis Iustitiæ originalis, non obscurè deducitur ex differentia inter hominem purum, & hominem lapsum intercedente quantùm ad rationem seu modum amittendi eam: nam homo lapsus adeò infallibiliter amittit actualem Iustitiam, vt si statim post primum instans vsus rationis esset sibi moriendum, in primo instanti vsus rationis actuale aliquod committeret peccatum; quod tamen neutiquàm dicendum est de homine in puris naturalibus existente, quia si negetur de ipso, nihil indè sequitur contra Conciliorum decreta, quibus definitur omnem adultum, quantùmuis Sanctum, cadere quandoque in peccatum: sicut manifestè esset contra eadem Conciliorum decreta, si quis diceret adultum aliquem ex hac vita migrasse omninò actualiter innocentem; quia nunquàm iste talis humiliter, & reuerenter, ac veraciter protulisset ea Dominicę orationis verba: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Cuius oppositū definitur in Meleuitano, Arausicano & Tridentino. Antecedens in quo dicitur, quòd nihil sequitur contra præmissorum Conciliorum decreta, si asseratur hominem purum reipsà recedere posse è vita cum actuali innocentia, probatur tali pacto; quia si aliud indè inferretur contra memoratam Conciliorum definitionem, maximè esset id, quod ex decessu puri hominis è vita cum actuali innocentia inferre decessus lapsi hominis è

vita cum actuali innocentia: sed neutiquàm id indè inferretur; ergo penitùs ex eo capite sequeretur contra præmissorum Conciliorum decreta. Maior patet à sufficienti partium enumeratione: minor etiam patet; quia ferè omnes Scholastici fatentur posse hominem nedum purum, verùm etiam lapsum è solis naturalibus suis, & cum sola communissima influentia efficere aliqua opera moraliter bona, quarum initium contingere posset in primo instanti vsus rationis, & immediatè post sequi mors illius hominis puri: quia si potest cum sola communi influentia, & in solis naturalibus operari bonũ, nulla apparet ratio, cur non posset efficere illud in primo instanti discretionis eius, quando nullum penitùs adesset extrinsecum impedimentum ipsum impediẽs à rectè operando; quia nulla est posita lex à Deo, vel decretum denegandi huic puro homini propter præcedens in eo peccatum. Tùm quia aliàs non esset homo constitutus in puris naturalibus: tùm quia supponitur, quod rectè operetur in primo instanti vsus rationis, quam primariam rectam rationem nullatenùs anteuertere potest actio peccaminosa.

Confirmatur ex eo, quòd Tridentinum sess.6. can.23. definit, videlicet: *Hominem sine speciali Dei priuilegio non posse vitare in tota vita sua omnia peccata etiã venialia &c.* In quibus verbis illud omninò aduertendum occurrit; quòd Concilium vsurpat & accipit hìc priuilegium secundum propriam, & rigorosam rationem priuilegij, vt alicuius videlicet legis positæ importat dispensationem, quæ fit vel per eiusdem legis reuocationem, vel per illius declarationem. Quo fit, vt si reipsà Deus priuilegium hoc præstaret alicui, sicut de facto (vt Concilium ibidem declarat) præstitit illud Deiparæ Virgini, necessariò dicendum est Deum vel reuocasse, vel declarasse respectu Virginis Deiparæ communem aliquam legem, reliquos alios homines attingentem: sed huiusmodi lex non potest esse alia, nisi quam Deus tulit, quòd si Adam peccaret non solùm sibi, sed & omnibus ab ipso naturaliter propagandis perderet innocentiam, quæ habitualem simul, & actualem amplecteretur Iustitiam; ergo eo ipso quo Deus communicauit Deiparæ Virgini

memoratum priuilegium, dispēsauit cum ea super legem prædictam, ergo cæteri omnes (quibus non est communicatum tale priuilegium) comprehenduntur sub illa, ergo dicta lege supposita amissio actualis innocentiæ necessariam habet connexionem cū demerito primi Parentis; ergo cunctis alijs à Virgine Deipara iustè denegatur specialissimū illud auxilium, quo vitari possent omnia peccata etiam venialia, ergo omnes alij à Deipara Virgine prolapsi sunt, vel prolabentur in actuale peccatum, ergo omnes alij à Deipara Virgine actualem amittunt innocentiam.

Potest hæc ratio breuiùs, & formaliùs disponi hoc pacto: posse vitare omnia peccata etiam venialia ex priuilegio Dei speciali efficitur; ergo fit ex dispensione aliqua supra legem ab ipso positam: sed hæc lex non potest esse alia, nisi ea quam tulit & indixit Adamo, ipsum videlicet & sibi, & posteris suis amissurū innocentiam, si iniunctum transgrederetur præceptum; ergo hac Dei lege præsupposita amissio actualis innocentiæ necessariam habet connexionem cum demerito primi Parentis, ergo intuitu demeriti primi Parentis omnes alij à Virgine Deipara amittunt innocentiam. Primum antecedens est Concilij Tridentini, vbi suprà: consequentia patet ex ipsa ratione specialis priuilegij; minor patet à sufficienti partium enumeratione. Consequentiæ patent ex terminis; ergo &c.

Ex hac ratione, & doctrina facilè liquescit nostrum Andream de Vega Virum alioquì doctissimum longè à veritate abijsse; dum dixit, Concilium intellexisse per speciale priuilegium, speciale auxilium. Quis enim credere potest nulla penitùs vrgente ratione æquiuocare; & confundere voluisse speciale priuilegium cum speciali auxilio, quando dimissis specialis priuilegijs terminis, statim ac facillimè obuiam illi fuisent alij æque familiares, specialis videlicet auxilij;eò vel maximè quia in præcedente can. 22. specialis auxilij vocabulo vtitur, & significatione dicens: si quis dixerit iustificatus, vel sine speciali auxilio Dei in accepta Iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

Hìc tamen aduertendum est, quòd dum asserimus speciale pri-

priuilegium , non inficiamur necessitatem auxilij specialis ad vitanda omnia peccata ; nam nedum homo in statu naturæ destitutæ , verùm etiam in statu naturæ institutæ indiguisset auxilio speciali ad vitanda omnia peccata , & efficienda omnia opera virtutum, vt communis omnium Scholasticorum sententia fert . Quod auxilium complectebatur habituale originalis Iustitiæ donum , & specialis prouidentiæ influxum . Libentissimè igitur confitemur ad actualis innocentiæ positionem necessarium esse , & specialis priuilegij , ac specialis auxilij concursum .

Quòd contendimus contra nostrum Andream de Vegha,est immeritò ipsum confundisse speciale Dei priuilegium , cum speciali ipsius auxilio , & longè maius immeritò abstulisse de medio hoc Dei priuilegium : nam ipso ablato tollitur etiam illa lex , cuius esse debet vel reuocatio , vel declaratio ; quod tamen est manifestè falsum,quia cùm huiusmodi priuilegium non aliam respiciat legem , vel reuocandam, aut declarandam,quàm illam qua Deus Decreuit: quòd si Adam obseruaret præceptum sibi à Deo iunctum , sibi & posteris suis conseruaret innocentiam ; sed si transgrederetur illud , & sibi , & posteris amitteret illam . Ad ablationem igitur istius priuilegij , cuius Conciliũ meminit vbi suprà ; consequenter tollitur de medio hæc lex , quæ communiter à Scholasticis transfusionis lex nominari consueuit , vel pactum cum Adamo initur,quæ lex vel pactum si tolleretur , non apparet, quo pacto saluari posset id , quod inquit Apostolus : omnes videlicet posteros eius , peccauisse in Adam .

Nec negato hoc priuilegio effugiet Vegha illud inconueniẽs, quod per eius negationem totis viribus effugere contendit ibidem , lapsos videlicet homines necessitati ad peccandum aliquãdo ; si esset aliqua lex à *Deo* statuta,negandi videlicet illud speciale , quod necessarium est ad vitanda omnia peccata . Tunc siquidem sicut aliquando negandum esset huiusmodi auxilium , ità etiam aliquando destituti hoc auxilio necessariò laberentur in peccatum (ne inquam hoc negato priuilegio , præmissum effugit inconueniens) tum quia specialissimum illud auxilium per speciale priuilegium ad au-

res ipsius importatum, & si præstitum sit vni dumtaxat Virgini Deiparæ, vt Tridentina Synodus docet, cæteris alijs hominibus denegatur; quia vt suprà visum est, omnes Patres in illud conspirant, vt nullus sit hominum, etiam si quauis sanctitate præfulgeat, qui toto tempore vitæ suæ actualem innocentiam conseruet. Idipsum etiam definitum est in Concilio Mileuitano & Arausicano, & Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. inquit: *Licet enim in hac mortali vita quantùmuis Sancti & iusti, in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandòque cadant; non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra &c.* ergo omnes illi, quibus denegatur, necessariò peccarent aliquando. Tum quia nulla penitùs assignari potest ratio, cur reipsà specialissimum illud auxilium præstitum sit Virgini Deiparæ, & denegetur reliquis hominibus; nisi quia supposita communi aliqua lege, qua denegatur alijs, ex speciali tantùm priuilegio cōcessum est Virgini Deiparæ. Quo fit, vt necessariò asserenda sit communis aliqua lex, qua statutum sit nullum adultum, nisi ex speciali priuilegio fuerit cum aliquo supra illa dispensatum, decedere ex hac vita cum actuali innocentia.

Dicam nihilominùs, in quo mihi videtur egregiè deceptus Andreas de Vegha; in eo videlicet quòd putauerit alios asseruisse Deum veluti absolutè, nullo videlicet habito respectu ad Adam, & posteros eius memoratam legem tulisse, quod est plusquàm euidenter falsum. In omnium siquidem sententia certissimum est, & veritas ipsa Catholica docet hanc Deum legem statuisse, ipsamque Adamo promulgasse; vel (vt communiori Scholasticorum, aliorumque Doctorũ loquendi modo vtar) hoc Deum iniuisse pactum cum Adamo, videlicet: Si iniunctum tibi præceptum de non comedendo lignum scientię boni, & mali seruabis, tibi tuisque posteris acceptam innocentiam seruabis. Si verò transgressus fueris illud, tibi, tuisque posteris acceptam innocentiam amittes. Ea igitur lex & conditionata fuit, connexionem videlicet habens cum libera primi hominis obseruatione pro præmio retribuendo, vel transgres-

sione

fione præcepti pro pœna infligenda, & non minùs bonum quàm malum Adami, eiusque posterorum rſepiciens; vt proptereà exhibitis illis omnibus necessarijs ad rectè operandum, & conseruandam per consequẽs acceptam à Deo innocentiam, in manu ipsius Adami positum fuit bonum & malum: bonum, ex libera obseruatione præcepti; malum verò, ex libera trangressione illius.

Posita igitur à Deo lex illa, etiamsi statuta & lata fuerit omninò independenter à libero Adami consensu (sicut multùm probabile tenendum est) vel ex hoc etiam honestissima fuit, quia per eam veluti vtriquè fortunæ; ea tamen lege subdebatur Adam, vt huiusmodi subiectio acceptis priùs à Deò omnibus necessariò requisitis ad originalis innocentiæ conseruationem, libertati subderetur ipsius in rectè vel inordinatè operandum: & quia auersus à Deo, & conuersus ad creaturam transgredi maluit, quàm seruare præceptum impositum; indè factum fuit, vt liberè sibi & eius posteris amiserit à Deo acceptam innocentiam.

Hinc sequitur, nec absolutè nec immediatè Deum denegare adultis posteris Adam speciale auxilium illud, quod necessarium fuisset illis ad retinendam actualem innocentiam: sed omninò conditionatè, posita videlicet in esse priùs conditione, libero videlicet demerito præuaricationis Adæ; omnino etiam mediatè præeunte videlicet, & mediatè eodem Adami demerito. Neutiquàm igitur actualis innocentiæ amissio dici potest in adultis posteris Adam absolutè infallibilis, & necessaria, si denegatio memorati auxilij non est ex aliquo absoluto Dei decreto; sed conditionato dumtaxat, idest ex decreto, & lege cum prædicta conditione connexionem claudente, & ex ipsius positione vim suam, suamque executionem habente.

Si doctrina Andreæ de Vegha subsisteret, nedùm in amissione primæuæ innocentiæ actualis; verùm etiam & in subsequentibus actibus peccaminosis, passim dicerentur absolutè necessitari ad peccandum. Quia quandoque Deus in pœna præcedentis peccati, denegat peccatori auxilium efficax ad vitandum aliud peccatum: nullatenùs dici potest lex inferens necessitatem

tem tollentem rationem meriti, vel demeriti ab actibus humanis illa; quæ vt suum sortiatur effectum in præmiando, vel puniendo supponit, & connotat tanquàm necessariam conditionem, liberam humani arbitrij actionem.

Quo fit, vt denegatio efficacis auxilij ad vincendam grauem tentationem occurrentem, si in pœnam sit præcedentis peccati; neutiquàm eam pònit in actu peccaminoso necessitatem, quæ tollat ab eo rationem demeriti: quia in potestate sua fuit, dùm in gratia existebat, benè vti auxilio: quod infallibiliter tunc præstabitur ipsi à Deo; cùm non appareat, cur homini iusto (in quo non supponitur, nec supponi potest mortale demeritum) deneget Deus necessaria auxilia ad vincendam grauem tentationem occurrentem, & licèt denegato huiusmodi auxilio, sequatur lapsus in peccatum; ea tamen infallibilitas, & necessitas non est infallibilitas absoluta tollens de medio rationem demeriti ab actu peccaminoso, sed conditionata dumtaxat; seu infallibilitas, & necessitas non consequentis, quæ aufert necessariam libertatem ad merendum, sed consequentiæ; quæ nullatenùs præiudicat eidē libertati, quàm actus peccaminosus, vt formaliter talis includit.

Ex dictis patet Andream de Vegha fuisse deceptum in eo, quòd conceperit legem illam, quam impugnat, legem fuisse absolutam ex absoluto Dei beneplacito procedentē omni penitùs eliminata ex parte humani arbitrij conditione; vel si aliquā subintellexit cum illa conditionem, trepidabit timore, vbi nullus penitùs aderat timor. Si carentia originalis Iustitiæ in paruulis, & amissio actualis innocentiæ in adultis nullam inuolueret connexionem cum libera primi hominis actione: sed reperiretur Iustitiæ carentia in illis, & amissio innocentiæ in istis, ex absoluto dumtaxat Diuinæ voluntatis decreto; quo pacto illis carentia, & istis amissio posset ad demeritum imputari? Qua ratione posset Deus exigere à nobis innocentiam, nisi esset debita nobis; & quomodò esse posset debita nobis, nisi accepissemus eam à Deo: & quo pacto accipere potuissemus illā à Deo, nisi Deus ipse liberè, ac liberaliter exhibuisset nobis ipsā?

Dono

Dono igitur dedit illam Deus Adamo, & in Adamo posteris eius. Accepit enim Adamus, & Adamo accipiente, etiam posteri vt moraliter contenti in ipso acceperunt eam in illo; & Adamo illam amittente, etiam posteri amiserunt in ipso. Ex eo igitur, quòd Deus dedit illam Adam, & in Adamo posteris ipsius; & ex eo insuper, quòd Adamus eam accepit, & posteri in ipso, & Adam, ac posteri contraxerunt debitum habendi originalem Iustitiam, quòd debitum fuit materiale actualis in Adam, & originalis Iustitiæ in posteris, vt Scotus docet in 2. dist.32.in responsione ad tertium principale primæ quæstionis sub lit.A.

Et quamuis ex Scoto & datio, & acceptio concurrant ad constituendum in nobis hoc debitum; magis tamen reuocat illud ad donationem, quàm ad acceptionem, vt patet ex ipso in 2. dist.32.quæst.2.parum sub lit. D. Facilè poterunt hæc & alia, quæ ibidem docet Scotus sub lit.C. obuia fieri Andreæ de Vegha, & videre per consequens præfatam legem à Deo statutam non fuisse absolutam; sed omninò conditionatam, & per modum pacti cum Adamo initi prolatam. Hac facta, & absoluta aduersus Andream De Vegha digressione, regrediamur nunc ad iterùm probandum, quòd.

Adam vtramque amiserit posteris innocentiam, habitualem paruulis, originalem videlicet Iustitiam, & actualem adultis.

Veritas hæc non obscurè colligitur ex Tridentino sess.5.in decreto de peccato originali canon.2. vbi definit Adamum perdidisse sibi, & nobis Sanctitatem & Iustitiam, quam à Deo acceperat. Tunc sic, Tridentinum asserit Adamum perdidisse sibi, & nobis Sanctitatem, & Iustitiam; ergo nedum perdidit nobis habitualem, verùm etiam & actualem innocentiam, & Iustitiam: consequentia patet, quia nomine sanctitatis & Iustitiæ exprimere voluit, & exprimit vtramque innocentiam, & Iustitiam.

Nec dicas Sanctitatem, & Iustitiam esse hic nomina synonima, tùm quia nulla penitùs apparet ratio, cur Tridentinum vti voluerit his nominibus synonimis; tum quia ratio dictat omninò fuisse in re tam seria ab-

abstinendum à nominibus synonimis, id est ab inutili eiusdem rei per diuersa nomina repetitione.

Nec etiam dicendum est Tridentinum intellexisse per sanctitatem habitum sanctificantis gratiæ, & per Iustitiam donum originalis Iustitiæ: nam & si verum sit originalem Iustitiam significari per alterutrum istorum tantùm, quod per sanctitatem non intelligat Concilium gratiam sanctificantem conuincitur ex rationibus, quibus suprà probauimus per sanctitatem non intelligi gratiam sanctificantem, seu sanctitatem habitualem.

Cõfirmatur præmissus discursus ex eodem Concilio sess. 6. cap. 1. vbi vnico innocentiæ nomine comprehendit sanctitatem & Iustitiam, quam sess. 5. can. 2. definit Adam nobis perdidisse, dicens: *Primum declarat Sancta Synodus ad iustificationis doctrinam, probè & sincerè intelligendam oportere, vt vnusquisque agnoscat, & fateatur; quòd cùm omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent &c.* Igitur idē est de mente Concilij nos perdidisse sanctitatem Adam, & Iustitiam ac perdidisse in ipso innocentiam; patet, quia idem est de mente Concilij sanctitas & Iustitia, quam in Adam amisimus, & innocentia quam in ipso perdidimus; ergo idem & nos perdidisse in Adam sanctitatem, & Iustitiam, ac perdidisse in illo continuationem illius rectitudinis, & Iustitiæ tùm habitualis, tùm etiam actualis, quam habuissemus in statu innocentię. Consequentia hæc patet ex formali ipsius innocentiæ significatione, quæ continuationem fundamentaliter dicit illius sanctitatis, rectitudinis, & Iustitiæ, in qua persona innocens reperitur: formaliter verò negationem importat interruptionis eiusdem sanctitatis, rectitudinis, & Iustitiæ; penes hoc enim propriè, vt communis Scholasticorū sententia fert, innocentia à potentia distinguitur, quod illa negationem: hæc verò affirmationem interruptionis inuoluit; innocentiæ igitur statum, hoc est continuationem rectitudinis, in qua tunc constituti fuissemus, amisimus in Adam: statum inquam innocentiæ habitualis omnes, & singuli non peruenientes ad vsum rationis; statum verò innocentiæ actualis, etiam omnes, & singuli adulti.

Hinc aduertendum est, quòd hu-

huiusmodi status innocentiæ nedum includit memoratam rectitudinis continuationem; verùm etiam & infallibilitatem continuationis, quia ex eo quòd Scotus in 2. dist. 20. quæst.2. docet non alios videlicet homines futuros in statu innocentiæ, nisi prædestinatos: sequitur manifestè quòd si Adam primam superasset tentationem, ità vt omnes posteri primam vicissent tentationem, aliàs nati non fuissent nisi soli, quia nunc sunt electi; nisi dicere velimus, quòd qui cecidissent, resurrexissent per pœnitentiam, & quòd per consequens tunc institutum fuisset instrumentum aliquod mortuorum, quòd non videtur perfectioni illius status satis consonum, & per consequens sicut si Adam primam vicisset tentationem, cõfirmatus fuisset in gratia; ita & eius posteri primam vincentes tentationem, statim confirmati fuissent in gratia. Iuxta igitur hanc Scoti sententiam Adamus nedum amisit nobis innocentiã, sed confirmationem insuper & perseuerantiam in illa.

Confirmatur iterùm idem discursus ex eodem Tridentino sess.6.cap.7. vbi solo nomine Iustitię comprehendit Sanctitatem, & Iustitiam, quam sess.5. can.2. asserit Adam nobis perdidisse. Et licèt Concilium explicitè loquatur ibi de Iustitia, quæ datur suscipientibus Sacramentum Baptismatis: loquitur tamen de ea, quæ quatenùs data renatis loco illius, quam sibi, & nobis perdidit Adam; ergo loquitur de ea vt similitudinem habente cum illa, quam sibi & nobis perdidit Adam. Similitudinem (inquam) in ijs, quæ formalem ipsarum rationem non varient; ergo loquitur de ea, vt repræsentante illam in hoc, quòd si Iustitia quam accipiunt, qui sacro fonte Baptismatis mundantur, habitualem, & actualem simul importare debet innocentiam: ità etiam actualem, & habitualem importare debet ea, quam sibi, & nobis amisit Adam. Prima consequentia patet; quia si nullam haberent inter se similitudinem, non appareret quo pacto Iustitia Baptismatis daretur renatis loco illius Iustitiæ, quam sibi & nobis perdidit Adam. Secunda consequentia etiam patet, quia ex eo quòd Iustitia Baptismatis significet, seu repræsentet Iustitiam, quam amisimus in Adam, quantùm ad hoc, quòd sit actualis,

vel habitualis, aut vtrumque non variat rationes formales ipsarum: sed baptismalis Iustitia in adultis suscipientibus Baptismum dicit simul vtramque Iustitiam, & habitualem, & actualem; ergo etiam Iustitia, quam in Adam amisimus, vtramque importat innocentiam habitualem, & actualem. Consequentia patet per declaratam similitudinis rationem, quam illa fundat ad istam. Minor subsumpta non erit probatu difficilis, si aduerterimus quòd manifestè Concilium in citato loco sess. 6. cap.7. loquitur de Iustitia, quam in susceptione Baptismi accipiunt adulti, vt euidenter ex eadem sessione cap. 5. vbi Concilium hęc habet formalia verba. *Declarat prætereà ipsius iustificationis exordium in adultis per Christum Iesum, præueniente gratia sumendum esse*. Et prosequitur ibi doctrinam de ipsorum vocatione & conuersione, libera assertione, & cooperatione; & cap.6. ad longum de libera eorumdem dispositione ad gratiam iustificationis, & in ipso cap.7. inquit: *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione, Cathecumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præstandam &c.* Tunc sic: Adulti vtramque accipiunt in susceptione Baptismatis Iustitiam habitualem, & actualem; ergo baptismalis Iustitia in adultis suscipientibus Baptisma, vtramque simul importat Iustitiam habitualem, & actualem. Consequentia patet, antecedens probatur; sed antequàm probetur, operæ pretium erit referre hìc verba Concilij ex cap.7. videlicet: *Itàque veram & Christianam iustitiam accipientes eam, seu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam; candidam & immaculatam iubentur statim renati conseruare, vt eam perferant ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam, &c.*

Duo in hisce verbis pro clariori præmissi antecedentis probatione, sese nobis offerunt notanda. Primum est, quòd quàmuis Concilium loquatur hìc de habituali iustitia, quam adulti accipiunt in susceptione Baptismatis, vt manifestè colligitur tùm ex participio (accipientes) tùm ex nominibus (primam stolam) tùm etiam ex adiectiuis (candidam & immaculatam) quæ omnia inhærentem significant habitum;

bitum; nihilominùs de actuali etiam iustitia loquitur: adultus enim ritè ac rectè suscipiens Baptismum, nedum habitualiter; verùm & actualiter efficitur iustus.

Pro cuius clariori intelligentia notandum est secundum, quòd iustificatio ex parte solius subiecti, idest adulti Baptismum suscipientis duo necessariò dicit in ipso: alterum in genere causæ materialis, alterum verò in genere causæ formalis; vel potiùs alterum vt præuiam dispositionem ad iustificationem ipsam, alterum autem vt perfectionem eiusdem. Dispositio non est quid simplex; sed multiplex quoddam ex nonnullis adulti diuersæ rationis actibus constitutum. Perfectio item est quid multiplex, ex diuersis etiam rationibus entis integratum: ea, quæ ad dispositionis constitutionem concurrunt Trident. sess. 6. enumerat; quæ verò perfectionem absoluunt, sequenti capitulo declarat.

Priora, quæ dispositionem concernunt, sunt post excitandi, & adiuuandi gratiæ auxilium in adultis; fidei videlicet conceptio ex auditu, libera motio in Deum, libera item assentio diuinitùs reuelatis & promissis, Diuinæ Iustitiæ timorem propter peccatum ad Dei misericordiam considerandam, conuersio in spem fiduciamque propitionem à Deo obtinendam, eiusdem Dei tanquàm totius fontis dilectio, peccatorum odium, ac detestatio, suscipiendi Baptismum, nouam vitam inchoandi, ac Diuina demum mandata seruandi propositum.

Posteriora verò, quæ ad iustificationis perfectionem attinent, sunt peccatorum remissio, satisfactio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, &c.

Ex his nunc manifestè liquescit, quòd quàmuis Christiana iustitia, quam adulti in susceptione Baptismi accipiunt ex principaliori sui significato formalem importet iustificationis perfectionem; remissionem scilicet peccatorum, interioris hominis sanctificationem, & renouationem per voluntariam susceptionem gratię & donorum: in suo tamen adæquato & extenso conceptu spectata, memoratam etiam ex Tridentino depromptam dispositionem enumeratorum actuum multiplicitatem integram necessariò includit; quia necessariò vt ex

Tridentini doctrina obſcurè colligitur, neceſſariam habet in adulto ſuſcipiente Baptiſmum eiuſmodi cum diſpoſitione iuſtificationem, ad quam eſt.

His præmiſſis facili negotio probatur nunc minor ſuperiùs ſubſumpta tali pacto: Chriſtiana iuſtitia, vti de ea loquitur Tridentinum vbi ſuprà, vtramque importat & habitualem, & actualem iuſtitiam; ergo adultus homo vtramque accipit in ſuſceptione Baptiſmatis, iuſtitiam habitualem, & actualem. Antecedens & conſequentia patent ex dictis: nec te moueat participium illud (accipientes) quo Tridentinum vtitur dicens; *Itàque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, &c.* quòd paſſionem dumtaxat præſeferre, & ſolius per conſequens habitualis gratiæ ſeu iuſtitiæ, quæ propriè recipi dicitur, inductionem ſignificare videtur: nam præterquàm quòd ex propria ipſarum ſignificatione non paruum intercedit inter verbum accipere, & verbum recipere diſſidium; cùm hoc ſolam videatur dicere paſſiuitatem, illud verò econtrà vel ſolam importare actiuitatem, vel ſi paſſiuitatem aliquam includit, nunquàm tamen poterit ab omni actiuitate abſolui, Tridentinum etiam eodem cap. 7. vſum nomine ſuſceptionis, quæ ad receptionis magis quàm acceptionis nomen accedat, nedum tribuit ipſi actiuitatem; verùm etiam & libertatem, dum inquit: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, &c.* En quàm disertè Concilium tribuat ſuſceptioni gratiæ, & donorum in iuſtificatione adulti in Baptiſmo libertatem, diem aſſerit illam eſſe voluntariam; quæ tamen libertas neceſſariò in actiuitate radicatur. Quid illo, & participatio ipſi (recipiens) actiuitatem, ac libertatem tribuit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. dum ait: *Declarans prætereà ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præuenien-te gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant per eius excitationem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur;*

itâ

ità vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, nec homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abijcere potest, nec tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posset.

Si verba illa expendas; *Ità vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, nec homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, &c.* Statim tibi elucescit Concilium tribuere homini recipienti Spiritus Sancti inspirationem, actiuitatem in eandem inspirationem. Et si expendas, quæ immediatè sequuntur, videlicet: *Quippè qui illam, & abijcere potest, nec tamen sine gratia Dei mouere se ad Iustitiam coram illo libera sua voluntate posset; &c.* Statim etiam occurret tibi Concilium Tridentinum eidem homini recipienti Spiritus Sancti inspirationem libertatem.

Dices, quomodò potest dari libertas, vbi nulla est actiuitas; & quomodò excogitari actiuitas, vbi est sola passiuitas? Recipere, vt formaliter recipere est, nil aliud penitùs importat quàm pati; ergo nulla penitùs excogitari actiuitas, & multò minùs libertas in homine Spiritus Sancti inspirationem recipiente potest. Pro exacta ad præmissam instantiam responsione, sit.

DOCVMENTVM.

QVàmuis variæ sint Scholasticorum sententiæ circa modum, quo ponitur in se prima Spiritus Sancti illuminatio in intellectu humano; cùm alij dicant produci in ipso à solo Deo, merè passiuè se habente intellectu: à qua sententia non abhorrent Scotistæ, qui Præceptoris doctrinæ inhærentes in 2. distinct. 9. quæst. 1. & 2. per totum, sustinent actum vitalem produci posse in potentia vitali à solo principio extrinseco, nedum increato; sed etiam creato: alij verò quòd à Deo, & à potentia intellectiuas, eo tamen hinc indè intercedente dissidio, vt sit à Deo omninò intellectiuam potentiam præueniente, & illuminationem incipiente; à potentia verò vt Diuinæ actioni, & cooperationi coagente, & cooperante.

Omninò nihilominùs amplectenda est secunda hæc explicata sententia, tanquàm ea, quæ magis consentanea est præmissæ do-

doctrinæ Concilij tribuentis homini à Deo per Spiritus Sancti illuminationem, præuento respectu receptæ illuminationis actiuitatem. Et quàmuis Tridentinum sess. 6. cap. 5. declaret, & poceat præuenientem gratiam vocationis dari peccatoribus à Deo vocatis, nullis eorum existentibus meritis: hæc tamen meritorum exclusio longè omninò diuersa est ab actiuitatis exclusione, optimè siquidem huic Concilij doctrinæ cohæret, quòd peccator Diuina vocationis, gratia præuentus omnia penitùs excludat a se merita respectu illius, & quòd non omnem excludat actiuitatem; quia actiuitas hæc, quam ea lege, & ratione ponimus subordinatam actiuitati, & influentiæ primi efficientis, vt nullo modo erumpat, & erumpere possit in ordine, nisi priùs prioritate à quo, non autem in quo erumpat in ordine suo primum efficiens: nullatenùs præiudicat illi præueniendi rationi, quàm vocationis ratio primò prima formaliter inuoluit; quia semper illæsa, & inuiolata perseuerat in ea præuentio, si peccatoris hominis actiuitas, & vt in actionem erumptura, & erumdens omninò ab ipsa præuenitur. Maximum tamen inferret illi præiudicium quæuis vmbra meritorum in peccatore vocando existens, quia tunc nec gratia illa esset gratia, si ex meritis; nec diceretur præuenire peccatorem, sed præueniri potiùs ab ipsius meritis mouentibus.

Aduertendum est etiam, quòd potentia vitalis est productiua actus vitalis; est receptiua illius, & formaliter operatiua per illum. Istorum ordo in potentia vitali ex ipsa ordinatorum ratione liquescit, nequit enim intelligi potentia recipiens actum, nisi præintelligatur producens illum; & nequit intelligi operans per illum, hoc est vitaliter tendens per eum in obiectum, & percipiens illud, nisi præintelligatur recipiens actum productum. Et quàmuis productio, receptio, & operatio in vno & eodem instanti temporis contingant; necessariò tamen admittendus est inter ipsas, ordo naturæ.

Exercet potentia vitalis vitalitatem in productione actus, in receptione actus producti, & in operatione per actum productum, ac receptum: sed non exercet in omnibus actiuitatem, quia & si propriè exerceat eam

in

in productione actus, & quodammodò in operatione per actum; nullatenùs tamen exercet illam in receptione actus, quia quæuis potentia receptiua, vt receptiua formaliter secundum se totam passiua est: dixi quodammodò in operatione per actum, quia & si operatio seu vitalis tendentia in obiectum, & perceptio obiecti per actum possit dici negatiuè actio; ex eo quòd tendere in obiectum, & præcipere obiectum nullatenùs est pati, cùm nulla penitùs excogitari possit in tali tendentia ad obiectum, & perceptio obiecti formæ absolutæ receptio, quæ passio sit: non potest tamen dici positiuè & formaliter actio, tùm quia huiusmodi tendentia nil aliud propriè est, nisi vnio potentiæ cum obiecto per actum, quæ vnio fundamentaliter tamen spectata, est ipsa eiusdem obiecti perceptio; tùm etiam quia de mente Scoti, & secundum veritatem operatio, siuè actus operatiuus non effectus realis productiuus est: productiuus tamen est effectus intentionalis, intelligibilis videlicet speciei sui ipsius, vel sensibilis, si actus fuerit à potentia sensitiua productus; & indè fit, vt noster Pater Franciscus de Mayronis in 1.distinct.17. quæst.3. artic.2. defenderit habitum non produci ex actibus, siuè præcedentes, siuè subsequentes sint illum.

Distinctio potentiæ in producentem, recipientem, & operantem non minùs competit potentiæ appetitiuæ, quam cognitiuæ; & hoc siue appetitiua, & cognitiua intellectiuæ, siuè sensitiuæ sint. Sed nec cognitiua, nec appetitiua dicitur cognoscere, & appetere obiectum quatenùs productiua, vel receptiua est actus; sed quatenùs actus formaliter tendit in obiectum, vnitur obiecto, percipitque obiectum. Et licèt Aristoteles dicat, quòd intelligere est quoddam pati, explicari debet præsuppositiuè, non formaliter, quia receptio actus præsupponitur in potentia operantis per actum: formaliter verò loquendo nil aliud est, quàm intellectum habere in se formaliter actum, qui est sibi formalis ratio; cur tendat in obiectum, vniatur obiecto, & percipiat obiectum, sicut parietem esse album, nil aliud est quàm parietem habere in se formaliter albedinem.

Aduertendum est vlteriùs,

quòd

quòd & si intellectiua, & volitiua potentia peccatoris hominis à Deo vocati, in eo omninò conueniant; vt à Diuinæ vocationis gratia excitante præueniri debeant, differunt nihilominùs in modo, secundum quem præueniri dicuntur. Suprà explicatus est modus, quo peccatoris hominis intellectiua potentia præueniatur à Deo; non est ergo, cùr nunc debeat iterùm hìc explicari, explicandus igitur erit modus dumtaxat, quo subsequens fit voluntatis præuentio.

Supposita igitur essentiali potentiæ volitiuæ ab intellectiua dependentia in operando, saltem quantùm ad obiecti propositionem, & præcedentiam; necessariò dicendum est, præuentionem eius ab intellectiuæ potentiæ prouentione suam ducere originem. Eò igitur ipso, quo misericorditer Deus per conuenientis, vel disconuenientis obiecti propositionem peccatoris hominis in peccatis obdormiti intellectiuam illuminat potentiam, & volitiuam simul illustrat facultatem: tùm quia ex Augustino impossibile est, quin visis tangamur; tùm etiam quia Deus intellectus illuminationem ad voluntatis illustrationem dirigit.

Hinc statim incipit innotescere qualis sit, vel in quo consistat hinc indè præuentionis diuersitas; præuenitur siquidem à Deo peccatoris hominis intellectus per memoratam obiecti propositionem de repentè, & velut ex abrupto, tunc videlicet quando nec per somnium quidem peccatorum suorum enormitas venit ipsi in mentem. At non ità præueniri & excitari dicitur voluntas, quia ideò omninò de repentè & ex abrupto præueniri, vel excitari dicitur intellectiua peccatoris hominis potentia; quoniam antecedenter ad eius præuentionem, & excitationem nil penitùs aliud reperitur in homine peccatore, nisi sua pura naturalia in peccatis quiescentia, & sopita: sed antecedenter ad voluntatis præuentionem cœpit iam homo peccator extrahi, & excitari ex peccatorum suorum sopore, & per Diuinæ illius illustrationis gratiam in intellectu, in statu supernaturali constitutus; & estò quòd in vno, & eodem instanti temporis contingat intellectus illuminatio, & voluntatis illustratio, attento nihilominùs istarum potentiarum essentiali ordi-

ordine in operando, necessariò dicendum est naturaliter saltem priùs illuminari intellectum, quàm illustrari voluntatem: atquè adeò intellectus illuminatio in priori naturæ spectata, negationem inuoluit illustrationis voluntatis in subsequenti naturæ signo futuræ, & per consequens voluntas vt in posteriori signo præuenienda, & excitanda, facta in priori naturæ intellectus illuminatione supponit in intellectiua peccatoris hominis potentia, velut in causa proxima propriæ præuentionis, & excitationis futuritione; & per consequens non ità de repentè, & ex abrupto voluntatis secundum declaratam hanc rationem præueniri, & excitari dicenda est, sicut intellectus qui nihil penitùs supernaturalitatis, vel cuiusuis alterius dispositionis supponit in homine peccatore vocato.

Benè video, quòd etiam voluntas vt formaliter ex natura rei ab intellectu seiuncta omnem penitùs antecedenter ad sui præuentionem abijciat supernaturalitatem, omnemque insuper dispositionem excludit; & per consequens etiam ipsa secundum hanc rationem spectata dici debet ità de repentè, & ex abrupto præueniri, & illuminari dicitur intellectus: nam reuerà etiam ipsa vt formaliter ex natura rei ab intellectu distincta extrahitur in sui præuentione, & excitatione ex illo eodem nudo, ac deordinato suorum naturalium statu, à quo extrahitur intellectus.

His tamen non obstantibus nunquàm voluntas absolutè dicenda est, sic de repentè, & ex abrupto extrahi, ex memorato statu extrahi, sicut ex ipso extrahitur intellectus; quia cùm intellectus illuminatio ad peccatoris hominis vocationem dirigatur, sitque tùm ex vi directionis Diuinæ, tùm ex voluntatis dependentia ab intellectu in operando vocationis initium: & ipsa vocatio (vt vocatio formaliter est) ad voluntatem dumtaxat pertineat, necessariò dicendum est, quòd illuminatio intellectus vt naturaliter etiam prior actuali vocatione voluntatis, virtualem dicit habitudinem ad eiusdem voluntatis vocationem; ergo etiam vt in intellectu priori spectata est quid per se pertinens ad eam, ergo antequàm voluntas actu vocetur, præexistit aliquid ipsius in rerum natura, ad quod infallibiliter subsequetur vocatio, ergo non ità voluntas vocanda,

ſicut intellectus illuminandus tranſit ab omninò non eſſe præuentionis ad eſſe præuentionis, ergo non ità abſolutè & ex abrupto voluntatis etiam, vt ab intellectu formaliter ex natura rei diuerſa dicitur, à Deo præueniri dicitur, ſicut intellectus dicitur præueniri. Omnes conſequentiȩ patent ex terminis: ſolùm reſtat probandum, quòd ſolius ſit voluntatis vocari; quod ità facili negotio oſtenditur.

Solius eſt voluntatis reſpondere vocationi; ergo ſolius eſt voluntatis vocari. Conſequentia patet ex correlatione reſponſionis ad vocationem, & è contrà. Antecedens probatur: ſolius eſt voluntatis conſentire vocationi; ergo ſolius eſt voluntatis reſpondere vocationi. Antecedens patet; quia ſolius potentiæ literæ eſt conſenſus, & diſſenſus. Conſequentia etiam patet; quia idem omninò eſt voluntatem conſentire, ac reſpondere, & econtrà.

Ex præmiſſis manifeſtiùs liqueſcit hominem peccatorem illuminandum abſolutè tranſire à ſimpliciter primo non eſſe præuentionis ad ſimpliciter primum eſſe præuentionis per gratiam in intellectu: quod nulla ratione dici poteſt de ipſo eodem peccatore vt excitando, ac tranſituro per conſequens de non eſſe præuentionis per eandem gratiam ad eſſe præuentionis per eam in voluntate; quia prior tranſitus eſt ab omni non eſſe prænentionis ſecundum vtramquè ipſius potentiam, intellectiuam videlicet & volitiuam, poſterior verò à non eſſe præuentionis ſecundum volitiuam dumtaxat. Et quàmuis voluntas, vt eſt formaliter diſtincta ab intellectu, dici poſſit tranſire à ſimpliciter primo non eſſe præuentionis, ad ſimpliciter primum eſſe præuentionis per gratiam: vt eſt tamen intrinſecum homini peccatori, & vt potentia eſſentialiter ſubordinata intellectui in operando; & vt demùm ad cuius excitationem ex ſpeciali Dei prouidentia dirigitur intellectus illuminatio, nequit abſolutè dici tranſire de ſimpliciter primo non eſſe præuentionis, ad ſimpliciter primum eſſe præuentionis per gratiam.

Sed vlteriori, & exactiori præmiſsarum declarationi inſiſtendo, dicimus; quòd quàmuis ſuprà ſtatutum fuerit intellectus illuminationem eſſe quid neceſſariò prærequiſitum ad peccatoris hominis voluntatem excitandam: id tamen non ità intelligendum

eſt,

est, vt sub his præcisè rationibus prærequiri dicitur, sub quibus superiùs declaratum est debere præerequiri; nam cùm certum sit (vt statim ostendemus) intellectus illuminationem, vel potiùs obiectum in ipsa, seu per ipsam expressum, formalis adhuc sit ratio voluntati, cur excitetur: necesse est, vt fateamur longè maiorem esse voluntatis excitandæ dependentiam ab intellectus illuminatione, quàm vt suprà explicauimus. Et si verum sit, quòd voluntatis excitatio nedùm propter essentialem ordinem potentiarum animæ in operando; verùm etiam & propter specialem ordinationem Diuinæ prouidentiæ intellectus illuminationem ad voluntatis excitationem dirigentis, adeò necessariam connexionem habeat cum eadem illuminatione, tanquàm cum effectu præuio, vt nullatenùs de communi lege poni queat in esse, non posita priùs in rerum natura intellectus illuminatione, magnam arguat in illa dependentiam ab ista: indè tamen longè maiorem arguit in voluntate excitanda dependentiam ad illuminationem, quia ab illuminatione vt à formali principio habet, & assequitur voluntas; vt actu excitetur. Non puto posse hoc in dubium reuocari: verùm ad hoc vt veritas magis eluceat, separanda sunt certa ab incertis, nec non vera à falsis.

In primis esset omninò à veritate alienum asserere, quòd intellectus illuminatio, seu notitia, ità sit voluntati formalis ratio, cur excitetur; sicut formalis est ratio intellectui, cur illuminetur: nam tunc sequeretur, quòd vnus, & idem indiuisibilis actus esset simul actus potentiæ intellectiuæ, & potentiæ volitiuæ; & quàmuis non causaliter, & productiuè, cùm supponeretur posita ab intellectu, antequàm per ipsum intelligatur excitari voluntas, formaliter saltem, & subiectiuè aliàs non appareret quo pacto intellectus illuminatus, seu notitia formatus, esset ratio voluntati: cur per eam illuminaretur, & cognosceret, nisi reciperetur in voluntate, & esset subiectiuè in illa; sequeretur etiam, quòd vnus, & idem indiuisibilis esset formaliter ratio alterius generis potentijs, cur operarentur, hoc est cur in propria ferrentur obiecta: vnus (inquam) & indiuisibilis actus, non qui esset vnus velut aliud ab actu potentiæ intellectiuæ, & ab actu potentiæ volitiuæ;

uæ; qui videlicet quatenùs includens vtrumque actum, vtrique deseruiret potentiæ operanti, quia sicut de mente Scoti in 1.distinct.2.quæst.7.sub lit.N.implicat principium intellectiuum, & principium volitiuum reduci posse ad aliquod vnum principium veluti aliud, & tertium quoddam principium ab vtroque: itá dico ego, quòd manifestè implicat actum potentiæ intellectiuæ, & actum potentiæ volitiuæ posse reduci ad aliquem vnum actum, veluti aliud, & tertium quendam actum ab vtroque; sed qui esset vnus, & idem ab vna, & eadem dumtaxat potentia intellectiua productus, vel qui esset præcisè, & determinatè ex intrinsecis suis cognitiuus, quæ omnia quàm sint ab omni veritate aliena, & impossibilia nemo non videt. Quis est, qui somniet posse principium volitiuum operari per actum non liberè: sed naturaliter productum per actum, quo non se ducat, sed quo ducatur voluntas? Per actum demùm qui cùm habeat ab intellectu, vt sit assimilatiuus, repugnat voluntati, quæ assimilatiua non est.

Dices, quòd & si actus intellectus non inhæreat voluntati, quia tamen etiam vt est subiectiuè in intellectu, adhuc intimè præsens voluntati, nihil minùs poterit voluntas operari per eum, non vt sibi inhærentem, sed vt sibi inexistentem; & quòd sola inexistentia siuè inhærentia sufficiat, doctrina Scoti est in 1.distinct.3.quæst.7.sub lit.N. dicentis: *Si species posset esse inexistens intellectui absque inhærentia per modum formæ, & isto modo inexistens esset sufficienter coniuncta intellectui; possent istæ duæ causæ partiales intellectus & species coniunctæ sibi inuicem in eandem operationem, in quam modò possunt, quando species informat intellectum, &c.* Id ipsum confirmat ibidem exemplo obiecti præsentis intellectui sine specie, quòd vtique obiectum non esset inhærens, sed inexistens dumtaxat intellectui; hoc ipsum etiam non obscurè colligi potest ex eo, quod asserit in 2. distinct. 11. quæst. vnica sub lit.D. vbi docet, quòd quantùmuis Angelus non possit vt causa totalis producere speciem intelligibilem in intellectu hominis custoditi: id tamen potest vt causa partialis, vniendo videlicet suum intellectum agentem intellectui agenti hominis custoditi, & cooperando seu coagendo ipsi ad productionem perfectioris speciei; qua tamen

data

data hypothesi certum est, quòd Angelus non vniret proprium intellectum intellectui hominis custoditi per inhærentiam, sed per solam inexistentiam, penetrando videlicet intellectum hominis custoditi.

Dupliciter occurrimus instantiæ præmissæ: Primò negando posse vnum & eundem actum duabus simul potentijs formalem esse rationem, qua in sua tendant obiecta, & hoc quomodòcumquè actus concipiatur communis vtrique, siuè vniformiter, vt si esset vel per inhærentiam, vel per inexistentiam in vtraque, siuè difformiter, vt si esset in altera per inhærentiam, in altera verò per inexistentiam existeret. Ratio à priori est, quia sicut in genere causæ efficientis formale principium agendi si sit vt quatuor, nequit nec de potentia Dei quidem producere effectum nisi vt quatuor, etiam si per impossibile reperiretur in multiplici subiecto, cùm ex vi talis existentiæ nullatenùs ageretur ipsius actiuitas; ità similiter omninò dicendum est in genere causæ formalis, seu de ratione, & principio in genere causæ formalis, quòd si actus videlicet esset in se ratio, vel principium vt quatuor, nec de potentia Dei quidem, etiam quomodòcumquè conciperetur poni, & reperiri in duabus potentijs esse posset formalis ratio, & principium nisi vt quatuor, & si esset ratio vt quatuor alteri potentiæ, nec vt vnum tunc esse posset alteri ratio tendendi in idem, vel aliud obiectum. Actus igitur productus ab intellectu in tanto, vel tanto gradu est ipsi vt in eodem gradu formalis ratio tendendi in obiectum, & sub eodem etiam gradu percipiendi; ergo implicat, vt sub quouis minimo gradu possit esse voluntati ratio formalis, qua excitetur, & feratur in eiusdem actus obiectum.

Secunda responsio est, quòd quàmuis actus inhærens omnipotentiæ, & inexistens alteri possit etiam esse huic alteri formalis ratio, qua tendat in idem obiectum: hoc tamen nulla penitùs ratione intelligi potest de altera potentia diuersi generis, sed eiusdem dumtaxat; licèt enim actus inhærens vni intellectui, & inhærens alteri posset esse vtique formalis ratio tendendi in idem obiectum commune ex eo, quòd vterque intellectus ad idem spectat genus potentiæ cognitiuæ: neutiquàm tamen idem actus inhærens intelle-

tellectui, & inexistens voluntati, poterit esse etiam voluntati formalis ratio, qua excitetur, & in idem feratur obiectum; quia intellectus ad genus spectat potentiæ cognitiuæ, voluntas verò appetitiuæ. Quis dicere somniabit, quòd actus, qui est formaliter cognitio obiecti, sit etiam formaliter volitio eiusdem obiecti? Vel quòd idem formaliter actus sit intellectui formalis ratio cognoscendi, & voluntati formalis ratio appetendi eo vel minùs;quia quatenùs formaliter actus intellectus expressa esset similitudo obiecti,quatenùs autem actus voluntatis omnem abijceret à se rationem similitudinis cum illo.

Hìc aduertendum est, quòd quàmuis suprà dictum sit, quòd vnus, & idem actus quomodolibet ex hypothesi positus in duabus potentijs, vel scilicet in vtraque per inhærentiam, vel in vtraque per inexistentiam, vel in altera per inhærentiam, & in altera per inexistentiam; attento quòd secundum omnem sui latitudinem esset alteri potentiæ formalis ratio, qua tenderet in obiectum, nulla penitùs ratione posset esse alteri formale principium tendendi in idem obiectum: nihilominùs tamen non caret omni probabilitate vnum, & eundem actum quomodolibet secundum aliquem ex enumeratis modis in duabus potentijs existens esse posse vtrique formalem rationem; qua vtraque simul in idem commune obiectum tendant, illud æque percipiant non adæquatè, sed inadæquatè. Probabilitas istius assertionis facili negotio elucescet duplici posita circumstantia, seu obseruata conditione, quarum prima est; quòd ambæ potentiæ ad idem genus facultatis attineant vel cognitiuæ, vel appetitiuæ. Secunda est; quòd Deus si actus sit vt quatuor,concurrat vt duo cum ipso existente in altera, & vt duo cum eodem existente in altera potentia. His duabus positis conditionibus, nec obstaret assertioni probabilitatis generis diuersitas in potentijs; nec totalitas formalis rationis, qua altera dumtaxat adæquatè ferretur in obiectum.

Ex præmissis manifestè infertur voluntatem actu iam illuminato intellectu non alio modo excitari, quàm per proprium actum ab ea, & in seipsa productum; hìc tamen distinguendum est de duplici excitatione formali videlicet, & virtuali. Formalis

lis est quæ fit per actum productum, & qua per eundem actum tendit in obiectum, & percipit illud; virtualis verò quæ fit per obiectum præsens voluntati, vt actu volibile: ex potentia enim volitiua, & obiecto præsente actu volibile constituitur voluntas fœcunda, sicut in sententia Scoti memoria fœcunda constituitur ex potentia intellectiua, & obiecto præsente actu intelligibile; sed tunc obiectum ex Scoto 15. quæst. Quodlib. sub lit. P. est actu volibile, quando est actu intellectum obiectum actu volibile: ideò dicitur virtualiter excitare voluntatem, quia in eo statu spectatum fit intimè præsens voluntati, & constituit per consequens vnum cum ipsa immediatum, & proximum principium eliciendi volitionem; ex alio etiam capite dicitur virtualiter excitare illam, quia quatenùs intimè ipsi præsens stimulat, & inclinat eam ad operandum, quia si habitus hoc eodem fungitur munere inclinandi videlicet potentiam in consimiles actus, à fortiori id præstabit obiectum. Hoc ipsum etiam tribuitur speciei intelligibili; ergo à fortiori tribuendum erit obiecto.

Sed non parua, neque dissimulanda difficultas occurrit, quo pacto voluntatis excitatio, quæ formaliter fit per eius actum primò primum, possit esse actus adeò necessarius; vt cuiusuis moralitatis incapax sit, omnemque per consequens excludat rationem meriti, & demeriti. Ratio dubitandi, & difficultas est; quia in omnium opinione admittuntur huiusmodi actus primò primi, seu indeliberati, & videtur esse expressa sententia D. Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 15. vbi inquit: *Non est in potestate nostra quin visis tangamur, &c.* Manifestè loquitur hic Augustinus de actibus primò primis, seu indeliberatis, vt ex modo loquendi & terminis ipsis liquescit: per hoc enim, quod inquit; *non esse in potestate nostra, &c.* explicat indeliberationem & necessitatem actuum, per quorum obiecta dicimur tangi, quòd nulla ratione intelligendum est de actibus, qui subsequuntur ad actus primò primos; cùm apud omnes Scholasticos indubitatum sit voluntatem non adeò rapi in subsequentibus actibus ab obiectis actualiter visis, seu cognitis ab intellectu; vt nequeat tunc omnem actum suspendere, respectu illorum. Quod adeò verum est in sententia

tia Scoti, vt asserat in 1.distinct. 1.quæst.4. in responsione ad tertium pro opinione, & in 4. distinct. 49. quæst. 9. sub F. nec Deum quidem clarè visum necessitare voluntatem fruentem.

Tota igitur difficultas de actibus primò primis, non tamen de illis qui sunt solius appetitus sensitiui, hoc est totaliter aduertentes nedum omnem voluntatis libertatem; verùm etiam & omnem intellectiuæ potentiæ cognitionem, & nullam per consequens habentes connexionem cum voluntate, ex cuius solius libertate in operando omnis dimanat, & refunditur in elicitos & imperatos actus imputabilitas: patet enim manifestè, quòd huiusmodi actus sunt omninò necessarij & inuoluntarij, nec est de eiusdem sensualitatis actibus, vt imperari, seu potiùs vt præueniri, impediri, ac reprimi potentibus ab ea. De his magna,& molesta est apud Scholasticos disceptatio; vt tot sint de illis sententiæ, quot capita.

Est igitur præcisè de solius voluntatis actibus, non de his qui cum ipsa connexionem aliquam habent; de istis enim aliàs (Deo fauente) erit tractatio. Est (inquam) de solius illis voluntatis actibus, quibus voluntas omni semota passione perturbante, omnique emandato errore obnubilante; immò plena existente in intellectu apprehensione, & aduertentia nunc primò istud, nunc illud, nunc aliud velle incipit obiectum: nam si verum esset illos primò primos voluntatis actus, qui plena præcedente in intellectu apprehensione, & aduertentia producuntur ab ea incapaces esse bonitatis, vel malitiæ moralis; longè incapaciores essent eiusdem bonitatis, vel malitiæ illi primò primi voluntatis actus, qui eliciuntur à voluntate, intellectu, vel passione perturbante, vel errore obnubilante, vt patet: quia in omnium sententia obiecti volibilis præcognitio vitiata minuit voluntarium, & tantò magis minuit illud, quantò magis crescit in ea vitium; immò eò vsque poterit intendi perturbantis passionis vehementia, vel obnubilantis ignorantiæ velamen, vt omninò tollant de medio voluntarium. Hìc tamen notandum est, quòd passio non ex eo dumtaxat minuit voluntarium, quia perturbat intellectus aduertentiam: sed multò magis ex eo, quòd cùm voluntas nata sit condelectari appetitui sensitiuo, à quo dimanat passio perturbans, inclinat; veluti

rapit

rapit illam ad immoderatam, & inordinatam condelectationem: ignorantia verò, vel error ideò minuit voluntarium; quia minuit memoratæ apprehensionis, & aduertentiæ plenitudinem, quæ necessaria est ad plenam voluntatis rationem.

Difficultas igitur restringitur, & limitatur ad eos solummodò primò primos voluntatis actus, qui ab ipsa producuntur plena præexistente in intellectu apprehensione, & aduertentia:& quæritur, an huiusmodi actus sint bonitatis, vel malitiæ moralis capaces; ità vt verè, & propriè constitui possint in genere moris, vel æquè per consequens ac reipsà constitui dicantur in ipso, si super licitum, vel illicitum obiectum transierint. Ratio dubitandi est, quia concurrit cum huiusmodi actibus omne id, quod est necessariò requisitum ad proximam, & immediatam capacitatem bonitatis, vel malitiæ moralis, seu concurrit cum ipsis omne id per quod formaliter, & reipsà reponuntur in genere moris; ergo huiusmodi actus proximam, & immediatam capacitatem bonitatis, vel malitiæ moralis, vel reipsà constituti sunt in genere moris, ex eo videlicet quòd aut sunt formaliter boni, aut formaliter mali. Consequentiæ patent; antecedens etiam patet; quia quò ad id in quo dependent ab intellectu, supponimus præexistere in ipso apprehensionis, & aduertentiæ plenitudinem: & quantùm ad id, in quo dependent à voluntate, omninò liberè procedunt ab illa; ergo concurrit cum ipsis omne id, quod est necessariò requisitum ad proximam, & immediatam capacitatem moralitatis, seu omne id per quod reipsà, & formaliter constituuntur in genere moris, suntque propterea formaliter imputabiles operanti, vel ad laudem, vel vituperium. Consequentia patet, quia nihil penitùs aliud excogitari potest, quod sit necessariò requisitum; cur voluntatis actus reddantur proximè, & immediatè capaces moralitatis, & reipsà constituantur in genere moris,nisi vt quando actualiter producuntur à voluntate, plena præexistat in intellectu obiecti volibilis apprehensio, & quòd voluntas plenaria libertate suos eliciat actus, sicut infallibiliter eliciet illos, plena præexistat in intellectu eiusdem obiecti volibilis apprehensio. Hæc etiam expressa est Scoti sententia in 2. distinct. 6. quæst. 1. sub lit. D. vbi docet;

quòd plena, ideſt non diminuta per ignorantiæ obnubilationem, vel paſſionis perturbationem præexiſtente in intellectu obiecti notitia: ideò libera ſubſequitur in voluntate eiuſdem obiecti appetitio; vt omninò imputari debeat appetenti, vel ad laudem, vel vituperium. Hinc ſubiungit, vt optimè ſubſtineri valeat potuiſse Luciferum ſimplicis actus appetitione Diuinam appetere æqualitatem: cuius tamen appetitio fuiſſet illi imputabilis ad demeritum; ergo memorati primò primi voluntatis actus nedum ſunt proximè, & immediatè capaces moralitatis: verùm etiam reipsâ, & formaliter conſtituuntur in genere moris, vel bonitatis, ſi ſuper licitum, vel malitiæ affecti moralitate, ſi ſuper illicitum tranſierint obiectum.

Contrà tamen eſt, quantùmuis præexiſtat in intellectu plena obiecti apprehenſio, voluntatis tamen actus vt in inſtanti ſuæ productionis ſpectatus non eſt proximè, & immediatè capax moralitatis; ergo vt ſic ſpectatus non reponitur reipsà, & formaliter in genere moris, ergo vt ſic ſpectatus non eſt formaliter bonus vel malus moraliter, ergo vt ſic ſpectatus non eſt formaliter imputabilis ad laudem, vel vituperium, ergo vt ſic ſpectatus non eſt formaliter meritorius, vel demeritorius. Omnes conſequentiæ patent ex terminis ipſis, antecedens probatur: voluntatis actus vt in inſtanti ſuæ productionis ſpectatus non eſt proximè, & immediatè imputabilis; ergo vt ſic ſpectatus non eſt formaliter proximè, & immediatè capax moralitatis. Conſequentia patet, antecedens probatur: voluntatis actus ſic ſpectatus non includit libertatem illam adhuc, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad proximam, & immediatam imputabilitatem; ergo vt ſic ſpectatus non eſt proximè, & immediatè imputabilis. Conſequentia patet, antecedens probatur: vt ſic ſpectatus non eſt adhuc ſub ea voluntatis indifferentia, qua continuare poſſet actum productum ſi velit, vel ſuſpendere illum ſi nolit; ergo vt ſic ſpectatus non includit adhuc libertatem illam, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad proximam, & immediatam actus imputabilitatem: cardo & vis totius huius diſcurſus conſiſtit in probatione vltimi iſtius antecedentis, & conſequentiæ. Conſequentia in primis veriſſima eſt in ſententia Scoti, qui paſſim docet creatam

tam, & increatam etiam libertatem reuocandam esse ad indifferentiam non contrarietatis effectum, vel disparitatis obiectorum; quia videlicet voluntas producere potest velle & nolle, siue velle, aut nolle hoc vel illud obiectum: sed ad indifferentiam contradictionis, qua scilicet possit velle, & non velle, vel nolle, & non nolle obiectum; hoc est, quia producere possit volendi, aut nolendi actum respectu obiecti, vel omninò suspendere vtrumque.

In huiusmodi enim indifferentia contradictionis, hoc est affirmationis, seu positionis, & negationis, seu suspensionis actus volendi vel nolendi, propriè, & formaliter consistit illius creatæ libertatis exercitium, quæ ad actus imputabilitatem omninò necessaria est. Hæc pro nunc.



DISPVTATIO II.

De essentia peccati originalis, Iustitiæ originali oppositi, & generali illius transfusione in posteros Adæ.



RDVAM sanè, atquè obscuram, maximèque difficilem, nec non angustijs, plenam aggredimur Disputationem ad cuius pleniorem explicationem, nonnulla præmittimus.

In primis error fuit Pelagij, qui (vt intelligi potest ex Augustino multis in locis) asserebat homines nasci nunc in eo statu, in quo nati essent, si Adam non peccasset; hoc est sine peccato, & sine Iustitia, cum innocentia tamen naturali. Secundò dicebat non omnes nasci obnoxios damnationi, atque ità non egere nos Baptismo ad remissionem peccati; sed ad assequendum Regnum æternum. Tertiò fomitem non nasci à peccato, sed esse naturæ bonum. Quartò mortem & reliquas calamitates huius vitæ non esse pœnas, sed necessitates. Ad hunc errorem videtur accessisse Herasmus, licèt aliquando dicat se illi non fauere; tamen in adnotationibus in D.Paulum ad Romanos quinto in illa verba (in quo omnes peccauerunt) Pelagio fauet:nam illum saltem locum ità intelligit sicuti Pelagius; quòd scilicèt sola imitatione dicat Paulus ibi intrasse peccatum in Mundum. Hunc errorem, vt docet noster Pater Castro contra hæreses, verbo (peccatum) hæresi prima, secuti sunt etiam Armeni negantes esse hoc peccatum originale; adhuc tamen necessarium esse Baptismum,vt homines consequantur Ius Regni, quod qui paruulus non susceperit, si fuerit filius fidelium, non condemnabitur: sed destinabitur Paradiso terrestri; si verò fuerit filius infidelium, condemnabitur Inferno cum Parentibus: immò & Pelagiani dicebant ex Augustino lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 17. & 20. Baptisma illi esse necessarium ad Regnum Cœlorum ex illo Ioannis

nis 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Sed nihilominùs in Resurrectione mortuorum habituros salutem, & vitam æternam; intelligit autem Regnum Cœlorum: vtrùm autem sit sola Iustitia, & sanctitas, vel sit fœlicitas; non explicatur.

Quòd autem etiam Armeni hunc errorem habuerint, docet etiam Prateolus in suo Cathalogo, verbo (Armeni) & Sandeus lib. 7. visibilis Monarchiæ Anno Domini 600. nisi quòd Sandeus refert ex sententia Bidonis Carmelitæ, Armenos asserere paruulos sine Baptismo saluari posse, necessarium tamen esse Baptismum ad consequendum Regnum.

Negàrunt etiam peccatum originale Albanenses ex Antonino 4. parte titulo 11. cap. 7. §. 5. & Castro loco citato. At verò Albanenses, qui fuerunt (vt ait Prateolus) tempore Leonis III. & Constantini VI. Imperatoris Anno Domini 796. hos tamen distinctos esse ab Albergentibus hæreticis testanturPrateolus, & Antoninus: aiunt enim Albergenses fuisse temporibus Innocentij III. & Federici II. Imperatoris, vt docet etiam Cæsareus Cisterciensis distinct. 5. Dialog. Hos tamen Albergentes eosdem etiam esse Albergentes testatur Sandeus lib 7. Anno 1225. sed hi meo judicio distinguntur.

Hunc errorem posteà suscitauit Ioannes de Varisalia in Moguntina Ciuitate, vt docet Ioannes Binderius in Compendio concertationis, tract. 1. & Zuinglius ex Brateolo, horum autem fundamentum est; quia non videtur, quidnam in pueris peccatum sit, quòd veram habet rationem peccati, nec quomodò illud traduci possit, aut qua ratione illud possit esse peccatum, quod non fit propria voluntate: siquidem videtur iniustum, quòd filius portet iniquitatem Patris, cùm Ezechielis 18. habeat: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur; & filius non portabit iniquitatem Patris.*

Catholica tamen sententia est, esse aliquod peccatum originale in nobis, quod fusè probat Augustinus multis operibus contra Pelagianos editis: sumuntur autem probationes, primò ex sacris literis. Secundò ex traditione Ecclesiastica. Tertiò ex definitione Ecclesiæ. Quartò ex testimonijs Sanctorum.

PRO-

PROPOSITIO I.

Catholica sententia est, esse aliquod peccatum originale in nobis.

PRobatur primò ex veteri Testamento, D. Augustinus multis in locis probat ex necessitate Circumcisionis iuxta illud Genesis 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illius de Populo meo, &c.* Idque præcipuè facit libro 6. de Ciuitate 16. 27. lib. 2. de nuptijs, & concupiscentia 11. lib. 2. contra Iulianum, & alibi. Secundò probatur ex verbis Tob. 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonnè tu qui solus es?* Sensus illorum est, quemlibet in se esse immundum, ac solo Diuino beneficio, & gratia fieri mundum. Tertium argumentum desumitur ex Dauide Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Hebraicè legitur in singulari, in iniquitate; sic etiam vertit Hieronymus. Quarta probatio desumitur ex Ecclesiastico 25. vbi dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Hinc enim saltem habemus effectum originalis peccati, scilicet mortis ad nos pertinere; tribui autem initium peccati mulieri, sicut Paulus 1. Timothei 2. vbi scribit illam fuisse seductam: simile quid etiam significat Sapiens Ecclesiastici 40. *Iugum graue super filios Adæ à die exitus de ventre Matris eorum*; quæ verba ad significandum originale transfert auctor librorum Hipog. lib. 5.

Probatur eadem veritas ex nouo Testamento.

PRimò probatur ex illo Ioannis primo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Sic enim legunt Græci Codices, & Latini nonnulli; ad quod fortassè peccatum respiciens Isaias 53. dixit: *Propter scelus Populi mei percussi eum*; venit enim Christus potissimùm propter peccatum originale. Secundò probatur ex illo Ioannis 9. vbi interrogant Discipuli: *Quis peccauit? hic, an Parentes eius; vt cæcus nasceretur?* Qua dubitatione significant intelligere originale, nec enim credendum est eos habuisse cognitionem origenicæ sententiæ de peccatis in alio sæculo patratis. Idque confirmatur

matur ex ijs, quæ Pharisæi dixerunt ipsi cæco; *In peccatis natus es totus*, *&c.* Tertia probatio sumitur ex ijs verbis: Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransijt.

Pelagiani interpretantur quo sensu sit peccatum transijsse in Mundum per imitationem, non verò per transfusionem.

Refelluntur primò, quia si ageret D. Paulus de peccato per imitationem, referret ad Diabolum non ad Adamum; ille enim primùm peccauit, sic Ioannes 8. dixit: *Desideria Patris vestri*, scilicet Diaboli, *vultis perficere*. Dixerat enim, vos ex Patre Diabolo estis; certè non alia ratione nisi imitatione, vt in eodem loco dicit Christus: *Si filij Abrahæ estis*, *opera Abrahæ facite.* Et Paulus Romanorum 9. filios Abrahæ vocat, qui eius fidem imitantur; Et hac ratione dixit Ioannes epist. I. cap. 3. *Qui facit peccatum*, *ex Diabolo est*. Vndè Sapientiæ 7. dicitur: *Inuidia Diaboli mors intrauit in Orbem*. Item Paulus apponit Adamo Christum, à quo venit Iustitia, non imitatione; sed transfusione vera, igitur idem dicendum de Adami peccato. Item addit: *Omnes vi vnius delicti mortuos*, *quare multò magis gratia vnius iustificati*; igitur omnes vno peccato erant aliquo modo læsi. Item dicit D. Paulus per vnum hominem; si ergo particula illa (per) significat causam exemplarem, quam homines peccando imitantur, necessariò est ab omnibus qui peccant, Adamum mente, & cogitatione voluisse, quod in multis non est: quare videtur *ly* (per) significare efficientiam veræ causæ; licet enim imitari dicuntur Achillem, qui fortiter agunt, licet de Achille non cogitent, non tamen dici possunt fortes per Achillem: At nos per Adamum dicimus peccatores; igitur aliquid amplius in nobis est, & non sola imitatio. Item si de sola imitatione ageret, debuisset dicere initium peccati esse à muliere, vt dicitur Ecclesiastici 25. *A muliere initium peccati*. Item in hac Pauli sententia comprehenduntur infantes, qui tamen non posſunt habere peccatum per imitationem Adæ; ergo necesſò est dicere contraxisſe alia ratione peccatum originale. Item eodem modo dicit mortem ingresſam, quo peccatum: at mors verè per generationem trahitur; igitur & peccatum. Item per vnius (inquit) inobedientiam multos

multos fuisse constitutos peccatores, quod per imitationem esse non potest, vbi multiplex est inobedientia. Item inobedientiæ Adami opponit obedientiam Christi; ergò clarè patet Paulum non locutum de transitu peccati in Mundum per imitationem, quin immò loquitur de transitu per veram transfusionem.

Probatur nostra Propositio ex traditione Ecclesiastica.

ECclesia semper docuit Baptismum paruulorum propter peccatum originale esse necessarium; de qua re Augustinus sæpè, & Fulgentius libro de gratia, & Incarnatione Christi cap.15. Item Sancta Mater Ecclesia semper docuit infantes si sine Baptismo carere visione Dei.

Probatur etiam Propositio nostra ex definitione Ecclesiæ.

ERror enim Pelagij pluribus Concilijs Africano, Meleuitano secundo, Arausicano cap. 1. Carthaginense quartum cap. 1. Elibertinum cap. 45. Toletanum sext. cap. 1. Toletanum duodecimum cap. 2. Innocentius Papa teste Augustino lib. 1. contra Iulianum, Leo epistola 22. 84. 91. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ; legantur Doctores Catholici pro hac parte, ne multoties dicta repetamus.

PROPOSITIO II.

Proponuntur & soluuntur argumenta aduersariorum.

PElagiani ergo primò argumentantur ex auctoritate Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Item Deuteronomio 24. *Non occidentur Patres pro filijs, neque filij pro Patribus; sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* Sic etiam habetur 4. Regum, & secundo Paralipom. 25.

Vt respondeamus, notamus hoc argumentum in multis peccare. Primò enim ponit tanquàm certum, peccatum originale non esse culpam propriam, quod est falsum: nam peccatum originale duplicem habuit etiam in Adamo rationem, fuit enim peccatum personale, & hoc modo ipsi tantum nocuit. Secundò fuit aliqua ratione peccatum naturæ; quatenùs tota natura ex Diuino decreto, & pacto in ipso contine-

ne-

nebatur, & dicitur originale; & hoc secundo modo transfunditur in omnes homines, & cùm fuerit in Adamo vnicum, fit multiplex in hominibus, & proprium, ac priuatum in singulis, & est in singulis priuata culpa. Secundò malè nititur hoc argumentum testimonio Ezechielis, & alijs locis citatis: nam possemus obijcere id, quod dicitur Exodi 20. vbi dicitur; *Deus zelotes visitans iniquitates Patrum in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem.*

Sed vt directè respondeamus, Augustinus lib. 2. contra Iulianum intelligit verba Ezechielis de nouo Testamento, quod pleniùs significat Hieronymus 31. idem docet Leo epist.86. ad Nicetum; nam cùm loqueretur de lege noua in diebus illis, ait: *Non dicent vltrà, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt; omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Rectè autem inquit Augustinus intelligi de nouo Testamento, in quo Christus deleuit chyrographum decreti; quę interpreratio si ità accipiatur, quasi in nouo Testamento peccatum originale deleatur per Baptismum, non poterit admitti: eadem enim ratione in veteri Testamento aliqua ratione idem peccatum delebatur; igitur vt vera sit, debet hac ratione explicari, vt primum, ac præcipuum discrimen inter vetus, ac nouum Testamentum sit, quod illa erat lex carnalis, hæc spiritualis: illa dicebatur corpus, hæc spiritus; illa litera occidens 2. Corinth.7. hæc spiritus viuificans: illa denique maximè circa corporalia, hæc circa spiritualia versatur; illa maximè in affligendis supplicijs, hæc in animis erudiendis. Atque ità illa dicitur lex timoris, quæ iusto non ponitur, hæc amoris quæ omnibus imposita est; illa dicitur spiritus seruitutis, Romanorum 8. hæc spiritus adoptionis filiorum Dei; illa operatur iram, Romanorum 4. hæc est lex libertatis, Iacobi primo & 2. quare de lege noua dicit Ezechiel. *Filius non portabit iniquitatem Patris*, non quòd nunc aliquando filius non puniatur pro Patre; sed quia vbi est ex natura legis nouæ, sicut olim fiebat ex natura legis veteris, quemadmodùm Paulus Romanorum 3. vocat legem veterem legem factorum, legem nouam legem fidei; cùm tamen & olim fides esset necessaria.

Secundò argumentantur Pelagiani: Parentes baptizati ca-

rent peccato originali; ergo non possunt transmittere. Augustinus lib.3.de peccatorum meritis, & reminiscentia cap.8.& 9.affert varia exempla & contra istos sic argumentatur. Pater circumcisus generat filium non circumcisum, triticum purgatum à palea generat triticum cum palea, Christianus Pater non generat filium Christianum &c. Libro primo de nuptijs, & concupiscentijs cap.19. & lib.6. in Iulianum cap.5. dicit: *Oleastrum insertum in olea non oleam, sed oleastrum producere*; ratio est, quia homines non transferunt in liberos id, quod accidit naturæ, nec quæ opere atque industria.

Tertium argumentum sumitur ex creatione animæ, quæ à Deo est; sit tale argumentum: Anima est à Deo, corpus est bonum nuptiæ; per quas ergo rimas ingreditur peccatum? Tractat hoc argumentum Augustinus lib.4. de anima, & eius origine, lib.2. de nuptijs, & concup. lib.3. contra Iulianum: nam hoc argumento Pelagiani mille insultabant Catholicos, quos hæretici appellabant quasi damnantes creationem Dei, vel nuptias. Retorquet Augustinus argumentum ostendens ipsos esse Manichæos, quòd putent malum esse à Deo malo; ostendit autem peccatum ex eo esse, quia homines sunt filij Adæ per generationem, sed de hoc argumento pleniùs infrà.

Multa alia argumenta afferebant, quæ commodiùs suo loco explicabuntur.

PROPOSITIO III.

Peccatum originale est verè & propriè peccatum.

DVrandus in 2.dist.3.quæst. 1. docet peccatum originale non posse dici verè peccatum, ac propriè sententiam Durandi sequitur Becanus Louaniensis art. 2. contra Caluinum §. *Ex his videmus &c.* Et probat, quia in Concilio Arausicano 2. Can.2. & Tridentino sess. 5. dicitur non absolutè peccatum, sed peccatum quod est mors animæ; mors autem animæ est potiùs effectus peccati; quàm ipsum peccatum.

Hanc sententiam impugnat Catherinus opusculo de peccato originali cap.5. & 6. Medina hìc art. 1. sed Catherinus ex eo tantùm impugnat Durandum, quòd senserit peccatum originale esse solùm reatum pœnarum,

quas patimur: Medina verò ex eo, quòd senserit in nobis non traduci verè, & propriè peccatum, sed tantùm pœnam; immò & eiusdem sententiæ fuisse Catherinum existimans vtrumque Pelagij erroris notauit, & quidem Catherinus immeritò reprehenditur, cùm ipse reprehendit Durandum: quòd dixerit peccatum originale non esse verè peccatum traductum per originem, sed tantùm pœnam; reprehendendus tamen est, quòd cum Durando dicat non posse esse formaliter aliquid, quod sit verè voluntarium, & imputetur ad culpam ob solam voluntatem primi Parentis, ità habet opusculo citato cap.6.

Prætereà licèt Durandus negauerit verè, & propriè in nobis esse peccatum, id tamen non ideò dixit, quòd putet non traduci aliquid in nos, quod habere possit rationem culpæ: nam vt infrà dicemus, existimat ipse peccatum originale, vel esse priuationem Iustitiæ, vel reatum ad pœnam, quòd vult esse idem, & hæc si propria voluntate essent contracti, non negaret Durandus habere propriam rationem peccati; solùm ergo negabit veram, & propriam rationem peccati esse in nobis ex origine ex defectu voluntarij, quia scilicet non est in nobis aliquid habens veram rationem voluntarij: Becanus verò Louaniensis negauit, quia putat id, quod in nos traducitur; solùm esse effectum peccati, non ipsum peccatum propriè.

Quare Durandi sententia sic impugnatur, quia in Concilio Tridentino definiatur propriam, & veram habere rationem peccati, quod in nobis tollitur per Baptismum; sequitur quòd nec defectu voluntarij, nec alia ratione dici potest non esse propriè peccatum, quod in nos traducitur per originem. Verba autem Concilij sunt hæc: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod verum & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantùm radi, & non imputari; anathema sit.* Supponit ergo esse aliquid quod veram habeat rationem peccati. Item Concilium Arausicanum 2. Canone 2. dicit; *Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est; non autem etiam peccatum, quod est mors ani-*

mæ, per vnum hominem in omne genus humanum transijsse testatur &c. vbi non tantùm peccati pœnam, sed ipsum etiam peccatum traductum definitur.

Est ergo de substantia fidei originale peccatum esse verè, & propriè, ac formaliter culpam, non quomodòcunque; sed læthalem. Tridentinum enim sess. 5. in decreto de peccato originali definit ipsum esse spiritualem rationalis animæ mortem; ergo de substantia fidei etiam debet esse ipsum idem esse imputabile habenti illud ad culpam, ergo de eadem etiam fidei substantia est idem originale peccatum esse voluntarium illi, cui inhæret, non voluntate propria, sed aliena: quod tamen intelligendum est in genere causæ dumtaxat efficientis, quoniam solus Adam fuit causa demeritoria amissionis Iustitiæ originalis, non autem in genere causæ formalis; quia sicut originale ipsum peccatum quatenùs formaliter tale, formaliter inhæret contrahenti illud, ità etiam quatenùs formaliter voluntarium, formaliter insuper inheret contrahenti: quia sicut formaliter inhæret illi quatenùs verè, & proptiè imputabile, ità etiam debet formaliter inhæsisse sibi vt merè, & propriè voluntarium; cùm voluntarium sit radix, & formalis etiam ratio imputabilitatis.

Tota difficultas nunc consistit in explicando, quomodò voluntarium alienum insit voluntati alienæ per intrinsecam nè, an verò per extrinsecam denominationem? Deindè esto, quòd primo modo vel saltem secundo, vndè fit; vt huiusmodi voluntarium respectu cuius merè passiuè se habet voluntas aliena sufficiens sit ad imputabilitatem carentiæ vel Iustitiæ originalis personæ, vel actualis rectitudinis actui debitæ?

Quantùm ad primam difficultatem, ratio dubitandi est; quia originale ipsum peccatum, & quatenùs formaliter peccatum, & formaliter imputabile est in contrahente illud per intrinsecam denominationem, ergo etiam quatenùs voluntarium debet esse in ipso per intrinsecam denominationem. Antecedens Tridentini est sess. 5. in decreto de peccato originali Can. 3. vbi definit: *Originale peccatum inesse cuicunque proprium.* Consequentia patet, quia sicut quatenùs formaliter peccatum est formaliter imputabile, ità etiam quatenùs formaliter peccatum est voluntarium; ergo sicut quatenùs

nùs peccatum formaliter intrinsecè inhæret contrahenti illud, ità similiter & quatenùs formaliter imputabile, formaliter intrinsecè inhæret contrahenti illud.

Contra tamen est, quia principium liberum à quo desumitur ratio voluntarij in originali peccato contrahendo, est omninò extrinsecum personæ contrahenti illud; ergo & ipsa etiam ratio voluntarij debet esse omninò extrinseca contrahenti originale, ergo falsum est, quòd originale peccatum sit per intrinsecam denominationem voluntarium contrahenti illud. Antecedens patet, quia in originalis peccati contractione nullum penitùs aliud excogitabile est principium liberum, à quo desumatur in ipsa, seu refundantur in ipsam ratio voluntarij, nisi vnica, & sola primi pacentis voluntas transgressione Diuini præcepti sibi, & nobis Sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, amittens. Secunda consequentia patet, quia cùm ratio voluntarij nequeat intelligi, & esse in rerum natura, nisi à voluntate, quæ sola est principium essentialiter liberum; supposito igitur, quòd huiusmodi principium sit omninò extrinsecum contrahenti peccatum originale, non apparet quo pacto ratio voluntarij, seù voluntarium ipsum reperiatur, & reperiri possit in illo per intrinsecam denominationem: & quàmuis à principio extrinseco possit induci forma in materiam extrà, etiam distantem in sententia Scoti, cùm ad ipsius aures dabilis sit actio in distans, & reipsa detur, & voluntas per consequens primi pacentis, quantùmuis extrinseca contrahenti originale peccatum; potens nihilominùs id refundere voluntarij rationem in voluntate contrahentis originale peccatum, seu potiùs in ipsam originalis peccati contractionem: hoc tamen vtcùmque defendi posset, quando ratio voluntarij, vel voluntarium ipsum esset quid physicum, vel physicus effectus, & causa productiua illius, physicè per consequens produceret ipsum; & cùm realiter etiam existeret in rerum natura, aliàs non est imaginabile quo pacto Adami voluntas post primum eius peccatum potuerit ad hæc vsque tempora, & poterit deinceps vsque ad finem sæculi infinitos ferè producere physicos effectus in omnibus, & singulis voluntatibus cunctorum hominum originale peccatum contrahentium:

tium:sed nec voluntarium vt sic, & multò minùs id de quo agitur, & quidem nec causa ipsius est physica, vel physicè operans, nec existit in rerum natura; ergo in intelligibilis quidem est huiusmodi successiua innumerabilium physicorum effectuum productio in tot voluntatibus, nedùm alienis, verùm etiam distantibus, & recipientibus insuper illos, eo vel maximè quia nihil penitùs ipsorum priùs in medio ponitur propter incapacitatem, & repugnantiam, quam habet ad illos.

Præmissæ huic difficultati omninò affirmatiuè respondendum est, id enim efficaciter probat prior ratio dubitandi, & ostendent etiam aliæ, quas mox subnectemus: sed antequàm adducamus eas in medium, ad maiorem doctrinæ & veritatis euidentiam illud prænotandum consultò decreui; originale videlicet peccatum non physicam,sed moralem tantùm maculam importare in contrahente illud, & per consequens voluntarium quod ex Adami præuaricantis volunluntate sortitur, & claudit secum non esse, nec esse posse quid physicum, sed moralem dumtaxat: aliàs passio non proportionaretur in modo essendi ei, eius est passio, immò manifestè excederet illud; quis enim est, qui dicat ens morale physicam habere passionem seu proprietatem, aut constitutum esse ex physica & morali entitate? Implicat etiam posse voluntarium esse quid physicum, cùm quatenùs tale nequeat esse nisi à principio libero, & per consequens moraliter operante; ergo nequit esse nisi effectus moraliter productus, ergo nequit esse nisi moralis effectus, & ea insuper ratione ex vi moralis productionis in voluntatem contrahentis originale peccatum refusus: vt quàmuis in genere causæ efficientis dicatur de ipsa per extrinsecam; in genere verò causæ formalis dicitur de illa per intrinsecam denominationem. Ratio à priori secundæ huius Propositionis ea est, quia cùm demeritum Adami nedùm respiciat ipsum Adamum, verùm etiam propagandos ex ipso sub ratione causæ demeritoriæ,& per consequens sub ratione causæ moraliter agentis in Adam, & in propagandos ex ipso; ergo sub ratione causæ reipsâ producentis in voluntate Adami, & in concursum cum Adamo ad propriam illius præuaricationem; quasi verò ideò dicantur perdidisse innocentiam in præuarica-

tione

tione Adami, quia ex vi alicuius physicæ continentiæ, vel moralis vnitatis simul cum ipso influxerunt in præuaricationem illius; sed vt designet, & importet causalitatem dumtaxat non physicam, sed moralem nempè demeritoriam respectu carentiæ & priuationis originalis Iustitiæ in nobis.

Ità plusquàm euidenter colligitur ex Tridentino sess.5. in decreto de peccato originali can.2. vbi decernit; quòd Adæ præuaricatio non sibi soli, sed etiam eius propagini nocuit. En igitur quomodò Concilium explicat præuaricationem Adami in ratione principij actiui respectu nocumenti & damni, quod attulit humanæ propagini. Quam actiuitatem & causalitatem explicatiùs exprimit paulò inferiùs per dictam præpositionem (*per*) dùm etiam in significatione actiua loquens inquit, vt inquinatum illum per inobedientiæ mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse; non autem est peccatum, quod mors est animæ. Id ipsum etiam colligitur ex eodem Tridentino sess.6. cap.7. in fine, vbi repetens quòd Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit primam stolam, vtitur inobedientia in casu ablatiuo, in quo semper solemus exprimere illa, quæ causalitatem aliquam important; ità vt idem omninò sit, Adamum sua inobedientia, ac Adamum ex vi suæ inobedientiæ, vel per suam inobedientiam perdidisse sibi & nobis primam stolam. In quo testimonio iterùm notandum est, quod Concilium inquit: *Sua scilicet propria, & non communi cum posteris inobedientia*. Inquit insuper, quòd *Ipse & non posteri cum ipso, perdidit sibi & nobis, &c.*

Sed audiamus prædictam causalitatem in terminis expressam à Spiritu Sancto, Romanorum 5. ità enim inquit Apostolus ibi: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in iustificationem, sic & per vnius Iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. & immediatè subiungit: *Sicut enim per inobedientiam vnius homines peccatores constituti sunt multi, ità per vnius obeditionem iusti constituentur multi*. Et suprà etiam dixerat: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, &c.* Quid clarius desiderari potuisset.

In quibus testimoniis illud est summoperè aduertendum, quòd ex vi contrapositionis & paritatis, qua D. Paulus contraponit

& comparat inobedientiam Adami ad obedientiam Christi; ea prorsùs debet admitti causalitas inobedientiæ Adami respectu nostræ condemnationis, quæ admittenda est in Christi obedientia respectu nostræ iustificationis: sed talis admittenda est causalitas in Christi Domini obedientia respectu nostræ iustificationis, vt solus Christus, & sub nulla penitùs ratione nos cum ipso per suam obedientiam meruerit nobis nostram iustificationem; ergo talis & non alia admittenda est causalitas in inobedientia Adami respectu nostræ damnationis vt ipse solus, & sub nulla penitùs ratione nos cum ipso per suam propriam inobedientiam meruerit, & attulerit nobis nostram condemnationem.

Si dicas, quòd similitudo non tenet, quia non ita Christus fuit naturale caput humanæ propaginis, sicut fuit Adamus, & ideò non potuit humana propago ità communicare cum Christo obedientiam respectu iustificationis, sicut habuit communicare posse, & communicauerit cum Adam inobedientiam respectu nostræ condemnationis.

Respondemus, sicut suprà respondimus ad hanc eamdem communicationem, seu continentiam, vel vnitatem; & dicimus insuper esse omninò falsum posteros Adami communicasse cum Adami inobedientia respectu nostræ condemnationis, ex eo quòd fuerit ipse naturale caput illorum, quia tunc nulla ratione saluari posset, quin etiam ex eadem radice communicauerit cum ipso in alijs peccatis illius, & quin etiam quilibet nostrum communicet à fortiori cum peccatis proprij Genitoris: cùm sit iste immediatiùs, quàm Adamus naturale caput filij geniti.

Si dicas iterùm, quòd & si dicta communicatio non possit colligi, ex eo quòd Adam fuit naturale caput; colligetur saltem ex eo quòd fuit morale caput humanæ propaginis. Nos iterùm respondemus ad communicationem, & vnitatem hanc moralem sicut suprà respondimus. Et addimus insuper, quòd etiam Christus fuit vniuersorum hominum, & Angelorum caput morale respectu iustificationis; & tamen nullus est, qui dicat, vel qui dicere possit nos per hoc aliquo pacto concurrisse cum ipso ad eius obedientiam respectu nostræ iustificationis. Fatemur igitur fuisse Adamum constitutum à Deo morale caput humanæ pro-

propaginis, sed sub ea ratione dumtaxat vt accipiens ipse pro se originalis Iustitiæ donum, etiam pro posteris (quorum præstitutus erat morale caput) acceperit illud, ea tamen lege; vt si obseruaret iniunctum sibi præceptum, vt pro se, & pro posteris, tunc conseruaret originalem Iustitiam: sed si transgrederetur Diuinum mandatum, pro se, & pro posteris tunc amitteret illam; vndè fit, quòd quando posteri Adæ dicuntur accepisse, & amisisse originalem Iustitiam in illo, non ità intelligendum sit, quòd ipsi simul cum ipso, non vt in se ipsis; sed vt in ipso ex vi physicæ continentiæ, vel ex vi moralis vnitatis, & communitatis voluntatum eadem communicatione receperint, & eadem communi transgressione perdiderint originalis Iustitiæ donum; sed in eo sensu tantùm accipiendum est, vt in illo scilicet per illum, seu mediante illo acceperimus, & amiserimus originalis Iustitiæ donum.

***

PROPOSITIO IV.

Proponitur alter modus explicandi rationem voluntarij in peccato originali.

NOtandum est, quòd voluntarium per participationē est necessariò tale ab eo, quod est per essentiam tale; vel quòd est voluntarium voluntate aliena, necessariò est tale à voluntario voluntate propria: huiusmodi tamen participatio voluntarij per essentiam, seu voluntarij quod est tale non aliena, sed propria voluntate nequit concipi, fieri, & esse; nisi vbi participans est aliquid eius, quod est voluntarium per essentiam, & nisi quod est voluntarium per essentiam moueat id, quod est tale per participationem ab eo, vel motione imperatiua qua voluntas mouet omnia corporis membra, vel generatiua qua primus homo per seminalem rationem ab ipso dimanantem, veluti propria membra, propriam ipsius naturam participantia, seu in & cum propria eius natura conuenientia ad proprium illorum esse, & existere mouet omnes, & singulos propagatos ex ipso; vndè fit, vt sicut corporis

membra imperio voluntatis mota participant rationem voluntarij per essentiam,seu vt sic mota dicuntur, & sunt voluntaria; non propria, sed aliena voluntate: vel dicuntur talia non per intrinsecam, sed per extrinsecam denominationem; ità etiam omnes, & singuli homines ex primo homine propagati propagatione, seu simili ratione ab ipso deriuata ad proprium ipsorum esse moti, & promoti in ipsa eadem illorum propagatione participare dicuntur rationem voluntarij per essentiam primi hominis: vel eorum promulgatio dicitur voluntaria non propria, sed aliena voluntate; seu non per intrinsecam, sed per extrinsecam denominationem. Fundamentalis ratio memoratæ similitudinis in eo consistit, vt sicut ideò corporis membra voluntatis imperio mota, rationem voluntarij per essentiam eiusdem voluntarij per essentiam eiusdem voluntatis imperantis participant, quia sunt aliquid eiusdemmet voluntatis imperantis; ità similiter propagatorum generatio, seu positio in esse simili ratione ab ipso deriuata, & posita in esse participare dicitur rationem voluntarij per essentiam primi hominis:seu dicitur voluntaria non propria, sed aliena voluntate; vel dicitur talis, non per intrinsecam, sed per extrinsecam denominationem. Hinc demùm fit, vt sicuti membra voluntatis imperio mota,imputabiliter mouentur; ità etiam propagati ex Adam seminali ratione ab ipso deriuata ad proprium ipsorum esse, & existere moti, & promoti imputabiliter moueri,atque promoueri dicuntur ad illud.

Hanc rationem voluntarij explicat S.Thomas quæst.8.artic.1. per similitudinem membrorum, quæ in eodem corpore mouentur ab vna totius hominis voluntate: nam motus ipsius manus, quo occidit, non esset peccatum; neque imputaretur manui secundum se, quia ab illa non est voluntarius: sed imputatur manui, in quantum est aliquid hominis, quia mouetur à voluntate totius hominis; ità etiam inordinatio, quæ est in isto homine descendente ab Adamo non est voluntaria voluntate propria ipsius hominis: sed voluntate sui primi Parentis,qui mouet motu generationis omnes, qui ex eius deriuantur origine.

Multis hoc exemplum impugnat Catherinus opusculo citato cap.6.licèt illud defendat Caieta-

ietanus & Medina. Certè exemplum illud non debet in omnibus esse simile, sed in eo solùm quòd sicut actiones membrorũ; quia membra vnita sunt in ipso toto, & sunt aliquid illius, sunt voluntaria voluntate totius: sic etiam peccatum cuiuscumquè, quia quisquè fuit in Adamo (quando ille peccauit) existens in lumbis eius, ideò fuit voluntarium voluntate ipsius Adæ, & vt notat nobilis quidam Thomista in illo articulo, hoc voluit solùm Angelicus Magister, vt doceret, quòd omnes homines voluntate primi Parentis; cùm sit vnus homo in natura humana, quam accipiunt ex Adamo, quare reputantur voluntate illius peccare. Et cùm docet, quòd omnes in Adamo intelliguntur quasi ciues, qui sunt vnum corpus, non vult S. Thomas ostendere; quòd sola cõmunitate in natura generica, vel specifica, vel per prędicationem peccatũ primi Parentis nobis conueniat, nec verè peccatum possit esse, sine proprio consensu, ex voluntate superioris: sed quia in Adamo erat natura nostra traducenda in posteros, & in eo virtualiter omnes eramus; ideò eius voluntas, nostra reputatur, vt ex illa in nobis possit esse peccatum. Nec tamen ratio voluntarij deriuatur à voluntate primi Parentis solùm ex eo, quòd cæteri homines in ipsius lumbis fuerint, sicut in causa propaginis; quia etiam nunc quisque dicitur esse in lumbis sui Patris, quando ipse peccat: & tamen ex voluntate Patris peccantis non deriuatur aliquis effectus in filium, qui habeat rationem voluntarij.

Quare ideò nostra originalia peccata sunt verè, & propriè peccata habentia rationem voluntarij, quia defectus in nobis existens in natiuitate, quicunque ille sit, habens rationem peccati ex pacto Dei; quod cùm Adam commissum est voluntate illius accipientis pro se, & tota proprietate donum Iustitiæ, etiam defectum oppositum (quicunque ille sit) vt vnum in suis filijs ex ipsius voluntate, ex qua voluntate in nobis habet rationem voluntarij. Quod verò donum Iustitiæ, & defectus habens rationem peccati, commissum sit Adæ voluntate, constat.

Ratio ista voluntarij explicari solet hoc exemplo: vt si Rex alicui dignitatem filij conferret, & ipsum in filium adoptaret, ratione cuius filiationis multa illi dona promitteret, eamque adoptionem tàm illi quàm eius po-

steris contulisset, propter quam tota posteritas multis donis priuilegijsque gauderet; eo tamen pacto quòd si ille peccatum in Regem committeret, non tantùm sibi, sed etiam toti suæ posteritati & filiationem perderet, & seruitutem incurreret: & insuper propter prædictam filiationem, & ipse, & tota posteritas omnia illa dona, & priuilegia filiorum amitteret. Certè tunc defectus ille filiationis in posteris ex voluntate primi Parentis voluntarij rationem haberet, & non voluntate personali, sed voluntate (vt aiunt naturali primi Parentis) vndè origine, & natura, siue natiuitate voluntarius esset ille defectus; & si ille ex se haberet rationem Iustitiæ, esset quidem originale peccatum voluntarium voluntate primi Parentis propagantis naturam, & ratione illius defectus quisquis ex posteris Regi esset inimicus, & dignus, qui priuaretur cæteris donis, & priuilegijs: & quia quando nostri alij Parentes peccant suæ voluntati, à Deo non est commissa nostra Iustitia, nec defectus aliquis alius posterorum; ideò nihil in ipsis esse potest, quod sit defectus voluntarius voluntate primi Parentis, habeatque veram rationem peccati.

Quas habeat difficultates hic modus explicandi rationem voluntarij in peccato originali, notauimus suprà.

PROPOSITIO V.

Proponuntur & soluuntur argumenta probantia peccatum originale non habere verã, & propriam rationem peccati.

DVrandus in 2. dist. 30. qu. 1. docet peccatum originale non posse dici verè, & propriè peccatum; quia non habet voluntarium requisitum ad rationem culpæ. Probatur primò, quia Aristoteles in Ethica docet; quòd per ea, quæ nobis à natura insunt, nec laudamur, nec vituperamur: sed potiùs misericordiam meremur, si sunt defectus à natura; solùm autem reprehendimur (inquit) propter vitia, quæ in nostra sunt potestate: sed peccatum originale non est in nostra potestate; ergo ob illud meritò reprehendi non possumus, non ergo habet rationem peccati.

Secundò de ratione peccati est voluntarium, sed originale non est propriè voluntarium; ergo &c. Quod autem non sit vo-

voluntarium probatur, quia non eſt voluntarium voluntate propria, ſed aliena: at aliena voluntas, non dicitur propria noſtra voluntas; ergo quidquid ea volũtate eſt voluntarium nõ eſt propriè mihi voluntarium, ergo non eſt propriè mihi peccatum: quàmuis enim aliena voluntas mihi imputetur, & mihi ſit voluntarium; hoc tamen ſolùm contingit, quando ego voluntate mea committerem aliquid faciendum alicui: ſed hoc modo non poteſt pueris eſſe voluntarium originale peccatum; quia non commiſerunt illud voluntati primi Parentis. Alio ergo modo voluntaria pueris debet eſſe voluntas primi Parentis, quia ſcilicet Adæ voluntas dicitur fuiſſe omnium poſterorum, qui ab eo naſcituri erant naturali propagine in quantum ipſe pro ſe ſuiſque poſteris, aut conſeruandam, aut amittendam accepit Iuſtitiam originalem, & quę ipſam conſequebantur; at hoc genus voluntarij tantùm eſt interpretatiuum ipſis paruulis natis ex Adamo, ergo illud originale non eſt propriè voluntarium.

Immò docet Durandus, quòd in Adamo, qui propria ſua voluntate reos nos fecit originalis; non fuit propriè noſtrum peccatum voluntarium & per ſe, ſed interpretatiuè tantùm, & indirectè: directè enim Adam tantùm voluit comedere de ligno vitæ, vt vxori complaceret; conſequenter tamen, & indirectè voluit ſe ſpoliare gratia, & per ſe omnem ſuam poſteritatem, ſolùm ergo ſecundum ſe non fuit noſtrum peccatum, quidquid illud ſit voluntarium voluntate primi Parentis: ſed quia ſecundum ſe non eſt voluntarium, ideò nec eſt propriè voluntarium, nec propriè peccatũ; & tantùm abeſt (inquit Durandus) quòd in primo Parente propriè, & per ſe fuerit voluntarium, quod potiùs illi fuit inuoluntarium, ſiquidem illi maximè diſplicuit.

Tertiò probatur, quia nullus poteſt peccare in eo, quod vitare non poteſt, ex Auguſtino lib. 7. de libero arbitrio cap. 18. ſed non eſt in poteſtate paruulorum, qui ex Adamo naſcuntur, euitare priuationem Iuſtitiæ, vel quidquid aliud dicatur eſſe peccatum originale; ergo non peccant in eo, quod contrahunt per originem ex Adamo, etiam ſi volũtate ſui primi Parentis illud accipiant per traductionem, ſeu transfuſionem.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Respondetur ad argumenta.

AD primum desumptum ex Aristotele dicente, quòd nullus reprehendi potest ob defectum, qui non est in sua potestate, sed habet ex origine. Respōdet Richardus in 2.dist.30. art.1. quæst.1. *Ad tertium*, quod non est eadem ratio de cæcitate, v. g. quam quis habet natura sua; & de hoc defectu, quia cæcitas non est aliqua deordinatio animæ: vndè nec vitium esse potest, sed quod traducitur ex Adam, est deordinatio animæ, & consequenter vitium pugnat contra hoc, quia licet peccatum hoc sit animæ inordinatio; ex eo tamen quòd non est in nostra potestate, videtur quòd propter illud non sit quis dignus reprehensione, quod tantùm ea ratione Aristotelis probatur: nam cur reprehendetur aliquis de eo, quod vitare non potuit?

Ad argumentum respondet Scotus in 2.dist.32.quæst.1.§.*Ad argumenta*; nullum alium defectum esse reprehensibilem à natiuitate prouenientem, nisi hunc: & ideò (inquit) licet alij omnes sint pœna, hic tamen verè culpa est, nec mirum sit; si Aristoteles oppositum doceat, cùm tale peccatum sola fide constet. Pro clariori solutione legantur, quæ diximus de ratione voluntarij suprà in Propositione quarta.

S. Thomas hic ad quintum docet defectum traductum in posteros Adæ, quia habet veram rationem peccati esse reprehensibilem in eo, qui illum habet, non si consideretur vnusquisque secundum se in ordine tantùm ad propriam voluntatem; sed si consideretur in ordine ad suum principium, scilicet ad Parentem, qui sua voluntate traduxit illum defectum ratione illius talem defectum esse reprehensibilem.

Videtur durum hoc, quia si quis exprobraret puerum habentem originale, cur ita nasceretur; stultus esset, si ipsum increparet ratione voluntatis Adæ: sic enim aut solùm increparet Adam, aut puerum nulla ratione increpare posset.

Possumus dicere duplicem esse increpationem, aut enim est damni pœna consistens in aliqua priuatione & damno, aut est pœna sensus & afflictionis: nam increpatio, aut exprobratio idem videtur esse; quòd pœna; frequentiùs tamen vsurpantur

hæc

hæc duo, pro vt denotant pœnam sensus inferentem afflictionem aliquam, & ignominiam verbis. Quo sensu accipit Aristoteles loco citato, vbi loquitur de his, quæ sunt in nostra potestate, & propter quæ digni sumus vituperio, vel laude, gloria, & præmio; quod in laude consistit, & pœna quæ in opprobrij, ac increpationis afflictione sita est. Sic enim verissimum est, quòd nullus increpari potest ob defectum, qui in natiuitate concipitur; quod etiam verum existimo de peccato originali, quòd licet verè, & propriè peccatum sit, & iniustitia, propter quod præuidebatur ex voluntate primi Parentis: tamen non debetur illi increpatio, verbis &c. nec vlla pœna talem inferens afflictionem, ac ignominiam; hanc enim meruit Adam, & propria est peccati ex propria cuiusque voluntate commissi: sed originali peccato debetur sola pœna in priuatione consistens, & hoc tantùm opprobrio dignum est, & hac pœna, quæ communiter increpatio non dicitur; & si aliqui sunt, qui Parentum pœnam patiuntur, nullus tamen est, qui illos propter hoc incepet: sed solùm patiuntur pœná in priuatione alicuius honoris, vt dignitatis consistentem, quæ saltem in ipsis per accidens est causa doloris, & afflictionis; sed non in pueris, qui tantùm eandem priuationem patiuntur. Vndè immeritò Catherinus loco citato cap.6. vt ostendat fomitem appetitus non esse peccatum ex eo probat, quòd nihil in nobis existens potest habere veram rationem voluntarij, vt peccatum esse possit; in quo cum Durando videtur sentire, iisdem argumentis inductus, quę suprà pro Durando adduximus.

Hinc etiam soluitur tertium argumētum ex Augustino, quòd scilicet nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Respondet primò Scotus quæstione, & paragrapho citatis, *Ad secundum*, quòd peccare dupliciter contingit; vel quia aliquis elicit actum peccati, vel quia habet peccatum. Primo modo verum est, quòd nullus actu peccat in eo, quod vitare non potest; & sic paruuli non dicuntur peccare: sed si secundo modo accipiatur, non est verum, quòd quis peccare non possit in eo, quod sua voluntate vitare non potest; est tamen verum, quòd non peccat nec secundo quidem modo in eo, quòd nec sua nec alterius voluntate (quæ habetur vt propria)

pria) vitare non potuit. Sic etiam docet Medina, quòd paruuli saltem voluntate primi Parentis peccatum hoc vitare potuerunt: eodem modo respondet Richardus dist.3. art.1.qu.1. *Ad secundum*, & videtur corrigi ex Augustino lib. 1. retractationum cap. 15. vbi docet, quòd paruuli tenentur rei; quia ex origine tenentur eius, qui non fecit, quod facere potuit, Diuinum scilicet seruare mandatum. Fateor difficultatem, tamen puto sufficientem habere solutionem ex doctrina nostræ quartæ Propositionis suprà positæ.

Posset responderi, quòd pueri non dicuntur peccasse peccato originali, quod contraxerunt, quia verè peccauerint: nam peccare nullus dicitur, nisi actuali peccato, & actuale peccatum nulli imponitur, nisi possit illud sua voluntate vitare; quare pueri non dicuntur ipsi peccasse, nisi addere velis in Adamo, quòd qua ratione possit, docet quarta nostra Propositio.

Ad secundum de voluntario respondet, quòd voluntarium non est de ipsa formalis ratio peccati, sed tantùm conditio necessaria vt fundamentum totius generis moris; & itá licèt peccatum sit directè, vel indirectè per se, vel per aliud peccatum, tamen eiusdem rationis est, quia qualecunque voluntarium sufficit vt conditio, & fundamentum generis moris: sed sicut sunt diuersa genera peccatorum, actuale ex vna parte, ex alia verò originale; ita etiam diuersa ratio voluntarij requiritur in vtraque, & in originali requiritur voluntas alterius, à quo per originem deriuatur: in actuali verò personalis eiusdem, qui peccat, voluntas.

Illud verò quod dicit Durandus, quòd scilicet respectu Adæ priuatio Iustitiæ originalis non fuit directè volita, immò fortasse inuoluntaria secundum se, quæ potiùs displicuit, parùm refert; quia ad rationem nullius peccati etiam actualis (in quo maius voluntarium requiritur) est necessarium vel voluntarium, quòd directè feratur in peccatum, vt tale est, immò nec in ipsum actum peccati.

Denique nihil valet, quod affert Becanus Louaniensis; quòd scilicet illud quod in nobis traducitur, est effectus peccati, & non peccatum, cùm in Concilio Tridentino, & Arausicano dicatur esse mors animæ, quæ est effectus peccati: hoc ergo non valet, quia quodcunque peccatum

tum

tũ est mors animæ apud Deum, & non tantùm causa huius mortis; quia est ipsa ratio inimicitiæ erga Deum, quæ est vera animæ mors.

PROPOSITIO VII.

Subsequuntur & soluuntur alia argumenta idem probantia.

ALiud argumentum, videri admodùm rigidum Dei consilium in hoc negotio; nimirùm voluisse constituere omnium hominum voluntates in primo Parente, vt ipso peccante omnes peccarent, conciperentur filij iræ inimici Deo, & addicti æternæ pœnæ. Confirmatur, quia seuerissimè ageret Imperator, qui propter vnius Ducis delictum vellet omnes posteros eius nasci inimicos Deo, aut saltem Imperatori; ergo credendum non est id factum fuisse à sapientissimo & pijssimo Mundi Imperatore. Respondetur hoc Dei consilium fuisse plenum sapientia, & bonitate: primum enim si in ipso Adamo constitutæ sunt voluntates omnium, non solùm id factum est ità, vt eo peccante peccarent; sed etiam iustitiam originalem, atque adeò fœlicitatem maximam in Conceptione obtinerent, si ipse non peccaret. Quod meritò perpendit S. Anselmus libro de peccato originali cap. 22. vt conuenientissimum ad ostendendam magnitudinem bonitatis Dei: Deindè Deus cùm sit Dominus omnium, absque nulla iniustitia hoc facere potest, & tam generale peccatum permittere. Denique hæc ipsa permissio fuit apprimè conueniens, & Deo maximè gloriosa; quia indè sumpta est Incarnationis mysterij occasio, indè deriuata gloriosa ipsius Christi Domini, per quem decuit omnia instaurari: prouenit etiam Martyrum gloria, Virginum palma, Confessorum inuicta patientia, prædestinatorum in tanta naturæ imbecillitate salus, & alia innumera bona; quæ non ità lucerent in statu innocentiæ, qui erat incapax mortis, & laborum.

Ad confirmationem respondetur Imperatorem non habere dominium voluntatum quò ad culpam, vt propter eius voluntatem filij Ducis nascerentur inimici Deo; poterat quidem propter peccatum Parentis priuare filios aliqua dignitate, aut honore, quem hæreditario Iure, aut ex ipsius Imperatoris beneplacito habituri erant, & id non

esset ità rigidum, vt non soleat interdùm accidere. Sed licèt daremus hoc esse illicitum homini, non propterea esset denegandum Deo, qui Dominus est suarum creaturarum, & sua sapientia ità nouit omnia disponere; vt ex peccato filiorum desumat occasionem conferendi maiora bona, vndè S. Anselmus supra cap.27. *Aliter* (inquit) *Deus erga infantes debet agere, aliter homo: nam homo non debet exigere à natura quod ipse non dedit, & quod ipsi non debetur.*

Aliud argumentum, peccatum habituale solùm perseuerat, quandiù non deletur peccatum actuale: sed actuale peccatum Adami iam deletum est, & fortasse etiam antequàm aliquem filium generare remissum est; ergo in posteris eius nullum remanet peccatum originale, quod (vt diximus) est habituale. Confirmatur, quia non est magis potens culpa, quàm gratia: sed Adamus ratione suæ culpæ dicitur generare filios peccatores; ergo ratione gratiæ, quam posteà habuit, & quam modò habent plures Parentes (cùm generant) producent filios infinitos gratia, ac proinde sine peccato. Respondetur concessa maiori, delinquendo minorem: fuit enim Adæ peccatum remissum quatenùs erat personale, & ità in eius persona non mansit; non tamen fuit delictum in quantum originale, seu naturale, idest noluit Deus condonare culpam illam, nisi quatenùs Adamum reddebat Deo inimicum, & ità semper mansit, & manet Ius transfundendi illud ad posteros media generatione naturali.

Ad confirmationem, gratia post peccatum collata Adamo, & quam modò habent justi Parentes, est solùm gratia personalis; ac proindè non confertur, vt ad posteros traducatur: prima verò transgressio Adami fuit patrata originaliter, idest nomine omnium; & ideò in illos transfunditur. Explicuit hanc solutionem eleganter S. Augustinus libro de peccato originali cap.40. *Regeneratus* (inquit) *per Baptismum, in quo gratiam accipit non regenerat filios carnis; sed generat ac per hoc in eos, non quòd regeneratus, sed quòd generatus est, traÿcit.* Quasi diceret, Parens non generat mediante gratia, vt illam transfundat: sed mediante natura, seu medio semine, quod ita vitiatum est, & cum natura transmittat, & culpam.

Tertium argumentum, plùs profuit Christus Dominus nobis, quàm

quàm nocuit Adamus: sed pueri quando primùm concipiuntur, participant peccatum Adæ; ergo deberent potiùs participare gratiam Christi Domini. Respondetur negando consequentiam, quia sicut pueri tunc solùm participant culpam Adæ, quando fiunt illius membra: per generationem; ità vt participent Christi Domini gratiam, debent fieri membra eius per regenerationem in Baptismo: gratia autem tunc illis collata ex meritis Christi Domini iuncta cum alijs donis, quæ habet Ecclesia, excedit damna quæ ab Adamo prouenerunt.

Quartum argumentum, si daretur originale peccatum, forent illicitæ nuptiæ, consequens est hæreticum; ergo antecedens est falsum. Consequentia maioris probatur, quia si cùm Pater generat filium, iste contraheret originale peccatum, Pater esset causa maximi mali, quod in filium traducitur, & à quo sæpè non liberatur; quia moritur ante Baptismum: sed esse causam tanti mali est illicitum; ergo & nuptiæ forent illicitæ. Confirmatur primò, quia peccatum originale est maius malum, quàm omnis pœna, immò excedit grauitate omnia peccata venialia: sed nullus potest licitè inferre alteri maximum malum pœnæ, aut illum inducere ad peccatum veniale; ergo nec potest esse causa peccati originalis. Confirmatur secundò, quia Deus creat amicum, quæ cùm primùm creatur, contrahit originale; ergo Deus etiam foret causa peccati originalis, quod est absurdum.

De hoc argumento iam suprà disputauimus, nihilominùs respondetur negando consequentiam; & ad probationem dicitur Patrem non velle originale, nec esse propriè causam illius: sed solùm permittere illud, quatenùs vult generare; licèt sicut ad puerum deriuatum in peccatum originale propter culpam primi Parentis, quam non potest iam euitare. Rectè autem potest non solùm Deus, sed etiam homo permittere peccatum alterius, maximè quando præponderat maius bonum, vt in præsenti perspicuè cernitur.

Ex quibus patet ad secundam confirmationem, Deus enim non est causa peccati originalis, quia illud non prouenit ab anima vt creatur à Deo: sed vt infunditur corpori, & cum illo constituit prolem Adami, qui nomine totius posteritatis voluit transgredi præceptum Dei; præterquàm quòd peccatum originale permis-

sum est à Deo propter bona multa excellentiora.

DIFFICVLTAS.

Vtrùm sit necessaria connexio inter originale peccatum, & actuale.

MOnemus quòd absolutè loquendo, non habet actuale peccatum necessariam connexionem cum originali, quia quantùmuis nullum penitùs præstiterit in Angelis, & in primis Parentibus originale; plurimi nihilominus Angeli, & ipsi etiam primi Parentes in actuale prolapsi sunt. Sed an pro statu isto saltem habeat necessariam cum ipso connexionem: dicendum est, quòd de possibili loquendo nulla est implicatio, quin pro statu isto dari possit in homine originaliter innocente actuale dumtaxat peccatum; & econtrà cum originali solummodò sine omni actuali: de facto verò loquendo necessariam habet cum illo connexionem, & hoc ex duplici capite. Primò quia originale non dimissum, seipso formaliter influit vt causa in actuale; si tamen deletum sit, influit in illud virtualiter, media videlicet concupiscentia, quæ est proprius effectus eius iuxta illud Tridentini sess. 5. in decreto de peccato originali Can. vlt. vbi decernit: quòd & si concupiscentia, quæ remanet in baptizatis, nullatenùs sit peccatum; à peccato tamen est, & ad peccatum inclinat. Secundò quia Adam sicut amisit sibi totalem innocentiam, originalem videlicet, & actualem, ita perdidit illam & nobis; ea tamen lege vt vniuersis, & singulis eius posteris infantibus amiserit originalem, omnibus verò & singulis adultis actualem: & ex hoc capite fit, vt quantùmuis absolutè seu de possibili loquendo non sit necessaria connexio originalis cum actuali, nec actualis cum originali; de facto tamen loquendo tanta est inter vtrumque mutuæ connexionis necessitas, vt infallibili consequentia alterum alterum inferat, seu amissio alterius innocentiæ alterius inferat amissionem: vndè optima, & infallibilis consequentia est ab amissione actualis ad amissionem originalis innocentię; & optima item & necessaria est illatio ab amissione originalis ad amissionem actualis innocentiæ. Istorum ratio à priori est, quia cùm Deus eam statuerit legem, vel illud iniuerit pactum cum primo Parente; vt si Diuinum obseruaret ipsi datum præceptum de non comedendo de ligno,

gno, quod erat in medio Paradisi, & sibi, & posteris suis conseruaret sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, & econtrà si transgrederetur illud, & sibi, & posteris suis perderet eam: cùmq; Adam reipsà transgressus fuerit memoratum prçceptum, & sibi, & nobis per consequens perdidit sāctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, sanctitatem, & Iustitiam; quæ originalem simul & actualem comprehendebat: nam non minùs constitutus fuerat Adam in actuali, quàm in originali sāctitate & Iustitia; hinc igitur fit, vt infallibiliter vniuersi, & singuli naturaliter propagati ex Adamo cum carentia originalis Iustitiæ concipiantur, & illi omnes qui ex ipsis aboleuerint, in actuale aliquod peccatum labantur, & infallibilis perconsequens sit illatio ab amissione actualis, ad amissionem originalis innocentiæ, & econtrà ab amissione, ad amissionē actualis innocētię. Et quàmuis in huius generis moralibus positio causæ non ità infallibiliter arguat positionem effectus, sicut positio effectus arguit positionem causę; si tamen concurrat cum causę positione Diuinum decretum, cuius virtute conditionatè statutū sit, quòd adimpleta conditione decreti ad positionē talis causę ponatur talis effectus, semper erit infallibilis, & necessaria illatio à positione talis causæ, ad positionē talis effectus: infallibilis (inquam) & necessaria non necessitate simpliciter, & absoluta; sed necessitate suppositionis & consequentiæ, vt dicunt. Conditio hìc decreti, seu pacti Diuini erat possibilis transgressio præcepti à Deo Adamo iniuncti; posita igitur in esse huiusmodi conditione, sicut reipsà posita fuit & adimpleta, decretum illud conditionatum veluti transijt in naturam absoluti, & per consequens tanta est ex vi illationis infallibilitas & necessitas à positione originalis ad positionē actualis, quanta est à positione actualis, ad positionem originalis peccati.

Prædicta connexionis, & illationis mutuitas, quam intercedere dicimus inter originale, & actuale peccatum ex præfati decreti positione, & conditionis in ipso inclusæ adimpletione inobedientiæ videlicet Adami; qua nedum sibi, sed nobis omnibus etiam perdidit sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, suam ducit originem: quo fit vt si ex hypothesi non intercederet inter originale, & actuale relatio causæ & effectus, adhuc positio vnius infallibiliter inferret alterius positionem in adultis; sed

quia

quia cum hac præmissa mutua connexionis ratione inter originale, & actuale concurrit alia non mutua, quæ est actualis cum originali: non autem econtrà, quia cùm actuale sit effectus originalis, & originale secundum nullam penitùs rationem effectus sit peccati actualis in eadem persona, actuale igitur necessariò arguit, & supponit originale, non autem originale actuale; quia nunquàm causa necessariò habet coniunctum effectum, nisi sit causa physica naturaliter agens, vel moralis aliundè recipiens necessitatem, seu infallibilitatem influendi in effectum, sicut contingit in casu nostro; quia originale formaliter sumptum, moraliter dumtaxat influit in actuale, & si habet vt infallibiliter, & necessariò influat in illud, hoc non habet ex intrinsecis suis; sed aliundè ex posito videlicet præfato decreto, seu pacto inito, & adimpleta conditione in ipso inclusa, vt dictũ est.

Supposita igitur veritate hac Catholica, nempè quòd omnes, & singuli naturali propagatione descendentes ex Adamo trahunt peccatum originale, & supposito insuper quòd originale sit causa actualis peccati; actuale etiam quatenùs effectus originalis arguit, & necessariò infert idem originale, sed originale vt causa actualis non ità necessario infert actuale, sicut actuale quatenùs effectus originalis infert illud vt propriam sui causam, nisi consideretur originale vt morale instrumentum præuaricationis Adami præfatum connotando, Diuinæ voluntatis decretum seu pactum Adamo initum, & veluti cum ipso intimatum: quo Deus statuit, vt si contingeret, quòd Adam initum ab ipso illi transgrederetur pręceptum, eius transgressio tunc causa foret, cur omnes ipsius posteri cum carentia originalis Iustitiæ, & per consequens cum originali peccato conciperentur; & originale ab illis concreatum causa etiam esset actualis peccati, seu potiùs omissionis innocentiæ actualis in adultis.

Quàmuis hæc videantur benè dicta, nihilominùs tamen si res attentiùs examinetur, non erit explicatu difficile; quòd quemadmodum actuale quatenùs effectus est originalis, necessariò infert originale vt causam ipsius: ità etiam & originale quatenùs causa actualis necessariò infert idem actuale, atque adeò sicut hæc est infallibilis consequentia ab amissione actualis innocentiæ ad amissionem originalis; sic etiam econ-

trà infallibilis consequentia est ab amissione originalis innocentiæ, ad amissionem actualis in adultis. Ratio à priori est, quia implicat posse amissionem innocentæ originalis, seu peccatum ipsum originale, quatenùs causa est actualis peccati præscindere à memorato Dei decreto seu pacto, & eiusdem Dei decreti conditione per Adamum adimpleta; ergo ideò originale est causa originalis peccati, quia id habet ex dicta Dei lege seu pacto & conditione non adimpleta per Adam: ergo sicut ex eodem pacto & conditione non adimpleta, infallibiliter ponitur in posteris Adam amissio originalis innocentiæ; ita etiam in amissione eiusdem originalis innocentiæ quatenùs causa est peccati actualis, infallibiliter sequitur commissio eiusdem actualis peccati. Prima consequentia patet, antequàm tamen probetur secunda & antecedens, ad hoc vt vtriusque probatio clariùs elucescat, simulque liquescat quid intelligatur, & intelligimus per præfatam Dei legem, decretum vel pactum; consultò duxi adducendum esse huc id, quod Scotus subtiliter ad rem nostram docet in 2. dist. 32. quæst. 1. §. *Respondeo ad tertium principale*, vbi habet hæc formalia verba: *Ad tertium dico, quòd ad istud peccatum* (originale videlicet) *concurrunt duo carentia Iustitiæ, scilicet vt formale, & debitum habendi eam vt materiale, sicut in alijs priuationibus concurrit priuatio, & habitudo ad habitum. Debitum istud est à Deo statuente legem istam: do Iustitiam tibi Adæ, & omnibus filijs tuis naturalibus, do eadem datione quantum est ex parte mea; & ideò ex hac conditione tenentur omnes eam habere, & ex Patre propagante per cuius actionem interest filius naturalis Adæ, ergo ob debitum per nullas rimas ignotas intra, sed per istas duas causas positiuas: illa autem carentia non habet causam nisi negatiuam, scilicet non dantem Iustitiam originalem, cuius si quæratur vlteriùs, causa non est nisi demeritoria; quia scilicet Adam demeruit, nè Iustitia originalis daretur: negatiua non dans, Deus est; demeritoria quare non datur Adam peccans, &c.* Hæc Scotus ibi.

Ex quibus verbis statim liquescit, quæ sit, quam in hac parte statuit Deus dandi, videlicet vna & eadem datione originalem Iustitiam Adamo, & filijs eius naturaliter descendentibus ab ipso; eo tamen intercedente inter illum & istos dissidio, vt reipsà dederit eam Adamo: posteris verò illius in præparatione animi non

abso-

absolutè, sed quantum erat ex parte sua, hoc est conditionatè, sub conditione videlicet; quòd Adam obseruaret præceptum, quod illi iniunctum erat de non comedendo de ligno, quod erat in medio Paradisi.

Ex huiusmodi datione quantùmuis in præparatione animi, seu voluntate antecedente, & conditionatè facta omnes naturaliter propagati ex Adam debitum contraxerunt habendi exhibitam illis originalem Iustitiam; quia quodlibet donum etiam quomodolibet, siuè reipsà siue in præparatione animi, & conditione elargitum, si per dantem non stat, vt reipsà præstetur ijs, quibus exhibitum semper debitum secum affert eiusdem, quibus fuit oblatum, vt fusè docet Scotus vbi suprà sub lit. C. §. *Respondeo*, *non faciendo mentionem*, *&c.*

Hac à Deo lata lege, vel hac ab ipso expressa sui voluntate, dandi videlicet posteris Adam originalem Iustitiam; sub conditione tamen, quòd obseruaret præfatum præceptum ab eo ipsi iniunctum: factum est non adimpleta per Adam transgredientem præceptum positæ legis, seù initi pacti conditione sibi & posteris inobedientiæ suæ merito acceptam à Deo originalem Iustitiam perdidit, hoc est proprio eius demerito hæc fecit; vt iustissimè Deus denudaret ipsum originali Iustitia, quam de facto acceperat, & adeò denegaret nobis eam, vt nusquàm acciperemus eam, & conciperemur per consequens ipsa spoliati: atque adeò supposito memorato debito habendi eam cum priuatione, & carentia illius, & per consequens cum originali peccato, quod ex præfato debito, & ex proprio materiali, ac originalis Iustitiæ carentia, vt ex proprio constituitur, poniturque in esse; sicut ergo adimpleta per Adam legis datæ, vel initi pacti conditione, hoc est obseruato dicto præcepto infallibiliter Deus conseruata priùs in ipso originali Iustitia reipsà communicasset illam posteris eius: ità econtrà violato ab Adam præcepto, Deus denudat ipsum Adam; eaque eius posteros.

Diuino igitur præcepto ab Adam violato, & non adimpleta per consequens legis positæ, seu pacti initi conditione, conditionatum Dei decretum velut transijt, vt suprà sæpiùs dictum est, in natura decreti absoluti quod infallibiliter executioni mandari debuit, sicut reipsà executioni mandatur: & amittente Adamo sibi,

sibi, & nobis sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisit sibi, & nobis originalem, & actualem innocentiam; vtramque siquidem innocentiam hanc expressit Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali nomine sanctitatis, & Iustitiæ, vt euidenter colligitur ex eodem Tridentino sess. 6. cap. 1. vbi vno ac communi nomine innocentiæ, dum inquit: *Primum declarat Sancta Synodus ad iustificationis doctrinam probè, & sincerè intelligendam oportere, vt vnusquisque agnoscat, & fateatur; quòd cum omnes homines in prauaricatione Adæ innocentiam perdidissent, &c.* En quàm disertè Tridentinum vno, & communi nomine innocentiæ exprimit nobis eam sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus Adam sibi, & nobis præuaricatione sua perdidit, & quam nos etiam in eius præuaricatione perdidimus: vno (inquam) & communi nomine innocentiæ exprimit nobis sanctitatem, & Iustitiam, vt manifestè intelligeremus huiusmodi nominis vnitate, & communitate expressisse nobis sanctitatem, & Iustitiam, quam nobis perdidisse asserit vbi suprà sess. 5. in decreto de peccato originali. Et quemadmodùm communi nomine innocentiæ necessariò exprimit originalem, & actualem innocentiam, cùm nulla penitùs assignari possit ratio, cur communi nomine innocentię originalem potiùs, quàm actualem exprimere voluerit; ità etiam omninò dicendum est, quòd duobus sanctitatis, & Iustitiæ nominibus eamdem originalem, eamdemque actualem expresserit ibi innocentiam: eò vel maximè quia reuerà Adam perdidit nobiscum innocentiæ statū, in quo fuerat ipse constitutus, sed non minùs fuit ipse constitutus in statu innocentiæ actualis, quàm originalis; ergo non minùs perdidit nobis illam, quàm istam. Prætereà id quod omnes adulti infallibiliter amittant actualem innocentiam non potest ad aliud caput reuocari, nisi ad hoc; quòd Adam amiserit sibi, & nobis statum innocentiæ, seu innocentiam ipsam, vt Tridentinum declarat sess. 6. cap. 1. & vltimatè ad hoc, quòd stante & vrgente primi Parentis demerito irremissibiliter, & infallibiliter sicut priuauit ipsum innocentia, quam à Deo acceperat: ità etiam priuat & posteros eius innocentia, quam ab ipso accepissent, si primus Parens impositum ipsi Diuinum obseruasset præceptum; ergo per sanctitatem, & Iustitiam, seu innocentiam quam Tridentinum asserit sibi, &

nobis perdidisse Adam, omninò intelligi debet vtraque innocentia, originalis videlicet, & actualis. Consequentia patet, nec non etiam antecedens; tùm quia nullum aliud quàm præmissum poterit vnquàm assignari caput, ad quod reuocetur infallibilitas amissionis innocentiæ actualis in adultis: tùm quia infallibilitas amissionis innocentiæ originalis in vniuersis infantibus nequit reuocari, nec reuocatur ad aliud caput, quàm ad prædictum; & nulla penitùs assignari potest disparitatis ratio, cur magis istius quàm illius amissionis infallibilitas ad præexplicatum caput reddi debeat.

Demùm non video vndè, & quomodò negari possit perdidisse Adam suis posteris adultis actualem etiam innocentiam, sicut innocentiæ status integritatem claudebat secum naturæ; & integritas naturæ vtramque inuoluebat innocentiam, originalem videlicet, & actualem, in huiusmodi naturæ integritate Deus constituerat Adam, quas omnes explicare debuerat Sanctitatis, ac Iustitiæ partes, quibus absoluit ac perficit. Verùm quo pacto suis numeris absoluta intelligi potuisset, si constitutioni, & Iustitiæ ipsius actualis defuisset innocentia.

Ex præmissa doctrina manifestiùs liquescit, quo sensu accipiendum sit illud primum antecedens, in quo assumptum est quod implicat posse amissionem innocentiæ originalis, seu pactum ipsum originale; quatenùs causa est actualis peccati præscindere à præexplicato Dei decreto, seu pacto inito, & ab eiusdem decreti conditione per Adamum non adimpleta. Manifestiùs etiam liquescit, & ipsius notio explicati, veritas atque consequentiarum ex ipso deductarum soliditas.

Superest nunc examinandum, an tanta sit originalis cum actuali, & actualis cum originali peccato connexio & mutuitas, vt sicut posita se ponunt, quemadmodùm suprà ostensum est; ità etiam adinstar relatiuorum perempta se perimant, hoc est an sicut infallibilis est consequentia ab actuali ad originale peccatum, & ab originali ad actuale in adultis, seu sicut infallibilis est consequentia ab amissione actualis innocentiæ ad amissionem originalis, & ab amissione originalis ad amissionem actualis in eisdem adultis: ità similiter infallibilis sit consequentia à negatione originalis pec-

peccati, ad negationem actualis in adultis; & econtrà infallibilis fit illatio etiam à negatione actualis ad negationem originalis peccati.

Huic propositæ difficultati respondendum est affirmatiuè, videlicet quòd tanta est inter originale & actuale peccatum in adultis, seu inter memoratas amissiones mutuæ connexionis necessitas; vt sint velut relatiua, quæ nedùm posita se ponunt: verùm etiam perempta se perimunt, atque adeò negato ab homine adulto originali peccato infallibiliter, negatur ab eo & actuale; & negato ab eodem adulto actuali peccato, infallibiliter negatur ab ipso, & originale.

Hæc veritas potest primò probari ex eo, quòd nulla penitùs poterit vnquàm assignari ratio, cur potiùs posita se ponant, quàm perempta se perimant; cùm nec aliqua comparatio cur prædictæ connexionis necessitas magìs efficere debeat illa, vt sese ponentia, quàm vt sese perimentia: & quàmuis necessitas mutuæ connexionis intercedentis inter originale & actuale in adultis non oriatur ex intrinseca, & formali ratione extremorum sicut contingit in relatiuis; supposito nihilominùs immutabili Diuinæ voluntatis decreto, quæ statuit, quòd si Adam transgrederetur à Deo iniunctum ipsi præceptum, & sibi, & posteris demereretur Sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus erat, & per consequens & sibi, & posteris perdeperderet præexplicatam naturæ integritatem, seu totalem innocentiæ statum, originalem videlicet & actualem simul claudentem secum innocentiam ab intrinseco saltem æquiualentem mutuæ connexionis necessitatem acquirunt, & per consequens sicut ex isto capite posita se se ponunt: ità etiam ex eodem capite perempta sese perimere debent, atque adeò sicut affirmatio originalis infallibiliter infert affirmationem actualis, infallibiliter infert affirmationẽ originalis in adultis; ità similiter negatio originalis infallibiliter inferre debeat negationem actualis, & negatio actualis infallibiliter inferre debet negationẽ originalis in eisdem adultis.

PROPOSITIO VIII.

Pueri merè passiuè se habuerunt in contractione peccati originalis.

CONtrouertitur, an voluntas propagandorum ex Adam in vnicam ipsius tanquàm in illam, quæ præconstituti eorundem propagandorum moralis capitis, & fideiussoris erat omnipotenti Dei virtute, & imperio translatæ voluntatem, vnum quid morale per consequens facientes cum eo ità compeccauerint ipsi; vt nedùm merè passiuè per solam videlicet originalis Iustitię amissionem, Adami dumtaxat meritò factam, sed efficienter etiam aliquo pacto fuerint ei actu peccati cooperati.

Ratio dubitandi est, quia propagandorum peccatum in significatione actiua explicatur ab Apostolo dicente Romanorum 5. *In quo omnes peccauerunt*. Eadem etiam actiua significatione exprimitur à Tridentino sess. 6. cap:1. dum inquit: *Primum declarat Sancta Synodus ad iustificationis doctrinam probè, & sincerè intelligendam oportere, vt vnusquisque agnoscat, & fateatur, quòd cùm omnes homines in prauaricatione Adæ perdidissent &c.* Ponderanda particula illa (*perdidissent*) quæ verba videntur facere significationem actiuam; ergo posteri non contraxerunt originale vnico, & solo Adami demerito.

Contrà tamen est, tùm quia idem Tridentinum sess.5. in decreto de peccato originali can. 2. & sess.6. cap.7. disertissimis verbis asserit Adam sua præuaricatione, & inobedientia, & sibi, & nobis acceptam à Deo Sanctitatem, & Iustitiam perdidisse; ergo ex Tridentino vnico, & solo Adami demetito memoratam Sanctitatem, & Iustitiam amisimus. Non videtur posse causam hanc in dubium reuocari; tùm quia Tridentinum vnico, & solo primi Parentis demerito, nulla penitùs facta cōparatione illi posterorum eius mentione, tùm quia nè remotissimè quidem appareat, quo titulo, quauè ratione cooperari debuerint, vel potuerint fideiussoris cooperari peccato. Prima pars antecedentis, quòd non debuère, patet; quia nulla vnquàm penitùs sufficiens assignari poterit ratio, cur propter huiusmodi debitum incurrerint: nō ideò dicendi sunt contraxisse illud, quia proprio ipsorum concursu contrahē-

tes ipsum, veriùs, & propriùs dicerentur peccasse in Adam; quia cùm peccare in Adam nihil aliud formaliter sit, quàm demerito ipsius amittere originalem Iustitiam, in illo verissimè, & proprijssimè explicari potest, & debet nedum, verùm etiam non aliter ipsos peccasse in Adam, quàm per passiuum dumtaxat eorum concursum, recipiendo videlicet ab vnico, & solo Adamo procedentem originalis Iustitiæ priuationem.

Nec te turbet, quòd in significatione actiua expressum in sola interdum accipiatur, & accipi debeat passiua, quia communiter in significatione actiua materiæ causalitatem exprimimus dicendo, materia causat, dum efficiens causat: quo tamen non obstante causalitas materiæ debet omninò explicari, & accipi in significatione passiua, quia certissimum est materiam primùm esse puram potentiam; hoc est omnem penitùs à se etiam vmbram actiuitatis eliminantem, esse per consequens puram passiuitatem, seu totam, & totaliter passiuam, materiæ igitur causalitas actiuè significata debet omninò explicari, & accipi in passiua: ita vt idem penitùs sit dicere, materia causat causante efficiente; ac dicere, materia formam recipit ab illo, dumtaxat agente. Communiter etiam consueuimus dicere, Petrum exempli gratia grauem aliquam ab inimico passum iniuriam, maximum damnum incurrisse: cuius tamen incursus actiuè significatus omninò passiuè accipiendus est, & explicandus; vt propterea penitùs idem significet, & sit Petrum incurrisse maximum damnum, ac Petrum maximum recepisse, vel passum fuisse damnum, in qua sola passiua significatione accipi, & explicari omninò debet homines peccasse in Adam: quia nil aliud penitùs est homines peccasse in Adam, quàm homines maximum damnum incurrisse in ipso; hoc est maximum demerito illius recepisse ab eo damnum, originalis videlicet Iustitiæ priuationem.

Explicatio hæc necessaria est, si Tridentinum definit (vt expressissimè reipsà definit) Adamum sibi, & nobis acceptam à Deo Sanctitatem, & Iustitiam perdidisse, nulla penitùs posterorum eius ad huiusmodi amissionem quomodolibet efficienter concurrentium facta mentione.

In hac eadem passiua significatio-

catio-

catione accipi debet memoratum testimonium Tridentini, quo sess. 6. cap. 1. inquit: *Quod cùm homines in prauaricatione Adæ innocentiam perdidissent &c.* Etenim communi etiam loquendi modo & vsu consueuimus dicere homines actiuè perdidisse illa respectu perditionis, quorum merè passiuè se habuère; vt manifestè patet in mercatore, qui nauim suis ministris concredens pretiosis mercibus onustam naufragio, vel Pyratarum inuasione perdidit, quàmuis merè passiuè respectu perditionis huiusmodi se habuerit: audita nihilominùs nauis amissione in has voces actionem significantes, erumpit, heu me! inquiens, heu me infœlicem! nauim, quam meis ministris Corinthum transmeandam commiseram, perdidi; & pretiosas, quas apportabat merces, vnà cum ipso nauigio perdidi.

En quomodò in actiua significatione exprimit factam nauis amissionem, respectu cuius nedum merè passiuè se habuit; verùm etiam opposita eidem amissioni, semper fuit illi voluntas. Quando in significatione actiua igitur dicitur mercatorem, vel alium quemlibet aliquid perdidisse: si tamen merè passiuè ad illam (quia nullatenùs propria actione, sed aliena contingit) tunc debet accipi, & explicari in significatione passiua, vt omninò idem sit mercatorem nauim, & merces perdidisse; ac iacturam, damnumque illud aliorum efficientia incurrisse.

Hac eadem, & non alia explicatione vel sensu intelligendum est, ac accipiendum supra citatum Tridentini testimonium, dicendumque non in significatione actiua; sed passiua dumtaxat expressisse, *ly perdidisse*: vt idem omninò dixisse sit, homines perdidisse in præuaricatione Adam innocentiam; ac dixisse homines præuaricatione, & demerito Adami tantam originalis Iustitiæ incurrisse amissionem merè passiuè se habentibus, & concurrentibus ad illam hominibus; quæ veritas quæque explicatio solidum habet fundamentum in eo, quod idem Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali prędefiniuerat: Adam sua pręuaricatione & sibi, & nobis acceptam à Deo Sanctitatem, & Iustitiam perdidisse; nulla penitùs facta mentione actiui alicuius hominis concursus ad eiusdem Iustitiæ, & Sanctitatis amissionem. Immò vt apertè, ex ipsius loquendi modo

do deducitur eadem ipsum indiuisibili, qua sibi præuaricatione, & in eodem indiuisibili etiam instanti; in quo sibi, & nobis simul acceptam à Deo perdidisse Iustitiam, & Sanctitatem.

Efficacissima prætereà, vel etiam euidenti id ratione probatur; quia quouis minori possibili admisso, & posito in voluntatibus posterorum actiuo influxu in amissione originalis Iustitię in Adamo, dicendum est consequenter ipsos proprio vsos fuisse in hac parte voluntario, illudque reipsà tunc exercuisse. Consequens est omninò falsum, igitur id, ex quo sequitur, non est; cur consequentia reuocetur in dubium, quia in omnium sententia exploratissimum est voluntatis actiuitatem & actionem trahere secum, & ponere in ipsa libertatem ac libertatis exercitium, minùs est cur reuocari possit in dubium falsitas consequẽtis: tum quia posterorum peccatum non esset verè propriè, & formaliter originale, quia quàmuis ex ea parte qua per originem trahunt ipsum, foret originale; ex ea tamen qua efficienter influerent ipsi in illud, esset verè, propriè, & formaliter actuale, nisi diceres esse aliquod mixtum ex originali, & actuali. Tùm quia omninò inintelligibilis est actiuus huiusmodi posterorum influxus in propriam eorum originalis Iustitiæ amissionem in Adam; ergo omninò respuendus. Consequentia patet, antecedens probatur: est omninò impossibilis, ergo est omninò inintelligibilis. Consequentia patet, antecedens probatur: nullo modo apparet in quo esse, & contingere potuerit; ergo est omninò impossibilis. Consequentia patet, probatur antecedens: non in ipsorum esse realis existentiæ in se, nec in illo quod habebant in Adam; ergo in nullo, ergo non apparet in quo esse contingit, vel contingere potuerit. Consequentiæ patent, prior pars antecedentis patet manifestè, quia in instanti præuaricationis Adã, nec per somnium quidem realiter existebant; ergo non contingit in ipsorum esse realis existentiæ. Posterior etiam patet, quia esse quod habebant in Adam, vt in eorum morali capite, & fideiussore non erat ad summum; nisi relatio quædam rationis per actum Diuinæ voluntatis omnipotenti suo imperio, voluntates posterorum Adam in vnicam ipsius voluntatem transferentis, & moraliter vnum

quod-

quoddam ens cum illa facientis ; effecta vel potiùs derelicta in Adam non secundum reale, sed secundum intentionale dumtaxat esse ipsius spectato: quia non fundauit illam, nisi facta,& præmissa iam ipsius constitutione in morale caput, & fideiussore posterorum suorum, exinitas (nè dicam nihileitas) huiusmodi rationis nedum liquescit ex eo, quòd rationis est, & intentionale insuper fundamentum, quod rationis etiam relationem importat: sed multò magis ex eo quòd est ad terminum non existentem, ad terminum(inquam) quod formaliter nihil est; ergo vel nullum penitùs vel saltem, vel saltem propè nihil inuoluit esse in se. Sed omnes relationes etiam reales de mente Scoti, & secundum veritatem sunt de genere sterilium, ergo multò magis relationes rationis præsertim prædictæ, quæ proprijs carent terminis; ergo nulla penitùs ratione habuère posterorum voluntates, vndè secundum esse acquisitum in voluntate Adami, potuerunt quomodolibet efficienter influere in originalis iustitiæ amissionem in illo.

Hìc tamen omninò aduertendum est, esse manifestam implicantiam dari relationem,siuè realis, siuè rationis existat absque propriorum extremorum, termini præsertim existentia; & per consequens licèt superiùs dictum sit relationibus illis, quas Adam in ratione moralis capitis, & fideiussoris eorum fundabat ad posteros, vt ad mistica membra, vel ad misticos pupillos ipsius non correspondere proprios terminos: hoc tamen non est intelligendum absolutè, quasi verò nulli penitùs termini correspondeant ipsis; quia tunc omninò nihil essent, sicut reipsà ex negatione, & defectu posterorum existentiæ, qui sub præmissa membrorum, & pupillorum ratione esse debuissent termini dictarum relationum, nihil omninò sunt: hoc nihilominùs non obstante quantùmuis tunc posteri, quia non præsentes sed futuri propriæ includebant existentiæ negationem in se, non tamen inuoluebant illam vbilibet, vel in alio; quia non in mente Diuina, in qua eo ipso,quo voluntas constituit Adam morale caput, & fideiussorem eorum, & suo simul omnipotenti imperio ipsorum voluntates in vnicam Adami voluntatem transtulit, intentionalem acquisiuerunt existentiam, volitum esse videlicet: non potuisset enim Diuina voluntas transferre

illos

illos in Adam, & mistica eius membra misticosque constituere pupillos nisi volendo id illis; ergo etiam ex isto capite habuerunt esse volitum in voluntate Diuina, ergo esse intentionale, & diminutum, quia ex Scoto pluribus in locis esse volitum non est minùs intentionale, & diminutum, quàm sit esse cognitum, opinatum, &c. Secundum igitur hoc esse quod habent in mente Diuina terminant rationis relationes, quas fundant in Adam; & fundant correspondentes ad ipsum; eo hinc indè intercedente discrimine, vt Adam in ratione moralis capitis, & fideiussoris: ipsi verò in ratione misticorum eius membrorum, seu pupillorum fundent, & terminent.

An autem intellectus etiam Diuinus suas fundet relationes videns voluntatis determinationes, & constitutiones dicti capitis, dictorumque membrorum, easque conferens. Videas, quæ ad hoc colligi possunt ex Scoto in primo dist.35. quæst.vnica sub lit.H.

Sed an posteri Adam in instanti animationis dictas misticorum membrorum, seu pupillorum fundent ad ipsum relationes: dicendum omninò quòd sic, sicut omninò dicendum est etiam, quòd fundent tunc ad ipsum relationes naturalis filiationis, ac naturalis descendentiæ ab eo, quæ non rationis, sed reales; quia fundantur in Adam vt in physico, & naturali capite ipsorum, & terminantur ad eos vt ad physica, & naturalia membra illius, quod omninò dicendum est de correspondentibus relationibus secundum esse physicum naturale fundatis in posteris, & terminatis ad Adam. Istæ aliæ verò relationes moralis capitis, & fideiussoris ex parte Adam, & mixtorum membrorum, seu pupillorum ea parte qui propagantur ex eo rationis, relationes sunt; quia fundantur super esse rationis seu diminuto, & intentionali, & terminantur etiam ad idem esse, quale est moralis capitis, & fideiussoris in Adam, & moralium mixtorum membrorum, seu pupillorum in posteris: esse enim Adamum à Deo constitutum morale caput, & fideiussorem posterorum, nil penitùs aliud importat in eo, quàm rationis dumtaxat relationem; sicut esse posteros ab eodem Deo constitutos mistica, seu moralia membra, & pupillos Adami, nil penitùs aliud importat in illis, quàm rationis dumtaxat relationem. Confirmari potest

hoc ex his, quæ dicit Scotus in 3. quæstione Prologi; subiectum videlicet Theologiæ esse ens rationis, si Christus Dominus poneretur eius subiectum sub ratione capitis Ecclesiæ. Vide etiam quid dicat de hoc in 3. dist. 23. quæst. 1. &c. obiectum videlicet fidei esse ens rationis, si obiectum eius poneretur Deus, non sub ratione Deitatis; sed sub ratione reuelatoris.

PROPOSITIO IX.

Originalis peccati transfusio ex Adam in posteros eius necessariò reuocanda est ad aliquam eorumdem posterorum continentiam in ipso.

Ratio est, quia si nulla intercederet inter illos connexio, inintelligibilis esset hæc ex Adam in posteros eius transfusio; idest inintelligibile omninò foret, quo pacto Adam Diuinum transgrediens præceptum & sibi, & nobis perdiderit sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat à Deo in statu innocentiæ. Huiusmodi tamen continentia non est continentia ex natura rei, illa videlicet qua posteri virtualiter continentur in Adam vt in capite physico; tùm quia tunc originale peccatum esset homini connaturale ex intrinsecis humanæ naturæ principijs dimanatum, tum quia per consequens nedum in statu eiusdē destitutę, verùm etiā & in statu institutæ naturæ fuisset originalis peccati transfusio; quorum vtrumque quàm falsum, & implicatorium sit cæcutientibus etiam ipsis liquescit, sicut & euidentia vtriusque illationis. Memorata igitur continentia erit à sufficienti partium enumeratione, quia non est in hac subiecta materia excogitabilis alia virtualis moralis, qua pupillorum voluntates contineri dicuntur in voluntate fideiussoris; quaque per consequens in ea erant indifferentia constituti, eique obnoxij fortunæ, vt si Adam iniunctum sibi à Deo præceptum obseruasset, de facto accepissent in seipsis originalem iustitiam, quam ex vi memoratæ moralis continentiæ acceperant in illo: moralis tamen huiusmodi continentia non aliundè suam traxit, vel ducere potuit originem, quàm ex solo Diuinæ voluntatis beneplacito, quia nullatenùs ex se, & ex intrinsecis suis habuit Adam; vndè ea lege omnes, & singulas posterorum eius voluntates in propriam ipsius transferre potuisset,

tuisset, vt illa facta voluntatum translatione, vt hinc indè inter eas connexione, reipsà posteri accepissent originalem Iustitiam, si præceptum obseruasset: amitterent verò eam, si præceptum fuisset transgressus. Posterorum igitur hæc omnium voluntatum in vnam Adami voluntatem translatio in ea ipsarum continentia, & cum eadem connexio solius extitit Diuini beneplaciti, Diuinæque omnipotentiæ specialis effectus; cùm omnem penitùs creatæ actiuitatis sphæram excedat.

Ex his manifestè deducitur primò, quòd nec præcepti obseruatio se sola effecisset (vt ipsà posteri accepissent originalem Iustitiam) nec de facto eiusdem præcepti transgressio se sola fuit causa, vt amiserint illam, manifestè siquidem patet nec obseruationem illam habituram ex se, vnde originalis Iustitia communicaretur posteris Adam, nec oppositam transgressionem habuisse de facto: vndè priuati fuerint eâ, suum illa sortita fuisset effectum ex vi memoratæ translationis continentiæ ac connexionis, manifestatæ tamen primo à Deo Parenti in ipsa facta sibi præcepti impositione: ex eodem etiam capite suum hæc de facto sortita fuit effectum.

Dixi manifestatæ tamen primo Parenti, tùm vt insinuarem ex vi prædictæ voluntatum translationis, & continentiæ assumptum, & institutum fuisse à Deo Adam vniuersalem totius humanæ propaginis fideiussorem, & operæ pretium per consequens fuisse, vt manifestari sibi debuerit hæc facta institutio: tum quia non libenter acquiesco illorum sententiæ, qui dicunt; quòd Deus pactum iniuerit cum Adamo, cùm pactum (si propriam pacti significationem retineat) mutuum, eumque liberum paciscentium partium inuoluat consensum: quod non est dicendum de Deo infinitum rectè, ac omnipotentis habente voluntatis imperium; nullatenùs & nihil per consequens indigente voluntatis creatæ consensu.

Quorsum Deus pacisci debuit, aut voluit cum Adam velut expectaturus ipsius consensum in pactum cum ipso ineundum, si ex vi omnipotentię infinitę omnium creatarum voluntatum absolutissimus Dominus est? Et si ex vi infinitæ rectitudinis voluntatis eius prima, & simpliciter prima regula est in actibus suis, atque ideò cuicumque volito non minùs bonitatem, quàm rectitudinem

nem tribuens: non enim aliter Deus se habuit quantum ad hoc cum primo Parente, quàm cum reliquis totius naturę intellectualis indiuiduis, quibus omnibus, & singulis ex supremo solius suę voluntatis imperio, nullo penitùs ipsorum expectato consensu, vel beneplacito præcepta seruanda iniunxit; ità videlicet vt quantùm ad præceptorum iniunctionem, tùm Angeli, tum homines merè passiuè se habuerint: eos nihilominùs sic reliquit in manu consilij sui, vt etiam positis omnibus, & singulis necessariò requisitis ad agendum, illam retinuerint proprię libertatis in operando indifferentiam, qua reipsà, vel occurrens præceptum obseruando, vel actum omnem suspenderent, vel actum obseruando præcepto positiuè oppositum producerent; si tamen per pactum initum à Deo cum Adam intelligatur (extenso vocabulo) manifestatio memoratæ Adami institutionis à Deo factæ, seu intimatio benè posset concedi, quòd inter Deum, & Adam aliquod intercesserit pactum, non quo velut expectaret Deus Adami consensum: sed quo innotescens ipsi Diuinum beneplacitum Diuinumque decretum, humiliter, ac reuerenter admitteret, probaretque.

Deducitur secundò, quòd perseuerante statu innocentiæ Adamus moraliter influxisset in originalis Iustitiæ exhibitionem, & quòd de facto moraliter influxerit in peccati originalis transfusionem: patet, tùm quia influxus à morali capite vt sic spectato dimanans nequit esse, nisi moralis; tùm quia merendo influxisset in illum, in istam verò demerendo: quando quidem Deus originalis Iustitiæ largitionem obseruationi; eiusdem verò originalis Iustitię priuationem transgressioni connexerat præcepti Adamo facti.

Petes, an posteri Adam contrahant originale peccatum, vt naturalis & physicæ; an verò vt moralis & misticæ, an verò vt vtriusquè filiationis fundant relationes ad ipsum.

Ratio dubitandi est; quia in omnium sententia, Scoti præsertim, nunquàm homo intelligitur proximè, & immediatè potens contrahere peccatum originale, nisi vt constitutus naturalis filius Adæ: ergo non contrahit originale peccatum, nisi vt naturalis, & physicæ filiationis relationem fundans ad ipsum.

Contrà tamen est, quia si præceptum de non comedendo de ligno

ligno scientiæ boni & mali Adamo iniunctum, nullum dixisset respectum ad propagandos ex ipso; ergo nullum etiam dixisset respectum ad ipsos illius transgressionis, ergo omninò per accidens, & impertinenter respexisset eos, ergo nulla penitùs ratione peccante Adamo peccauissent & ipsi in illo, ergo non vt solam, & nudam naturalis & physicæ relationem filiationis fundans ad Adam originalis peccati maculam humanam proles contrahit ab illo in instanti animationis, ergo necessariò asserendum est: quòd vt aliam insuper relationem moralis videlicet cuiusdam filiationis, vel alterius moralis etiam connexionis eius cum illo fundans ad Adam contrahit illam. Omnia patent ex terminis ipsis.

Et vt breuibus omnia perstringam; dico omninò asserendum est secundum Catholicam Fidem propagandos ex Adam, vt originalis peccati maculam contrahentes ab ipso, nedum quatenùs physicum: verùm insuper & vt morale caput non quomodolibet, sed necessariò pariter, & principaliter respicere illam, necessariò (inquam) quia inintelligibile est posse ipsos contrahere ex Adam originale peccatum; nisi quatenùs misticorum eius membrorum connexionem habentes cum illo, vt à Deo eorumdemmet membrorum morali capite constituto. Principaliùs (inquam) etiam, quia vt infrà latiùs explicabitur, & si naturalis, & physicæ posterorum ejus filiationis relatio ad eum, vt ad caput physicum originalis peccati contractionem, necessariò etiam concernat; non tamen vt formalis, sed vt materialis ratio dumtaxat.

Dicti respectus necessitas nedùm manifestiùs ex Tridentino, morale suorum posterorum caput à Deo fuisse Adam constitutum asserente; verùm etiam, & naturali ratione liquescit. Eam euidenter exprimit Tridentinum, dum sess.5. in decreto de peccato originali Can.2. definit: *Adam Diuini præcepti transgressione non sibi soli, sed & nobis etiam acceptam à Deo sanctitatem, & Iustitiam perdidisse*; meridiana luce clariùs supponens fuisse Adam morale propagandorum ex ipso, caput à Deo constitutum: aliàs etiam naturaliter inintelligibile omninò est sua præuaricatione Adam, & sibi, & nobis etiam acceptam à Deo sanctitatem, & Iustitiam perdidisse. In cuius enim mentem poterit vnquàm veni-

venire vt nulla existente in nobis cum illo, vt cum morali nostro capite à Deo constituto, connexione esse potuerit causa; cur non sibi soli, sed & nobis simul acceptam à Deo sanctitatem, & Iustitiam perdiderit? vt aliena præuaricatio fieret nobis propria, imputabilis, demeritoria, &c.

Eiusdem etiam respectus principalitas in eo, quod ipsi tribui debeat jus esendi filij, ratio cur propagandi ex Adam contrahant ab ipso maculam originalis peccati, facili negotio innotescet inspicientibus differentiam inter vtrumque respectum quantùm ad esse, & non esse formalem rationem contractionis peccati originalis intercedentem. Differentia, quæ inter duos respectus in hac parte mediat, manifesta est: nam si solus ponatur in propagandis ex Adam respectus naturalis, & physicæ filiationis ad ipsum, seu solus ponatur in illis respectus ad Adam, vt ad physicum dumtaxat caput eorum; omni penitùs moralis capitis ad ipsum semoto respectu non habent, vndè contrahere debeant vel possint maculam originalis peccati: quod nedum verissimum est absolutè loquendo de humana propagine absolutè & vt sic, nisi dicere velis naturalem hominum propagationem ex intrinsecis suis habere; vt sit transfusiua, & reipsà transfundat in illos originale peccatum, & habere per consequens ex eiusdem intrinsecis, vt libidinosa existat, quod quàm ab omni veritate alienissimum sit, nemo non videt: manifestiùs enim sequeretur indè non esse libidinosam ex carentia Iustitiæ originalis, & sequeretur prætereà in statu innocentiæ fuisse ipsam originalis peccati transfusiuam, quod est omninò hæreticum. Cùm expressissimè contradicat Apostolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, &c.*

Sed esset insuper verum de illa, etiam vt post lapsum Adami spectata, si præceptum ipsi à Deo iniunctum nullum penitùs dixisset ordinem ad propagandos ex eo; seu nulla penitùs facta fuisset de illis in pacto inter Deum & Adam inito, seu quòd non fuisset tunc Adam constitutus morale caput & fideiussor propagandorum ex ipso: sed sibi dumtaxat impositum præceptum nullo penitùs habito ad posteros eius respectu, tunc in hac hypothesi quantùmuis propagatio Adami fuisset libidinosa, non fuis-

fuisset tamen originalis peccati transfusiua in posteris; ex eo nihilominùs quòd ex proprio eius peculiari peccato fuisset infecta, maculasset illos morali quodam macula, non tamen ad vituperium imputabili, quia non ex proprio ipsorũ, sed alieno dumtaxat peccato, ac demerito dependente, & transfuso in illos. Hæc pro nunc.

DIFFICVLTAS.

An sicut solum Adami peccatum est causa principalis transfusionis peccati originalis, ità etiam sola generatio & propagatio ex ipso sit instrumentalis causa eiusdem transfusionis, sola (inquam) per exclusionem generationis & propagationis ex Eua?

MOnemus, quòd & si Adami dumtaxat peccatum causa principalis sit transfusionis peccati originalis, vt ex Tridentino liquescit tùm sess. 5. in decreto de peccato originali can. 2. & 3. tùm sess. 6. cap. 1. can. 3. 4. & 7. cuius ea est ratio à priori; quia solus Adamus constitutus fuit caput omnium posterorum ipsius, quia ipsi soli ante formationem Euæ, vt patet cap. 2. Genesis, datum & iniunctum fuit præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni & mali: vt propterea dixerit Apostolus Romanorum 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum &c.* Instrumentalis verò causa eiusdem transfusionis est naturalis generatio, seu propagatio vt in eodem Tridentino liquet vbi suprà sess. 5. in decreto de peccato originali can. 2. dicente: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum in omnibus &c.* Et Can. 4. vbi dicit: *Vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt &c.* Et sess. 6. cap. 3. vbi inquit: *Nam sicut reuerà homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur propriam Iustitiam contrahant &c.*

Duabus hisce Catholicis veritatibus suppositis examinandum & inquirendum occurrit nunc, an sicut solus Adam est principalis causa transfusionis peccati originalis; ità etiam solus ipse sit causa instrumentalis transfusionis, vel an sicut solum peccatum Adami est principalis causa transfusionis peccati originalis: ita etiam sola generatio & propagatio ex ipso sit instrumentalis causa eiusdem transfusionis

sionis; solam, inquam, per exclusionem generationis & propagationis ex Eua.

Ratio dubitandi est, quia Tridentinum loco citato sess. 6. can.3. videtur expresse reuocare & limitare causam instrumentalem ad solam Adami propagationem, dum inquit: *Nam sicut reuera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti cum ea propagatione per ipsum; dum concipiuntur, propriam iniustitiam conntrahant &c.* In quibus si primò expendantur priora verba, quibus dicitur *nunquàm homines nascituros iniustos, nisi nascerentur propagati ex semine Adæ*; & deinde expendantur subsequentia, quibus redditur causa, & asseritur homines per eam ex semine Adæ propagatione propriam contrahere iniustitiam statim apparebit instrumentalem causam transfusionis peccati originalis de mente Tridentini omninò reuocari & limitari ad solam Adami propagationem; ergo omninò excludenda est ab huiusmodi causę instrumentalis consortio generatio, seu propagatio ex Eua.

Et vt intelligeremus expresse memoratam causam instrumentalem ad solam limitari & restringi Adami propagationem, addidit Concilium particulam (*per ipsum*) manifestiùs docere intendens per eam voluisse loqui de propagine absolutè: sed de tali particulari propagine, nempè Adami, nè si eam absolutè sine limitatione restringente particulam (*per ipsum*) expressisset, potuisset nobis in mentem venire, comprehendere voluisse sub ea vtramq; simul propaginem ex Adam & Eua. Euidentiùs innotesceret nobis præfata limitatio, si *ly ipsum* non referat Adam: sed semen ipsius sicut longè probabiliùs referre debet semen, quàm Adam; quia propagatio semini potiùs tribuenda est, quàm Adamo, qui post seminis decisionem in vterum mulieris longè abest à prolis propagatione, quando semen decisum immediatè adhæret illi, eam propria assicientia promouendo, eamque omnibus suis numeris absoluendo: euidentiùs (inquam) innotesceret nobis, quia propagatio relata ad semen Adami longè magis specificatur, & exprimitur esse soliùs Adami, quàm si referatur ad ipsum Adamum; quia semen principium quo, Adam verò principium quod propagationis importat.

Contrà tamen est, quia Psalmo

mo 50. dicitur: *Et in peccatis concepit me Mater mea &c.* quibus expreſsè fatetur Propheta Matrem influere in transfuſionem originalis peccati, & non alia ratione, quàm per conceptionem, vt manifeſtiùs liqueſcit ex verbo, *concepit*.

Saluo ſemper meliori iudicio, & ſubmittendo me correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, puto reſpondendum eſſe omninò affirmatiuè propoſitæ difficultati, ac dicendum; quòd quantùmuis ſola præuaricatio Adami ſit principalis cauſa transfuſionis peccati originalis in poſteris, neutiquàm tamen ſola ipſius generatio, ſeu actio generatiua eſt inſtrumentalis cauſa eiuſdem transfuſionis: quaſi verò nihil commune habeat cum eadem cauſa inſtrumentali maternus influxus in eadem prolis generatione (ſiuè paſſiuus, ſiuè actiuus non curo pro nunc, quia inferiùs examinabitur) an ſuppoſito, quòd maternus mulieris influxus in prolem ſit inſtrumentalis cauſa actiuæ generationi paternæ in transfuſione originalis peccati, debeat eſſe actiuus ſicut paternus: & hoc non ſimpliciter & abſolutè, quia ſi teneatur paſſiuum etiam principium eſſe poſſe inſtrumentum morale transfuſionis, non debet moralis iſte influxus limitari ad ſolam generationem actiuam.

Hæc concluſio efficaciter probatur præmiſſo teſtimonio Pſalmi 50. *Et in peccatis concepit me Mater mea &c.* Et quàmuis Auguſtinus ſequens Verſionem ſeptuaginta Interpretum legat: *Et in peccatis aluit me in vtero Mater mea &c.* omninò nihilominùs ſtandum eſt lectioni vulgatæ, cui ſtandum eſſe Tridentinum docet ſeſſione 4. in decreto de conſcript. hoc tamen non obſtante ſi memorata Auguſtini lectio attentè (vt par eſt) conſideretur, tantùm abeſt; vt contraria ſit poſitæ concluſioni, vt potiùs eam efficaciter confirmet: nam per hoc quod Propheta fatetur ſe nutritum fuiſſe à Matre in peccatis intra vterum, exprimere contendit perſeuerantiam & exiſtentiam ipſius in ijs iniquitatibus, in quibus præmiſerat ſe conceptum fuiſſe; hinc probare intendens non eſſe indignum, immò potiùs dignum miſeratione Diuina, quia non ſolùm conceptus fuerat (à Matre ſubintellige) quia Matri ſemper, nunquàm verò Patri attribuitur cōceptio, vt patet *in iniquitatibus*: verùm etiam & nutritus fuerat

intra vterum à Matre in eisdem peccatis, in quibus ab ea conceptus fuerat; hoc est: *Ideò, Domine, dignus sum vt mei miserearis secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum deleas iniquitatem meam; quia nedum cõconceptus fui in iniquitatibus à Matre mea, verùm etiam & nutritus fui ab ea in illis intra vterum*: hoc est, *quia nedum ex vi conceptionis iniquitates contraxi in ipso primo instanti conceptionis meæ, verùm etiam & toto tempore quo extiti intra vterum; immò extra vterum vsque ad circumcisionis susceptionem*. Quasi dixerit, & natiuitas mea in vtero, & natiuitas extra vterum fuit vsque ad tempus circumcisionis suscipiendæ.

Nec obstat, quòd Propheta dixerit priùs absollutè, nulla facta Matris suæ mentione: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, *quia* (vt præmissum est) *necessariò subintelligendum est à Matre mea*; quia ex communi loquentium vsu ex propria etiam eius significatione, & vt demùm innumeris sacræ Scripturæ testimonijs liquescit, actio conceptiua seu concipere solis tribuitur mulieribus seu Matribus, nullatenùs autem viris: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; inquit Isaias. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*; ait Gabriel Angelus Mariæ. Patet igitur quàm efficaciter, immò etiam quàm expressè probatur conclusio ex præmisso Prophetæ testimonio, etiam admissa memorata Augustini lectione ratio fundamentalis est; quia etiam in priori parte versiculi, vbi Propheta inquit: *Ecce enim in iniquitatibus &c.* omninò necessariò subint elligendum est à Matre mea, cuius statum posteriori parte meminit dicens: *Et in peccatis concepit me Mater mea*, velut Augustinus legit; Et in peccatis intra vterum aluit me Mater mea.

Verùm vulgatæ lectioni insistendo, ac paulò attentiùs eam exprimentes dicimus; quòd cùm Propheta in eo totus sit ibi, vt Deum ad misericordiam & compassionem etiam inclinet: indè præsertim id à Deo consequi sperat, si motiua quibus facilè ad misericordiam & compatiendum inclinetur, ipsi proponat & maximè illud, quod ex difficultate ad bonum, & pronitate ad malum quod simul cum originali peccato contraximus, petitur; & ideò inquit: E*cce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea &c.* Quasi dicere apertè vo-

voluerit; *Dignus sum, Domine, vt nedum misereatis: verùm etiam & vt compatiaris mihi in tot actualia lapso; quia ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea &c.* Ideſt & hoc ideò, quia ecce, hoc eſt: *Quoniam optimè noſti, quòd in iniquitatibus conceptus sum; quoniam (inquam) contrahens ex vi conceptionis meæ iniquitatem, & culpam originalem multas alias cum ipsa contraxi iniquitates, non tantùm quæ sunt formaliter culpæ: sed quæ primæuæ iniquitatis effectus, ac pœnæ dumtaxat exiſtunt. Optimè (inquam) noſti, quia ex vi conceptionis meæ nedum accepi naturam originali Iuſtitia ſpoliatam; verùm etiam & per, & cum eiuſdem Iuſtitiæ nuditate ipſam eandem naturam nonnullis, iiſque grauioribus, ſauciatam vulneribus atque adeò valdè debilitatam ad bonum, & maximè inclinatam ad malum.*

Et ſubiungens inquit: *Et in peccatis concepit me Mater mea &c.* Quod idem eſt, ac ſi dixerit; *nedùm optimè noſti, quòd in iniquitatibus conceptus ſum: verùm inſuper optimè noſti, quòd in peccatis concepit me Mater mea*; hoc eſt, *nedum (Domine) ſubſtantiam meæ conceptionis in iniquitatibus, verùm etiam & eam valdè notabilem circumſtantiam; quòd videlicet Mater mea concepit me in illis, tibi ob oculos inſpiciendam propono*: hoc eſt, *Vide Domine, & conſidera; quòd ea ratione conceptus ſim in iniquitatibus, & in iis conceperit me Mater mea*; ideſt, *vt illo eodem numero maternæ generationis influxu, illa eadem omninò inuariata generatione materna, qua in primo conceptionis inſtanti communicata mihi fuit natura, ſimul memoratæ etiam communicatæ fuerunt iniquitates, ſuxi non cum lacte materno, ſed ex materna generatione cum ipſo eſſe & natura originale peccatum, & vulnera eiuſdem naturæ ab ipſo inflicta.* Patet igitur quàm diſertè, quàmque ex intento Propheta expreſſerit, quòd ex influxu conceptionis maternæ originale peccatum, originaliſque peccati contraxerit effectus.

Solùm poſſet hic fieri difficultas; cur Propheta ſuppoſito quòd (Patris etiam generatio influat inſtrumentaliter in originalis peccati transfuſionem) ſuppreſſa paterna generatione, maternæ dumtaxat conceptionis meminerit, & cur Matris conceptionem potiùs quàm generationem expreſſerit.

Omittendo pro nunc ea, quæ hic fuſiùs dici poſſent de diffe-

rentia inter conceptionem, & generationem intercedente; respondeo breuiter ad propositam difficultatem, & dico: quòd in eo totus esset Propheta, vt in considerationem Deum adduceret se in ipso primo instanti sui esse, constitutum fuisse in peccatis, illo ipsi vtendum fuit vocabulo, quo sine vllo scrupulo vel tergiuersatione significaretur, & exprimeretur primùm instans sui esse, quòd sine vlla controuersia est nomen (conceptio) vel verbum concipere:non enim ità determinatè ex vi significationis generatio, sicut cõceptio primum exprimit instans existentiæ prolis; nam communiter conuenit, licet tantùm abusiuè extendi generatio vsque ad natiuitatem ex vtero: solemus enim quandoquè confundere etiam parturitionem ipsam cum generatione, dicentes exẽpli gratia;Mater,quæ me genuit, hoc est peperit, lactauit me: conceptio tamen nè absolutè quidem extendi potest ad primum instans conceptionis tempus permansionis in vtero, & multò minùs egressionis ex vtero; vt manifestè patet ex vi significationis ipsius.

Optimè nihilominus (& sit hæc secunda responsio) potest extendi Conceptio ad omnes actiones, quæ circa fœtus efformationem contingunt toto tempore antecedente instans infusionis animæ in corpus vsque ad seminum decisionem & cõmixtionem inclusiuè; quæ commixtio non abusiuè, sed meritò vocari consueuit à Scholasticis conceptio, sic inter alios vocat eam Scotus in 3. dist. 3. quæst. vnic. in responsione ad vltimum prope finem: si igitur conceptio sumatur in suo conceptu adæquato & extemplo, vt videlicet comprehendit nedum animæ rationalis infusionem in corpus organicum; verùm etiam & omnes præcedentes actiones vsque ad seminum decisionem & commixtionem, cùm hæc omnia contingant & fiant in vtero Matris, Matre ipsa & proprij seminis suique ipsius actiuitatis in fœtus efformationem,seu corporis organizationẽ influente: Pater verò per soliùs emissi seminis efficientiam agente, statim liquescet, quòd longè magìs fœtus efformatio pendet à Matre, quàm à Patre; ergo meritò Dauid hunc Matris maiorẽ influxum, qui soli Matri congruit, & non Patri: quantùmuis Pater per semen emissum in vterum Matris coagat Matri concipienti,

pienti, quàm minorem generatiuum Patris expresserit; dum dixit: *Et in peccatis concepit me Mater mea*.

Posset etiam esse tertia responsio ex eo, cùm dubium sit; an semen perseueret vsque ad instans generationis inclusiuè & certum sit ex alio capite, quòd corruptio etiam semine Matris perseueret in esse vegetatiua potentia Matris: quæ etiam de mente aduersariorum actiua est, saltem respectu materiæ propagandæ &, subministrandæ, posset dici quòd Mater efficienter dumtaxat attingat productionem compositi; & indè factum est, vt Propheta maternumpotiùs quàm paternum influxum exprimere voluit dicendo: *Et in peccatis concepit me Mater mea*. Secunda, & tertia responsio ex Scoti doctrina euidenter desumitur in 3. dist.4. quæst. vnica, §. *Sed hic est vnum*.

Secundò probatur eadem veritas ex Tridentino sess.5. in decreto de peccato originali Can.4. vbi ex illa regula fidei Romanorum 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, &c.* Et ex Apostoli doctrina docet; *Ideò paruulos, qui nihil peccatorum in seipsis connectere potuerunt, in remissionem peccatorum veraciter baptizari, vt in eius regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*. Via igitur & instrumentum contractionis peccati originalis est generatio, sed Mater est principium necessarium generationis filij, & reipsà simul cum Patre generante generat filium; ergo filius accipit esse per vtriusque Parentis generationem, ergo filius trahit originale peccatum per vtriusque Parentis generationem. Minor (physicè loquendo) euidens est euidentia oculari, theologicè verò est certa certitudine fidei Catholicæ, tùm quia infinitiès ferè exprimitur filios genitos à suis Matribus; tùm quia specialissimè id exprimitur ibi de Sanctissima Virgine Deipara, vt patet Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Et infrà: *Quod enim ex te nascetur, Sanctum, &c.* Et Mathæi 1. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, &c.* Et inferiùs; *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Dicitur enim ibi, quòd peperit filium suum primogenitum; & multotiès dicitur etiam Mater. Conciliari præcipuè Ephesinum Ecclesia Catholica, & vnanimi-

ter

ter omnes Patres docent, asserunt, ac fatentur Sanctissimam Virginem Mariam esse verè, & propriè Dei Genitricem. Prima consequentia patet, nec non etiam secunda; quia secundum fidem Catholicam, & communiter Patres ac Scholasticos peccatum originale communicatur proli simul cum natura humana: sed natura humana communicatur illi per generationem; ergo per generationem communicatur etiam ipsi originale peccatum.

Confirmatur hoc, quia Concilium non distinguit ibi de hac, vel illa generatione Patris videlicet, vel Matris; sed indistinctè loquitur de generatione, quatenùs communi nomine generationis vtramque comprehenderat generationem, & paternam, & maternam. Hic tamen posset inquiri de qua generatione loquitur Concilium, an videlicet loquatur de actiua generatione Parentum; an verò de passiua filij geniti, an potiùs de generatione vt est actio, an verò vt est passio.

Ad hanc difficultatem breuiter dicitur nullatenùs ibi loqui Concilium de generatione, quæ est relatio producentis ad productum, & producti ad producens; quia huiusmodi relationes præsupponunt generationem actionem, & generationem passionem; quia secundum communiter Philosophos relatio paternitatis, quę idem est ac generationis actiuæ relatio fundata super genuisse, & relatio filiationis; quæ idem est, ac relatio generationis passiuæ. Fundatur super genitum esse, sed secundum Scoti doctrinam in quarto vtraque fundatur supra existentiam producentis, si sit relatio generationis actiuæ producti, si sit relatio productionis passiuæ: inquit enim Scotus esse impossibile permanentem relationem, sicut est relatio paternitatis & maternitatis, seu generationis actiuæ & relatio filiationis, seu generationis passiuæ fundari immediatè super entitatem desinentem, qualis est actio generatiua, & passio sibi correspondens; actio siquidem & passio maximè in productione termini substantialis non perseuerant in esse, nisi dum durat substantialis termini productio: atque ideò si altera memoratarum relationum immediatè fundaretur super generatione actione, & altera super generatione passione, non perseuerarent in generante genito; sed statim desinerent esse desinentibus immediatis ipsarum fundamentis, vt patet. Scotus verò vbi suprà licet asserat, quòd relationes ge-

ne-

nerantis & geniti supponant actionem & passionem; supponunt tamen eas sub alia ratione, quàm sub ratione fundamenti: sed quidquid de ratione, sub qua supponunt eas, illud est certissimum in omnium Philosophorum & Theologorum sententia, vno fortasse Scoto excepto, cuius tamen mentem infrà (si tempus licuerit) aperire conabimur, quòd naturaliter supponunt illas; ergo relatio filiationis seu generationis passiuæ naturaliter supponit existentiam geniti, ergo naturaliter etiam supponit genitum cum originali peccato, ergo non est intelligibile quòd contrahat illud per relationem generationis passiuæ, ergo Concilium non intelligit per generationem, qua docet contrahi peccatum originale, relationem generationis passiuæ in contrahente. Duæ vltimæ consequentiæ patent, prima etiam patet; quia si relatio generationis passiuæ naturaliter supponit generationem passiuam, necessariò supponere debet naturaliter etiam generationem actionem, per quam ponitur in esse hìc homo, & quæ est simul natura cum generatione passione: & secunda consequentia etiam patet, quia Catholica fides docet, quòd hìc homo concipitur sine Iustitia originali; ergo cum peccato originali, quod nihil aliud est nisi carentia originalis Iustitiæ. Hoc intellige cum grano salis, aliàs dixi in quo consistat ratio formalis peccati originalis.

Nec videtur, quòd per generationem intelligat Concilium generationem passionem, quia naturalis filius Adæ non propriè concipitur contrahens originale peccatum per generationem passionem; ergo Concilium per generationem non intelligit generationem passionem. Consequentia patet, antecedens probatur; per id propriè & formaliter concipitur contrahens originale peccatum, per quod propriè & formaliter concipitur contrahens vel accipiens à Parentibus naturam humanam: sed non propriè nec formaliter concipitur contrahens, vel accipiens à Parentibus naturam humanam per generationem passionem; ergo nec propriè nec formaliter concipitur contrahens originale peccatum per generationem passionem. Maior patet, quia ad contractionem siuè acceptionem naturæ contrahitur velut accipitur etiam originale peccatum: minor etiam patet manifestè, quia generatio passio non est productiua seu communicatiua

ua naturæ humanæ; ergo non propriè nec formaliter concipitur naturalis filius Adæ contrahens & accipiens per ipsam esse humanum. Consequentia patet, antecedens etiam patet; quia sola generatio actio est productiua & communicatiua naturæ humanæ, ergo per ipsam dumtaxat naturaliter propagatus ex Adam propriè, & formaliter concipitur contrahens originale peccatum, ergo de generatione hac actione loquitur Concilium vbi suprà, quando dicit: *Vt in generatione mundetur, quod generatione contraxerunt.*

Potest hæc veritas indè efficaciter confirmari, quia taliter accipi debet corporalis generatio in contrahente originale peccatum, qualiter accipitur spiritualis regeneratio in recipiente Iustitiam baptismalem: sed spiritualis regeneratio actiuè accipitur in recipientibus Iustitiam baptismalem; ergo corporalis etiam generatio actiuè accipi debet in contrahente originale peccatum. Maior patet ex oppositione corporalis generationis ad spiritualem regenerationem, & econtrà quia oppositorum eadem est disciplina. Minor etiam patet, quia spiritualis regeneratio omninò actiuè se habet in recipiente baptismalem Iustitiam; ergò omninò actiuè accipienda est. Consequentia patet, nec non etiam antecedens; quia ex Tridentino sess. 6. cap. 7. spiritualis regeneratio, quæ fit per Sacramentum Baptismi, est instrumentalis causa iustificationis impij, cui quando non competat physica, moralis saltem competere debet causalitas respectu eiusdem iustificationis, quæ moralis causalitas in omnium Scholasticorum sententia (Scoti præsertim) ad genus causæ efficientis reducitur, & pertinet, nec apparet quo pacto tribui possit regenerationi passiuæ virtus regenerantis, seù effectus potiùs rationem habeat, quàm causæ. Pœnitentiæ etiam Sacramentum in absolutione consistit actiua Sacerdotis, non passiua pœnitentis. Videas Scotum in 4. distinct. 24. quæst. 4. sub lit. A. Idipsum etiam docendum est de oratione consecratoria conuersiua substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini, & de reliquorum etiam Sacramentorum efficientia, seu causatione.

Dices, generatio actiua non mediat inter substantiam gignentis, & substantiam geniti; ergo non est via ad terminum genitum, ergo non est productiua sub-

ſubſtantiæ filij, ergo nec etiam transfuſiua peccati originalis in ipſum. Omnes conſequentiæ patent, antecedens eſt Scoti, qui perpetuò ſuſtinet ad abſolutum in cauſa immediatiſſimè ſequi abſolutum in effectu; ità docet præcipuè in primo diſtinct.43.quæſt. vnica ſub lit. C. & nono libro Methaph.quæſt.5.num.4.& in 3. diſtinct.15. quæſt.vnica ſub lit.B. ſed fuſiùs in 2.diſtinct.1.quæſt.2. ſub lit.E. manifeſtè etiam in primo diſtinct. 35. quæſt. vnica ſub lit.E. in 3.etiam diſtinct.8.quæſt. vnica ſub lit. H. Ibi enim docet nil penitùs, nè ipſam quidem cauſationem mediare inter abſolutam entitatem cauſæ, & abſolutam entitatem effectus, inquiens cauſam ſecundum illud idem præcisè & omninò inuariatum abſolutum, non primò ponere in eſſe abſolutam præcisè cauſati entitatem, ſecundum quod antecedenter ad productionem effectus erat cauſatiua illius in actu primo.

Probatur etiam ratione petita in eiuſdem Scoti doctrina in 4. diſtinct.12.quæſt.3. §. *Hic eſt primò, &c.* vbi mordicùs defendit, accidens nec ipſo ſolo nec in virtute ſubſtantiæ poſſe producere ſubſtantiam; & ſi huiuſmodi cauſalitas denegetur accidenti abſoluto, à fortiori deneganda eſt accidenti reſpectiuo, quod eſt omninò de genere ſterilium: ſed ex eodem Scoto in 4. diſtinct. 13. quæſt. vnica ſub lit. B. actio eſt accidens reſpectiuum, ergo omnis penitùs eliminatur ab ipſa cauſalitas, vel ratio cauſandi ſubſtantiam; ergo actio non mediat inter abſolutam entitatem cauſæ, & abſolutam entitatem effectus, ergo nec actio generatiua mediat inter abſolutam entitatem generantis, & abſolutam entitatem geniti. Prima conſequentia patet, nec non etiam ſecunda; quia ſi non mediat vt formalis ratio cauſandi ſimpliciter non mediat. Tertia patet ex terminis.

Probatur tertiò illud antecedens per rationem à priori tali pacto; actiua generatio neceſſariò neceſſitate ſimpliciter præſupponit ineſſe abſolutam filij entitatem; ergo nullatenùs generatio actiua poterit eſſe formalis ratio producendi abſolutam filij entitatem. Conſequentia probatur, generatio actiua eſt formaliter entitas reſpectiua; ergo neceſſariò neceſſitate ſimpliciter ſupponit ineſſe abſolutam filij entitatem. Antecedens nonnullis rationibus iiſque efficaciſſimis, nè dicam euidentibus, probatur à

Scoto in 4.distinct.13.quæst.1.sub lit. B. Consequentia patet, quia in omnium sententia entitas respectiua adeò essentialiter dependet in suo esse ab extremis, vt nè de potentia Dei quidem poni valeat in rerum natura independenter ab illis; euidenter colligitur ex Scoto in 4.distinct.12.quæst.1. sub lit. D. & quæst.2. sub lit.M. ergo entitas respectiua simpliciter necessariò præexigit ad sui esse existentiam extremorum; ergo omninò impossibile est, quòd extremorum positio in esse dependeat ab entitate respectiua ipsis superueniente, ergo impossibile est, quòd positio absolutæ entitatis filij quomodolibet pendeat ab actiua Patris generatione, ergo impossibile est, quòd actiua Patris generatio sit formalis ratio producendi absolutam filii entitatem. Prima, secunda, & quarta consequentia patent: tertia etiam patet, quia simpliciter necessariò assignari debet pro altero extremo generationis actiuæ (nempè terminus) absoluta filij entitas vel existentia; cùm non sit excogitabilis aliqua alia entitas, quæ possit esse terminus, illius.

Aduertendum est hìc, quòd & si relationis dependentia non esset vniformis ab vtroque extremo; sed essentialiter esset magìs à termino, velut quæ competit relationi in primo modo dicendi per se, quàm à fundamento, quæ competit ipsi in secundo modo dicendi per se; vti docet Mayronius, & non benè in 4.distinct.12.quæst.3.artic.2.in fine: in veriori tamen sententia Scoti in præcitatis locis quart. dist.12. quæst.1.sub lit.D. & quæst.2.sub lit.M. est æquè essentialis ab vtroque extremo, quia est essentialiter habitudo & ordo inter vtrumque, quæ essentialiter exigit per consequens id, cuius sit, & ad quod sit.

Nonnulla etiam inconuenientia ad impossibile ducentia manifestè inferuntur, nedum ex naturali prioritate; verùm etiam ex naturali simultate relationis, vel cuiusuis alterius entitatis respectiuæ cum hoc vel illo extremo, vel cum vtroque. Ea colligit, & deducit noster Pater Franciscus Lichetus in 2.distinct.1.in declaratione responsionis ad secundum principale, vbi benè Scoti sententiam explicat defendens ad aures ipsius actionem, quæ formaliter est de genere actionis, non esse formalem rationem producendi terminum, nec esse quommodolibet priorem hoc vel illo extremo, nec vtroque: sed om-

omninò naturaliter posteriorem vtroque, benè insuper explicans quomodò intelligi debeat commune illud dictum, agens actione agit.

Hanc igitur Scoti sententiam amplectendo, quòd omninò videlicet immediatè per exclusionem cuiuslibet entitatis absolutæ & respectiuæ mediantis ad absolutam in causa sequatur absolutam in effectu, idest quod ille idem actus primus causæ absolutus, seu qui secundum proprium esse absolutum erat in esse quieto productiuus talis effectus, sit qui nunc nulla penitùs superaddita, seu superueniente ipsi noua entitate absoluta, vel respectiua immediatissimè ponat in esse absolutam entitatem effectus. Respondendum est, ac declarandum quod igitur intelligat Tridentinum per generationem, quando sess. 5. in decreto de peccato originali Can. 4. inquit, ac docet: *Vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*; eò vel maximè quia superiùs docuimus actiuam Parentum generationem simul esse communicatiuam Petro humanam naturam & transfusiuam cum ea in ipsum originalem Iustitiam: nam si actiua Parentum generatio nullatenùs productiua sit humanæ naturæ in Petro non apparet, quo pacto transfusiua sit, & reipsà transfundat in ipsum culpam originalem, nec apparet quomodò saluari possit doctrina Concilij asserentis; *Generatione trahi à propagatis ex Adam originale peccatum*.

Et si prima fronte præmissa Scoti doctrina parùm cohærere videatur memorato Concilij testimonio; si tamen attentiùs consideretur, quæ sit mens & intentio Concilij & doctrina de originalis peccati transfusione per generationem, statim apparebit quàm benè cohæreat Scoti doctrina doctrinæ Concilij.

Ad cuius euidentiam aduertendum est eam perpetuò fuisse, nedùm Tridentini; verùm etiam & Arausicani & Mileuitani Conciliorum mentem, vt docerent & reipsà docent, ac definiunt peccatum originale transfundi in omnes & singulos posteros Adam & transfundi in illos per generationem; hoc est simul cum ipsius naturæ humanæ communicatione in primo instanti conceptionis ipsorum per generalem propagationem, seù per seminalem rationem effecta, idque & non aliud exprimere voluit, & reipsà expressit Tridentinum quando dixit; *Vt in eis regenera-*

tione mundetur, quod generatione traxerunt; quia in hoc propriè & formaliter consistit veritas Catholica ad originalis peccati transfusionem attinens, vt videlicet firmiter credamus omnes & singulos homines per naturalem propagationem seu seminalem rationem descendentes ex Adamo, originalem contrahere labem in primo instanti conceptionis ipsorum. Hanc eandem Catholicam veritatem sic explicatam disertis verbis declarat & exprimit idem Tridentinum sess. 6. cap. 3. dum inquit: *Nam sicut reuerà homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti cum ea propagatione per ipsum; dum concipiuntur, propriam Iustitiam contrahunt, ità, &c.*

En quàm distinctè & formaliter hic explicat, quod indistinctè & virtualiter expresserat vbi suprà sess. 5. in decreto de peccato originali Can. 4. circa transfusionem & contractionem originalis peccati solius generationis nomine; expressè quidem hic, & formaliter hanc originalis peccati transfusionem & contractionem declarans, inquit: *Sicut reuerà homines, nisi nascerentur propagati; hoc est nisi suam traherent originem & propagationem ex semine Adæ; idest per seminalem rationem ex Adam, non nascerentur iniusti*: cùm subnectit Concilium ea propagatione, hoc est per seminalem rationem ex Adam descendens vel effecta propriam contrahant iniustitiam, dum concipiuntur; idest in primo instanti ipsorum conceptionis, quando ex vi præfatæ propagationis fiunt, suntque naturales filij Adam, & infecti per consequens labe originalis peccati.

Manifestè igitur Concilium docet originalis peccati transfusionem in posteros Adam fieri per naturalem ipsorum descendentiam ex Adam; sed non moralem vtcunque, sed naturalem; quia ex vi naturalis propagationis, seminalisque rationis effectam ex Adam: effectam (inquam) non in alia temporis differentia, quàm in ea dùm conciipiuntur, hoc est quàm in primo instanti conceptionis propagatorum ex ipso. Hæc omnia simul vnico generationis vocabulo velut virtualiter expressit Concilium, dum dixit: *Vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.*

Dummodò igitur hæc omnia; quæ nunc ex Tridentino ad originalis peccati transfusionem necessa-

cessariò spectantia, & concurrentia; nempè quòd peccati originalis transfusio in posteros Adam per naturalem descendentiam ab ipso,& hoc non quomodòcumque: sed vi seminalis rationis, & naturalis propagationis ex ipso; ea tamen lege vt transfusio & contractio originalis peccati non in alia temporis differentia contingat, quàm in primo instanti conceptionis propagatorum ex Adam: si (inquam) hæc omnia consistant, saluum etiam consistet omne id quod necessariò in hac parte, vel ex hoc capite ad Catholicam de originalis peccati transfusione in posteris Adam veritatem attinens est. Nec apparet vndè suspicari possit, quòd non vbique, aut adæquatè salua non consistant omnia, quæ pro exacta originalis peccati trāsfusione enumerata sunt; si dicatur, quòd generatio actiua non fit productiua humanitatis, seu naturæ humanæ in Petro, quia ex hac sententia nec per somnium quidem sequitur, exempli gratia, non descendere ex Adam per naturalem propagationem ac seminalem rationem: nam hoc supponitur tanquàm certissimum, & verissimum tantummodò inquiritur; an generatiua seminis vis seipsà immediatè, an verò media aliqua actione in prolis productionem erumpat, illamque ponat in esse.

Negans Scotus in vniuersum actionem mediam inter absolutum in causa & absolutum in effectu, & vniuersaliter etiam affirmans omnimodam immediationem inter absolutum in causa, & absolutum in effectu; negat consequenter omnem actionem mediam inter absolutam seminis entitatem, & absolutam prolis entitatem, & affirmat per consequens omnimodam inter absolutam vtriusque entitatem immediationem: negat etiam absolutam seminis entitatem media actione erumpere in prolis productionem, & per eam velut per formalem rationem agendi ponere illam in esse; & affirmat per consequens ad absolutam seminis entitatem immediatissimè sequi absolutam prolis entitatem: immediatissimè (inquam) per omnimodam videlicet exclusionem cuiuscunque nouiter ipsi superadditæ entitatis mediæ, siuè absoluta, siuè respectiua sit; non tamen per exclusionem actiuæ potentiæ generandi, seu rationis seminalis, quam semen habet in esse quieto etiam antecedenter ad sui decisionem ex Parentibus, quamque sibi & si non formaliter realiter

sal-

saltem identificat: huiusmodi siquidem seminalis ratio, quæ vt D. Thomas prima secundæ quæst. 81. artic. 4. asserit, nil aliud est, quàmuis actiua in generatione media est inter absolutum seminis, & absolutum prolis; quia cùm sit semini formalis ratio producendi prolem, necessariò vt in exercitio spectata, mediare debet ac mediat inter absolutum seminis & absolutum prolis: quia per ipsam vt in exercitio spectatam, absoluta seminis entitas erumpit in prolis productionem, ponendo videlicet in esse absolutam dumtaxat prolis entitatem.

Sed nè imagineris, quòd quando distinguimus inter seminalem rationem in esse quieto & in exercitio, seminalis ratio vt in exercitio spectata aliquid nouæ entitatis superaddat in esse quieto conceptæ: nam vna & omninò inuariata est in vtroque statu quietis & exercitij, quia nil aliud penitùs importat in ipsa exercitium, nisi solam absoluti effectus positionem in esse; non enim imaginandum est, quòd eius eruptio in productionem effectus sit aliquid velut emanans, aut fluens ab illa in effectus entitatem ponendam in esse: nam crassa quidem & omninò falsa foret hæc imaginatio, quoniam vel illud quod flueret, esset entitas respectiua, vel absoluta; non respectiua, tùm quia implicat entitatem respectiuam esse priorem naturaliter, aut extremis simultaneam cum illis, vel altero ipsorum: tùm quia omninò otiosè flueret in gratiam effectus producendi, si entitas respectiua adeò de genere sterilium est, vt fortè nec in sui ipsius quidem notitiam merè valeat intellectum; non absoluta, tùm quia daretur processus in infinitum, nam cùm huiusmodi entitas absoluta esset quid nouiter positum in rerum natura necessariò poni deberet per aliam entitatem absolutam tanquàm per rationem formalem producendi: & idipsum dicendum esset de alia, & de reliquis; & ità processus in infinitum, tùm quia vel esset formalis ratio producendi totalis diuersa ab ea, quàm semen ac quæuis alia causa effectiua habet in esse quieto, vel esset partialis, quæ superaddita & adiuncta alteri partiali præexistenti in esse quieto integraret simul cum illa totalem & adæquatam formalem rationem producendi effectum. Primùm omninò implicat, quia sicut in sententia Scoti & secundum veritatem omninò implicat vnum & omninò inuariatum effectum pendere

ex pluribus causis totalibus; ità similiter implicabit, quòd pendeat & ponatur in esse à pluribus formalibus rationibus totalibus, & à neutra essentialiter dependeret: quia altera per possibile vel impossibile circumscripta, nihilominùs poneretur in esse per alteram, quod etiam contingeret, altera similiter circumscripta.

Secundum etiam est omninò à veritate alienum, tum quia non est facile explicatu quo pacto noua hæc partialis ratio agendi coniungatur alteri antiquæ partiali in semine præexistenti, maximè si ponatur substantialis: qualis quæso esset nouæ huius substantialis entitatis vnio cum antiqua substantiali seminis formali rationi agendi, & cum ipsamet semine? Dicant, explicent si possunt; tum quia est etiam difficile explicatu, quo pacto causa productiua effectum transeuntem, immanenter, priùs erumpat in huiusmodi substantialem entitatem; tùm quia si ponatur, quòd erumpat in eam, & dicatur entitatem hanc nouam permanere in agente, quot (bone Deus) essent in Sole istarum entitatum numero, qui ab initio suæ creationis successiuè innumerabiles produxit in hisce sublunaribus effectus? quot in intellectu creato innumerabiles etiam temporis successu diuersos actus producente: si ponatur transitoria, hoc est non durans, quot passim ponendæ erunt in illis agentibus substantiales substantialium entitatum istarum corruptiones; cùm nullatenùs appareat per cuius corrumpendi principijs ponatur in esse ipsarum decisio, & quando nequeat explicari quænam alia substantialis entitas ponatur in esse loco ipsius ab agente corrumpente, cuius per se, ac primaria intentio est construere: per accidens verò & secundaria destruere. Vt verum sit, quòd corruptio vnius est alterius generatio, & econtrà; deploranda quidem esset actiuorum principiorum miseria, si tot pati debeant in seipsis substantiales corruptiones, quot substantiales dimanant ab ipsismet generationes.

Nec potest dici, quòd desinant esse seipsis, sicut desinunt esse partes entis successiui, quia certissimum est entitates illas non esse partes temporis, vel motus, ergo non entis successiui, ergo falsum est, quòd desinant esse seipsis.

Dicent fortasse non esse substantiales, sed accidentales. At si hoc dicant, nedum in suo robore

bore persistent, etiam contra hunc modum dicendi absurda, quæ ex eisdem entitatibus si substantiales ponantur; intulimus: verùm etiam recurrent contra illum superiùs insinuatæ rationes, quibus in sententia Scoti probatur nullum penitùs accidens quantùmuis absolutum, & quantùmuis etiam à concursu & influentia substantiæ eleuatum, posse nè instrumentaliter quidem attingere substantialis termini productionem.

Si tamen dicant (vt si consequenter loqui volent, dicere debent) actionum alias esse substantiales, alias verò accidentales sicut terminorum; qui per eas ponuntur in esse, alij sunt substantiales, alij verò accidentales. Tunc dicam ergo, quòd eadem semper recurrunt absurda respectiuè contra priores & posteriores actiones, si quomodolibet emanare ponantur ab agentibus terminos quomodolibet vel procedere, vel simul esse cum illis, & quomodolibet etiam formales esse rationes eosdem producendi terminos.

Dicere possunt demum, quòd omnes rationes præmissæ procedunt ex falso supposito, videlicet quòd actio sit formaliter in agente, quod tamen est omninò falsum; cùm non alibi, quàm in termino, qui per ipsam producitur, reperiatur actio formaliter, vt Aristoteles docet 3. Physicoru m textu comment. 22.

Sed hoc in Scoti schola non conceditur; tum quia non per intrinsecam tunc, sed per extrinsecam dumtaxat denominationem agens diceretur actione agere; quia forma denominatiua, nempè actio non resideret subiectiuè in agente, sed in termino, qui propterea omninò dicendus esset formaliter agens per actionem formaliter existentem in illo, quòd nedum falsitatem & implicantiam claudit: verùm etiam sapit nescio quid, tùm quia cùm de mente aduersariorum sit aliquid, vel complens formalem agendi rationem in agente, vel quomodolibet aliter necessariò spectans ad eam agentis constitutionem, qua proximè & reipsà erumpat in productionem effectus; necessariò per consequens reperiri debet formaliter in ipso agente, aliàs non facilè constabit, quo pacto agens in eo constitueretur agendi statu per actionem.

PRO-

PROPOSITIO X.

Discurritur vtrùm, & quandò originale peccatum sit voluntarium.

MONITVM.

Actionis humanæ cognitio à voluntario, & libero dependet: voluntarium est id, quod fit à principio intrinseco cum cognitione particularum, in quibus actio consistit; ita Aristoteles primo Ethicorum, vbi voluntarium intelligit nomine spõtanei, & ex S.Thoma prima secundæ quæst. 6. artic. 1. & alijs communiter. In allata definitione voluntarij dicitur à principio intrinseco, idest à voluntate, vel appetitu: dicitur autem à voluntate fieri non solùm actus verus, & positiuus, vt est verbi gratia amare, velle bonum, odisse; sed etiam eius negatio, siuè omissio, vt est v. g. non amare, non velle bonum &c. Et ideò etiam omissio saltem aliqua comprehenditur nomine voluntarij & eius definitionis, dicitur cum cognitione, vt significetur dependentia actionis voluntatis à cognitione: nil enim potest esse voluntarium, quod non sit cognitum, ac proindè nec potest esse actio voluntatis, quæ non præsupponat aliquam cognitionem à qua dependeat; dicitur cum cognitione particularum, idest circumstantiarum intrinsecarum, siue quæ pertinent ad substantiam & rationem actus; vt si quis noctu occidat Patrem, quem putat esse inimicum suum, illa actio homicidij dicitur voluntaria in ratione homicidij, quia sciuit illum esse hominem; non tamen erit voluntaria in ratione patricidij, quia circumstantia illa personæ Patris, in qua circumstantia consistit actio patricidij, non fuit sufficienter cognita. Et si esset excommunicatus, qui occideret Patrem; hic qui noctu occidit, non esset excommunicatione tali irretitus: ratio est, quia ille minimè intendebat occidere Patrem.

Voluntarium primò diuiditur in voluntarium directum, & in voluntarium indirectum: voluntarium directum est id, quod fit à voluntate sicut à causa operante; v. g. si quis perforet nauem, ex qua sequatur submersio, talis submersio dicitur voluntaria directè ipsi perforanti nauem, quia ab illo fit sicut ab operante. Voluntatium indirectum est id, quod fit sicut à cau-

sa non operante, quæ tamen potest, & debet illud impedire, v. g. submersio nauis secuta ex eo, quòd nauta dormiendo omisit illam gubernare, dicitur esse nautæ voluntaria indirectè; quia est à nauta non gubernante nauem, quam tamen potest & debet gubernare; nè submergatur. Voluntarium directum subdiuiditur in voluntarium, quod est volitum in seipso & inuolitum in causa: voluntarium in seipso est, quod immediatè vel expressè intenditur, vt est homicidium, quando quis interficit hominem expressè intendebat interficere; voluntarium indirectum est, quod est volitum ex causa, vt quando vult & intendit causam alicuius effectus, licèt non intendat expresse effectum, vt si quis per complosionem bombardę interficiat hominem, quem non intendebat interficere, licèt prævIderit illum facilè posse interfici ex eadem explosione.

Voluntarium diuiditur etiam in voluntarium actu, & in voluntarium virtute, voluntarium actu est illud, quod quis de præsenti intendens facere efficit: v. g. si Sacerdos dum consecrat hostiã, habeat actu intentionem consecrandi, consecratio illa dicitur actu voluntaria. Voluntarium virtute est, quando quis efficit aliquid ex actu, vel determinatione voluntatis non quidem præsente, sed antecedente: quæ tamen determinatio per aliam contrariam intentionem reuocata non sit, vt si quis initio Missæ habuit intentionem consecrandi, nec eam reuocat per intentionem contrariam non consecrandi; & posteà suo tempore consecrat nihil cogitans de ipsa consecratione, talis actio consecrandi dicitur voluntaria virtute: sicut & consecrans dicitur habere tunc non actualem, sed virtualem intentionem consecrandi.

Agens liberum est illud, quod positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere; v. g. voluntas humana respectu amoris Dei dicitur agens liberum, quia eadem voluntas positis omnibus requisitis ad amandum Deum (vt est cognitio bonitatis Dei, vt alia huiusmodi) potest Deum amare & non amare. Hinc habetur non esse liberum, sed necessarium agens illud, quod positis omnibus prærequisitis ad agendum non potest non agere; ac proindè v. g. est agens necessarium, quia positis omnibus ad comburendum prærequisitis, vir-

tu-

tutum approximatione rei combustibilis, v. g. paleæ & eius dispositione ad combustionem, non potest non agere, vel comburere. Libertas agendi formaliter dicitur esse in voluntate, quia positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere, velle & non velle: libertas autem radicaliter sumpta idest originaliter, dicitur esse in intellectu, quia ex eo quòd intellectus apprehendit, vel cognoscit in obiecto voluntatis aliquam rationem boni,& aliquam rationem mali; consequitur vt voluntas possit illud velle,& non velle. Quæ doctrina,qua ratione veniat intelligenda,fuit à nobis explicata in Tractatu de pœnitentia, & in Tractatu de Fide.

MONITVM.

Libertas, ratione cuius voluntas positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere, dicitur libertas contradictionis, quia est libertas siuè indifferentia ad agendum & non agendum; v. g. ad amandum, & non amandum, quæ sunt contradictoria. Libertas autem, ratione cuius voluntas positis omnibus requisitis ad agendum aliquid, potest agere oppositum & contrarium, dicitur libertas contrarietatis, talis est v. g. libertas ad amandum & odiendum obiectum aliquod.

Actio libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad eam efficiendam potest adhuc non effici. Monemus voluntarium & liberum inter se differre, liberum supponit voluntarium: sed non econtrà, quia eo ipso quòd actio est talis; vt positis omnibus requisitis ad ipsam faciendam possit adhuc non fieri, in quo consistit ratio libertatis actionis, necesse est actionem procedere à principio intrinseco cum cognitione particularum, in quibus consistit actio, non econtrà; ac proindè est omnis actio libera etiam voluntaria, non tamen omnis actio voluntaria est libera.

Quàmuis nomine actionis humanæ multa significari possint; propriè tamen loquendo actio humana est operatio hominis voluntaria & libera, colligitur ex S. Thoma prima secundæ qu. 1. artic. 1. Idem sentit Assorius tom. 1. lib. 1. cap. 1. quæst. 1. vbi docet actionem humanam eam esse, quæ ex libera hominis voluntate originem habet. Actio humana dicitur operatio hominis,

nis, quia tantùm in homine reperitur. Item secundò dicitur voluntaria, quia verè procedit à principio intinseco hominis, idest à voluntate præsuppositā cognitione intellectus. Tertiò dicitur libera, quia actio humana vel est actus virtuosus dignus laude & præmio, vel actus vitiosus & peccaminosus dignus vituperatione ac pœna; & proindè actio humana debet esse libera, & in nostra potestate.

Monemus nomen operationis in allata definitione accipi latè, nimirùm ità vt comprehendat non solùm operationem positiuam hominis habentem prædictas conditiones, sed etiam omissionem operationis similiter voluntariam & liberam; quiā nimirùm voluntas possit & teneatur impedire, talis enim omissio est aliquo modo actio moralis siuè humana, quia non solùm modo humano & morali dicitur agere qui positiuè operatur: v.g. credit, sperat, amat &c. sed etiam qui non operatur, & omittit agere, quod poterat & tenebatur agere, vt nauta dicitur submergere nauem; quiā dormiendo omittit eam gubernare, vndè oritur nauis submersio. Similiter qui non audit Missam in die festo, quo poterat & tenebatur eam audire, dicitur transgredi, lædere, & violare, ac frangere præceptum de audienda Missa: hinc infertur actiones humanas propriè dictas idem esse cum actionibus liberis siuè moralibus. Monemus etiā, quòd licèt nonnulli distinguant, ac diuidant voluntarium & rationem, vt suprà diximus; nihilominùs tamen cum Vasquez prima secundæ dist. 24. num. 2. & alijs: dicimus voluntarium iñ communi primò diuidi in voluntarium directum, siuè expressū; & voluntarium indirectum, siuè interpretatiuum. Voluntarium directum siue expressum est illud, quod volitum est explicitè vel expresè vel in se; nō tamen in causa v. g. si quis expresè velit occidere hominem, & emittendo sagittam occidat, homicidium illud dicitur voluntarium directè seu expresè. Voluntarium autem indirectè seu interpretatiuum est illud, quod nec expresè, nec in se intenditur: sed tantùm sequitur ex aliqua causa siue positiua, siuè negatiua (vt est negatio, vt omissio &c.) quàmuis directè & iñ se intendit, & ex qua talis effectus sequi posse præuidebatur; v. g. si quis inijciendo sagittam hominem occidat, quem nō in-

intendebat occidere, sed tantùm præuidit posse occidi: talis occisio dicitur voluntaria indirectè & interpretatiuè, quia licèt non intenderetur in se, vel directè; sequitur tamen ex causa, idest ex iactu sagittæ, quia iactus intendebatur directè, & in se. Hinc sequitur voluntarium directum siuè expressum idem esse cum voluntario, quod est volitum in se; voluntarium autem indirectum & interpretatiuum idem esse cum volito in causa, quod tamen non sit volitum in se.

Monemus, quòd originale peccatum quatenùs originale formaliter illud includit in suo conceptu vt nulla ratione, & secundum actiuitatem physicam, nec secundum actiuitatem moralem sit voluntarium illi, cui inest proprium; quia eo ipso quòd vel minimam includeret rationem voluntarij in contrahēte, iam non esset sibi originalis, sed actualis culpa dumtaxat: ex eo enim diuersificantur à se inuicem originale & actuale peccatum per ordinem ad voluntatem, quia respectu illius actiuè, physicè, vel moraliter; respectu verò istius merè passiuè se habet, nec posset vlla ratione salua consistere formalis ratio actualitatis in illo, & formaliter ratio originis in isto: siquidem omninò tunc confunderentur rationes illorum, si quomodòcunque voluntarium per concursū propriæ voluntatis admittatur in posteris Adæ originale peccatum; & omnis præcluderetur nobis aditus ad distinguendum illud quatenùs actuale formaliter, ab isto quatenùs est originale formaliter. Illud tantùm importat originale peccatum, quatenùs originale formaliter vt ad contradistinctionem ab actuali, quatenùs tale formaliter dicatur, & sit peccatum originis; scilicet traditum & contractum per originem, & naturalem propagationem, scilicet vt intelligamus hinc, quòd quemadmodùm naturalis filius Adæ omninò merè passiuè se habet respectu naturæ, quæ sibi per originem communicatur: itá similiter omninò merè passiuè se habet respectu originalis peccati, quod per originem veluti per conditionem necessariò non ex natura rei; sed ex Diuino decreto exactam communicatur, atque transfundit.

Et quòd nullam penitùs includat rationem voluntarij originale peccatum in contrahentibus ipsum, declaratur vlteriùs; quia non per physicum influxum vo-

voluntatis ipsorum in eo instanti, quando contrahitur, vt liquidò patet. Tùm quia originale peccatum nullatenùs consistit in actu, sed in sola carentia originalis Iustitiæ, & per consequens quilibet actiuus voluntatis influxus esset prorsùs impertinens respectu illius; tùm quia in instanti conceptionis non nisi miraculosè possent habere vsum rationis posteri Adæ, nec per concursum physicum, quo simul cum Adamo influxissent in actuale peccatum illius per quem ininfluxum demeruissent originalem Iustitiam, quia quando Adam peccauit, ipsi non existebant. Nec valet si dicas, quòd continebantur virtualiter in Adamo, vt in principio propagatiuo, & consequenter ex vi talis continentiæ etiam ipsi veluti facientes vnum cum ipso Adamo influxerunt in eius peccatum: nam hoc non valet, quia id quod virtualiter continetur in causa, licèt dicat ordinem ad existendum; tamen reuerà hoc non existit, & per consequens est nihil: sicut igitur posteri Adæ nullatenùs seipsis influxerunt in peccatum ipsius, quia tunc non existebant, hoc est quia erant nihil; itá similiter nullatenùs influxerunt in transgressionem illius etiam vt virtualiter in ipso contenti, quia etiam sub ea virtuali continentia concepti reipsà non existebant, & per consequens etiam sic erant purum nihil, seu non habebant esse.

Sanè miror, quomodò ex isto capite contendant nonnulli deducere, & colligere nescio quam rationem voluntarij in originali peccato per comparationem ad contrahentes illud; tum quia si hæc ratio voluntarij esset verè talis, & verè infunderetur in posteros Adam ex actiuo conconcursu in peccatum illius, qui competeret ex vi continentiæ virtualis, tunc peccatum illud esset potiùs actuale quàm originale in ipsis, vt suprà insinuauimus: tùm quia est omninò fictitia ea excogitata ratio voluntarij, quod deducitur euidenter ex eo, quia nec continebat Adam posteros omnes immediatè, vt patet; nec continebat illos virtualiter totaliter, quia non secundum intellectiuas animas illorum, & per consequens non secundum voluntates eorum, à quibus vt virtualiter contentis in ipso potuisset vtrumque desumi, & effingi potiùs aliqua ratio voluntarij. Hoc argumentum est Scoti in 2. dist. 33. quest. 2. sub lit. C. vbi contendés pro-

probare quòd posteri non contraxerunt debitum habendi Iustitiam originalem, ex eo quòd virtualiter secundum esse naturę, & secundum esse personale continebantur in Adam, habet hæc formalia verba: *Qualiter igitur sufficit modus accipiendi Iustitiam ad debere Iustitiam acceptam? Si enim non fuit in Adam secundum voluntatem, secundum quam potest habere Iustitiam; non igitur quia fuit in aliquo causaliter vt in principio propagatiuo, ideò est debitor Iustitiæ &c.*

Potest etiam argui similiter in proposito: Posteri non fuerunt in Adamo secundum voluntatem, sed tantùm secundum carnem, & non potuerunt quomodòcunque voluntariè concurrere simul cum Adam ad peccatum illius, nisi secundum voluntatem, à qua sola pendet quæuis imaginabilis ratio voluntarij, nō igitur quia fuerunt in ipso causaliter vt in principio propagatiuo, ideò non seipsis, sed vt in seipso voluntariè influxère in peccatum Adami.

Dices, quòd licèt posteri non continebantur secundum intellectiuas animas in Adamo causaliter immediatè, continebantur saltem causaliter mediatè ex eo videlicet; quia habuit ipse & posteri ex ipso, vndè immediatè attingere potuerit perfectum corporis organizationem, quæ immediatè disponit ad infusionem animæ rationalis: vndè postmodùm fit, vt generans verè & propriè dicatur generare hunc hominem, & hanc personam; cuius etiam propriè, & verè dicitur Pater.

Ad hanc instantiam multiplex est facilis responsio: Primò, quia licèt hæc ratio desumpta ex attingentia organizationis valeret aliquid, non tamen probaret propriè intentum in Adamo, nisi respectu filiorum, quos ipse genuit immediatè; quia in ipsis, & non in filijs aliorum; reipsà attingit corporis organizationem. Secundò quia organizatio non ex natura rei & physicè, sed ex beneplacito Diuino, & moraliter tantùm disponit ad infusionem animæ rationalis, vt inquit Scotus in 2. dist. 32. quæst. 2. sub lit. C. Tertiò & vltimò, quòd quantùmuis concedatur corporis organizationem positam in esse per virtutem seminalem Adami, ex natura rei disponeret ad infusionem animæ rationalis: non tamen esset verum, quòd illa organizatio, vel potiùs per illam organizationem contineret Adamus

mus aliquo pacto causaliter propriè animam rationalem, quæ à solo Deo producitur per creationem.

Dices secundò iuxta communiorem modum explicandi rationem hanc voluntarij, quòd quàmuis nequeat ipsa colligi ex continentia physica; potest tamen facillimè colligi ex morali continentia voluntatum posterorum Adami in ipsius voluntate: fuit enim Adamus non solùm naturale, sed etiam morale caput suorum posterorum, quandoquidem Deus constituit eum velut fideiussorem & tutorem illorum, & per consequens posterorum voluntates erant velut compromissæ voluntati Adami; & ità facientes vnum moraliter cum illa, vt exstiterint & remanserint obnoxiæ vtrique fortunæ, damno, & lucro: quatenùs videlicet peccante Adamo, peccarent cum illo; vel ipso vincente vincerent & ipsi, ac ipso cadente, caderent.

Quòd fuerit constitutus Adā morale caput, vt sic probatur ex illo Romanornm 5. *In quo omnes peccauerunt*: sed non posset dici posteros peccauisse in Adamo, nisi voluntas Adami contineret & foret vnum moraliter cum voluntatibus illorum; ergo &c.

Probatur etiam rationibus, quia cùm Deus sit supremus Dominus & gubernator rerum nostrarum, potestas ipsius extendit se ad omnes modos earum, & per consequens potuit efficere, vt voluntates posterorum essent ita vnum moraliter cum voluntate Adami: quemadmodùm voluntas vnius hominis, qui compromittit eam voluntati alterius hominis habens pro rato & firmo quidquid efficietur ab isto, facit vnum moraliter cum illa. Quod confirmatur vlteriùs, quia cum Deus possit supplere vices secundarij efficientis, poterit etiam ipse seipso immediatè, & independenter ab influxu voluntatum ipsarum efficere, vt voluntates ipsæ posterorum, Adami facerent, & essent ità vnum moraliter cum voluntate ipsius, sicut simul cum ipso fuissent producti, potuissent ipsi ex eorum merè beneplacito, & libera compromissione suarum voluntatum cum voluntate Adami efficere; vt essent propriè & verè vnum moraliter cum illa, & consequenter habere pro rato & firmo id, quod pro conseruatione vel amissione originalis Iustitiæ contigisset.

Ad hanc instantiam respondemus

mus & dicimus, quòd licèt prædicta sententia, quæ penes explicatam moralem continentiam & vnitatem voluntatum filiorum Adami cum voluntate ipsius declarat rationem voluntarij respectu originalis peccati, hæc videatur prima facie plausibilis; si tamen attentiùs consideretur & examinetur, nulla potest ratione substinere.

Et in primis omnes rationes, quæ suprà fuerunt adductæ contra voluntarium desumptum ex continentia virtuali, euidenter conuincunt etiam effectionem & impossibilitatem voluntarij desumpti ex continentia vel ex vnitate morali, vt patebit applicanti illas contra explicatam vnitatem moralem, quam fingunt intercessisse inter voluntatem Adami,& voluntates posterorum eius.

Deindè euidenter deducitur idipsum ex Scoto in 2. dist. 32. sub lit. G. vbi declarans in quo sensu peccatum originale sit, & dici possit: *Voluntarium*, inquit, *quod peccatum originale denominatur voluntarium solùm per hoc,quòd est subiectiuè in principio libero; non autem quòd sit ab ipso effectiuè,quomodò subiungit non oportet esse voluntarium ipsi habenti,sed ei vel alijs à quo contrahitur ipsum peccatum.*

Ex quibus verbis illud habetur; primò, quòd Scotus non aliundè agnoscit, & desumit rationem voluntarij in labe originali concepta in contrahente,nisi ex sola liberi principij receptiua potentia subiectante illam. Secundò habetur peccatum originale non esse voluntarium penes actiuitatem principij liberi, nisi illi à quo contrahitur, quòd non esset adæquatè verum,si voluntates posterorum fuissent vnum moraliter cum voluntate ipsius; quia ijs qui voluntatem suam compromisit & colligauit cum voluntate alterius ad aliquid efficiendum, aliquo pacto concurrit cum illo ad effectionem operis illius. Id etiam colligitur ex responsione ad secundum principale ibidem,& euidentiùs suprà in eadem distinctione sub lit.B. vbi inquit: *Originalem Iustitiam fuisse amissam actione alterius, quod nulla ratione subsistere posset; si voluntates posterorum Adami essent vnum moraliter cum voluntate ipsius moralis.*

Cur igitur non diceretur tunc etiam actione nostra fuisse amissam originalem Iustitiam? Sed euidentissimè colligitur hoc ex Tridentino sess.5. in decreto de peccato originali Can.2. vbi decernit Adamum non sibi soli,sed etiam nobis perdidisse per sui

R præ-

præuaricationem originalem Iustitiam. Quomodò ergò subsistet id quod inquit Concilium, Adamum videlicet ex vi suæ præuaricationis perdidisse sibi & nobis originalem Iustitiam si secundum præexplicatum sensum constitutus fuisset ipse morale caput posterorum ipsius? Cur igitur simul cum ipso non amisimus eam etiam nos, si voluntates nostræ & voluntas ipsius erant vna voluntas; & si erant vna voluntas, cur ergo Concilium inquit ipsum sua præuaricatione perdidisse nobis illam? Manifestè indicat nil nos commune habuisse cum Adamo in amissione originalis Iustitiæ, & cur tandem inquit Concilium; sua propria præuaricatione, &c. Si voluntas erat communis, nonnè communis debuisset esse præuaricatio, si voluntas erat communis? Idipsum etiam colligitur ex eodem Concilio sess. 6. cap. 1. vbi inquit: *Omnes homines perdidisse innocentiam in præuaricatione Adæ*, si perdidimus illam in præuaricatione Adæ; ergo non in præuaricatione communi, quod omninò asserendum esset, si communis fuisset voluntas.

Immò hìc omninò aduertendum est, quòd illa præpositio (*in*) æquiualet huic alteræ præpositioni (*per*) ità vt idem omninò sit, dicere homines perdidisse innocentiam in præuaricatione, ac perdidisse illam per præuaricationem Adami; ità vt (*in*) non significet, & importet posterorum sub quauis continentia, & vnitate conceptorum communionem, & concursum cum Adamo ad propriam illius præuaricationem: quasi verò ideò dicantur perdidisse innocentiam in præuaricatione Adami, quia ex vi alicuius physicæ continentiæ, vel moralis vnitatis simul cum ipso influxerunt in præuaricationem illius: sed vt designet, & importet causalitatem dumtaxat non physicam sed moralem, nempè demeritoriam respectu carentiæ, & priuationis originalis Iustitiæ in nobis.

Ità plusquàm euidenter colligitur ex Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali, Can. 2. vbi decernit, quòd Adæ præuaricatio non sibi soli; sed etiam eius propagini nouit. En igitur quomodò Concilium explicat præuaricationem Adami in ratione principij actiui respectu nocumenti & damni, quod attulit humanæ propagini. Quam actiuitatem, & causalitatem explicatiùs exprimit paulò inferiùs per dictam præpositionem (*per*) dum etiam in significatione actiua loquens

quens inquit; vt inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnam corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ. Idipsum etiam colligitur ex eodem Tridentino sess.6.cap.7.in fine, vbi repetens quòd *Adam sua inobediētia sibi, & nobis perdidit primam stolam*; vtitur inobedientia in casu Ablatiuo, in quo sēper solemus exprimere illa, quæ causalitatem aliquam importāt; itā vt idem omninò sit Adamū sua inobedientia, ac Adamum ex vi suę inobedientię, vel per suam inobedientiam perdidisse sibi & nobis primam stolam. In quo testimonio notandum est iterùm, quòd Concilium inquit: *Sua scilicet propria & non communi cum posteris inobedientia*. Inquit insuper, *quòd ipse, & non posteri cū ipso, perdidit sibi & nobis, &c.*

Sed audiamus prædictam causalitatem in terminis ipsis expressam à Spiritu Sancto Romanorum 5. itaquè enim inquit Apostolus ibi: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. Et immediatè subiungit: *Sicut enim per inobedientiam vnius, homines peccatores constituti sunt multi; ità per vnius obeditionem iusti constituentur multi*. Et suprà etiam dixerat: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, &c.* Quid clariùs desiderari potuisset?

In quibus testimonijs illud est summoperè aduertendum, quòd ex vi contrapositionis & paritatis, qua Diuus Paulus contraponit, & comparat inobedientiam Adami ad obedientiam Christi; ea prorsus debet admitti causalitas inobedientiæ Adami respectu nostræ condemnationis, quæ admittenda est in Christo obedientia respectu nostræ iustificationis: sed talis admittenda est causalitas in Christi Domini obedientia respectu nostræ iustificationis, vt solus Christus & sub nulla penitùs ratione nos cum ipso per suam obedientiam meruerit nobis nostram iustificationem; ergo talis & non alia admittenda est causalitas in obedientia Adami respectu nostræ damnationis, vt ipse solus & sub nulla penitùs ratione nos cum ipso per suam propriam inobedientiam meruerit, & attulerit nobis nostram condemnationem.

Si dicas, quòd similitudo non tenet, quia non ità Christus fuit naturale caput propaginis humanæ, sicut fuit Adamus; & ideò non potuit humana pro-

pago ità communicare cum Christo obedientiam respectu iustificationis sicut habuit communicare posse, & communicauerit cum Adamo inobedientiam respectu nostræ condemnationis.

Respondemus, sicut suprà respondimus ad hanc eandem communicationem, seu continentiam vel vnitatem; & dicimus insuper esse omninò falsum posteros Adami communicasse cum Adami inobedientia respectu nostræ condemnationis ex eo, quòd fuerit ipse naturale caput illorum, quia tunc nulla ratione saluari posset, quin etiam ex eadem radice communicauerit cum ipso in alijs peccatis illius, & quin etiam quilibet nostrum communicet à fortiori cum peccatis proprij Genitoris, cùm sit iste immediatiùs, quàm Adamus naturale caput filij geniti.

Si dicas iterùm, quòd & si dicta communicatio non possit colligi ex eo, quòd Adam fuit naturale caput; colligetur saltem ex eo, quòd fuit morale caput humanæ propaginis. Nos iterùm respondemus ad communicationem & vnitatem hanc moralem, sicut suprà respondimus. Et addimus insuper, quòd etiam Christus fuit in vniuersorum hominum & Angelorum caput morale respectu iustificationis, & tamen nullus est, qui dicat vel qui dicere possit nos per hoc aliquo pacto concurrisse cum ipso ad eius obedientiam respectu nostræ iustificationis. Fatemur igitur fuisse Adamum constitutum à Deo morale caput propaginis, sed sub ea ratione dumtaxat vt accipiens ipse pro se originalis Iustitiæ donum; etiam pro posteris, quorum præstitutus erat morale caput, acceperit illud: ea tamen lege vt si obseruaret iniunctum sibi præceptum, & pro se & pro posteris tunc conseruaret originalem Iustitiam; sed si transgrederetur Diuinum mandatum, pro se & pro posteris tunc amitteret illam: vndè fit quòd quando posteri Adæ dicuntur accepisse & amisisse originalem Iustitiam in illo, non ita intelligendum sit, quòd ipsi simul cum ipso non vt in se ipsis; sed vt in ipso ex vi physicæ continentiæ, vel ex vi moralis vnitatis, & communitatis voluntatum eadem communicatione acceperint, & eadem communi transgressione perdiderit originalis Iustitiæ donum: sed in eo sensu tantùm accipiendum est, vt in illo; scilicet per illum, seu mediante illo accepimus, & amisimus originalis Iustitiæ donum.

DISPV-

DISPVTATIO III.

De composſibilitate peccati venialis in Adamo in ſtatu innocentiæ.



RAEMISSIS nonnullis Documentis ex materia morali, ſolutionem dabimus Diſputationi beneficio Propoſitionum.

DOCVMENTVM I.

Dicens quomodò peccatum mortale, & veniale adinuicem diſtinguantur, & comparentur.

PRo terminorum intelligentia, moneo peccatum dici mortale per denominationem deſumptam à morte, quam inducit. Triplex ratio mortis hìc conſiderari poteſt. Prima dicitur priuatio gratiæ, cùm gratia ſaltem diſpoſitiuè ſit vita ſpiritualis animæ. Secunda eſt priuatio coniunctionis ſaltem demeritoriè cum ipſo Deo, qui verè & propriè dicitur noſtra vita. Tertia eſt ratio mortis ſupplicij æterni. Ab omnibus ergo his tribus rationibus mortis, peccatum denominatur mortale: vndè illud dicitur peccatum mortale, quod priuat animam gratia ſanctificante, & conſequenter coniunctione beatifica cum Deo, & inducit reatum pœnæ æternæ. Peccatum veniale econtrà denominatur tale à venia, vel quia de facili illam conſequi poteſt, vel quia propter ſuam leuitatem dignum eſt venia; vel tandem quia compatitur de facto cum ipſa gratia ſanctificante, nec eſt inductiuum æterni ſupplicij, ſed tantùm pœnæ temporalis.

***

DO-

DOCVMENTVM II.

Docens an peccatum mortale & veniale diſtinguantur ex natura rei?

NOſter Pater Vulpes opinatus eſt peccatum mortale & veniale philoſophicè, quatenùs ſcilicet ſunt auerſiua à regula naturalis prouidentiæ non diſtingui inter ſe eſſentialiter ex natura rei: Theologicè verò diſtingui à poſteriori & ex diuerſis effectibus, ſcilicet quia mortale inducit reatum pœnæ æternæ; veniale verò pœnam temporalem. Primum priuat gratia. Secundum nequaquàm, ſed potiùs cum ipſa compatitur. Hanc differentiam ſolùm ex Diuina ordinatione reperiri inter peccatum mortale & veniale affirmat Vulpes, quatenùs ſcilicet ab extrinſeco, ſiue ex communi lege libera Diuinæ voluntatis determinatum eſt, gratiam non conſeruari ad poſitionem peccati mortalis, & ad ipſum ſequi reatum pœnæ æternæ: ſic ex eadem Diuina ordinatione peccatum veniale de facto compatitur cum gratia, & ſolùm inducit pœnam temporalem. A priori etiam extrinſecè diſtinguit Vulpes peccatum mortale & veniale, quatenùs ſcilicet mortale eſt contra regulam obligantem de neceſſitate ſalutis: veniale verò eſt contra Regulam dirigentem ad aliquod vtile pro conſecutione ſalutis; & ità colligit Vulpes peccatum mortale & veniale nullo modo differre ex natura rei, ſed ſolùm ex Diuina ordinatione, quatenùs à ſola Diuina voluntate pendet, quòd aliqui actus præcipiantur neceſſarij ad conſequendam vitam æternam, & alij deſtinantur ſolùm vt vtiles: ſicut ex eadem Diuina ordinatione deſtruitur gratia ad poſitionem peccati primo modo, & inducitur reatus mortis æternæ. Tandem affirmat Vulpes, quòd ſuppoſita Diuina ordinatione, potiſſima differentia, & à priori peccati mortalis ac venialis deſumenda eſt penes hoc, quòd mortale ſit priuatio rectitudinis neceſſariæ; veniale verò ſit priuatio rectitudinis tantùm vtilis ad conſequendam vitam æternam.

Secunda ſententia affirmat omnia peccata ex natura rei eſſe mortalia, & digna pœna æterna; ex miſericordia verò Dei, vt aliqua peccata ſint tantùm venialia. Putamus peccatum mortale & veniale ex natura rei di-

distingui, ità communis sententia Theologorum. Probatur primò ex illo Psalmi 61. *Deus reddet vnicuique iuxta opera sua*; sed Deus grauiter (scilicet pœna æterna) punit peccatum mortale: leuiter (scilicet pœna temporali) punit peccatum veniale; ergo secundum se ex natura rei, vnum est graue, & aliud est leue, vel vnum grauiter displicet, & aliud leuiter solùm, scilicet ratione propriæ materiæ circa quam versantur. Sit altera ratio: quia hoc quod est Deum non conseruare gratiam ad positionem peccati mortalis, & condemnare peccantem mortaliter ad supplicium æternum, non est ex sola Diuina voluntate, quasi pro libito & absque ratione possit peccantem leuiter, punire supplicio æterno; & peccantem grauiter, pœna tantùm leui & temporali: cùm potiùs Deus vt iustus Iudex debeat punire iuxta grauitatem, vel leuitatem delicti; ergo ex natura rei peccatum mortale & veniale distinguntur. Confirmatur, quia si solùm ex Diuina voluntate proueniret differentia peccati mortalis & venialis, nulla assignari posset regula ad discernendum inter ista peccata; quodnam sit peccatum mortale, & quodnam veniale. Patet, quia Diuina voluntas præfiniens mortale & veniale, non satis nobis est reuelata in sacra Scriptura; si ergo ex ipsa materia cognoscimus differentiam peccati mortalis & venialis, consequenter dicendum est peccatum mortale, & veniale ex natura rei distingui.

Obijcies primò pro prima sententia. Ex Scoto pluribus in locis, in quibus sæpè sæpiùs affirmat rationem peccati mortalis & venialis solùm ab extrinseco prouenire, scilicet ex Diuina voluntate præcipiente aliquid vt necessarium, vel vt vtile ad salutem. In secundo distinct. 37. sub lit. D. habet, quòd à sola voluntate Diuina determinatur, vel aliquid præcipitur vt necessarium ad consequendum finem supernaturalem iuxta illud: *Si vis saluari, serua mandata*. Ex quo fit secundum Scotum, ideò aliquem peccare mortaliter, & auertere se virtualiter à fine supernaturali, quia se auertit ab aliquo, à Diuina voluntate ordinato, in ratione medij ad consecutionem vltimi finis; ergo ex Diuina voluntate oritur, quòd aliquod sit peccatum mortale, cùm ex natura rei nec datur medium ad finem supernaturalem, nec

nec intelligitur auersio ab vltimo fine in quocumque peccato. Item in 4.distinct.26.quæst.1. *Ad tertium*, vbi docet Scotus; quòd supra jus naturæ ex terminis notum meritò cadit jus Diuinum positiuum liberè impositum sub pœna læthali: quia minùs obediunt homines soli legi naturæ, quàm Deo præcipienti; ex quo fit peccata in genere naturæ tantùm esse mala moralia directè opposita virtutibus moralibus, non tamen esse mortalia, nisi supposita Diuina ordinatione. Tandem in 4.distinct.50.quæst.3. sub lit.E. habet Scotus hæc verba: *Et dico nisi reuocetur præceptum, quia non videtur quòd circa creaturam sit aliquod peccatum mortale; sed tantùm ex præcepto Diuino vt cognoscere alienam, occidere hominem, &c.* Quia illa ex se, si Deus reuocaret præceptum, non essent peccata; immò addit Vulpes, quòd peccata contra præcepta primæ Tabulæ seclusa Diuina ordinatione non forent peccata mortalia. Hinc concludit Vulpes, quòd si ex sola Diuina voluntate peccatum dicitur mortale, quatenùs ex sola Diuina voluntate destruitur gratia ad eius positionem, & inducitur reatus supplicij æterni; consequenter peccatum mortale & veniale solùm ab extrinseco; non verò ex natura rei differunt.

Respondetur hæc omnia solùm probare de peccato mortali & veniali, quæ dicuntur talia ex euentu; non verò ex proprio genere, siuè ex obiecto: quàmuis enim verum sit prædictos euentus, scilicet priuationem gratiæ, auersionem ab vltimo fine, inductionem supplicij æterni, non essentialiter, sed ab extrinseco conuenire peccato mortali, & oppositos euentus peccato veniali; adhuc tamen istis sublatis effectibus, distinguuntur peccatum mortale & veniale ex proprio genere, siuè ex natura rei: semper enim mendacium officiosum, vel iocosum, vel verbum otiosum forent peccata leuia, sicut etiam quodlibet perfectum imperfectione desumpta, vel ex paruitate materiæ, vel ex imperfecta deliberatione forent peccata venialia; sicut econtrà homicidium, furtum in magna quantitate, mendacium offensiuum, forent peccata grauia vehementer dissona rectæ rationi, & ità ex natura rei prædicta peccata forent distincta.

Oppones secundò pro secunda sententia. Potest Deus de sua potentia absoluta punire quodli-

bet

bet peccatum pœna æterna, quę pœna si à Deo imponeretur iusta esset; ergo ex natura rei quodlibet peccatum est punibile pœna æterna, & ex sola Diuina misericordia punitur pœna temporali. Respondetur distinguendo maiorem: potest Deus vt Dominus vniuersalis punire quodlibet peccatum pœna æterna, concedo maiorem; vt iustus Iudex respiciens ad grauitatem vel leuitatem delicti, nego maiorem: non enim ex natura rei repetitur proportio culpæ leuis cum pœna æterna.

Obijcies etiam. Magis est offendere animam, quàm corpus: sed qui offendit corpus occidendo hominem peccat mortaliter; ergo à fortiori, qui per peccatum veniale offendit animam, debet peccare mortaliter. Respondetur argumentum nihil probare: nam qui offendit corpus, ideò peccat mortaliter, quia in re graui facit contra legem obligantem de necessitate salutis, & consequenter grauiter offendit animam suam; cùm autem peccatum veniale ex proprio genere, sit tantùm transgressio leuis ipsius legis, consequenter nequit ex natura rei esse peccatum mortale & offensio grauis. Oppones, quòd per peccatum veniale etiam offenditur Deus, & ipsi displicet: sed quęlibet offensa Dei ex proprio genere est mortalis & meretur pœnam æternam & infinitam, sicut infinitæ dignitatis est Deus, qui offenditur; ergo &c. Respondetur negando minorem: estò enim quodlibet peccatum sit Dei offensiuũ, & ipsi displiceat; adhuc tamen intra genus offensionis, aliqua grauiter offendunt, & displicent: alia verò solùm leuiter.

DOCVMENTVM III.

In quo differant peccatum mortale, & veniale.

MOnemus præsentem difficultatem non esse de differentia à posteriori, vt penes effectus; sed de differentia à priori, & penes rationes formales peccati mortalis & venialis. Putat aliqui peccatum mortale & veniale essentialiter differre, quia primùm est inductiuũ reatus pœnæ æternæ; secundum verò tantùm est inductiuum pœnæ temporalis. Alij docent peccatum mortale esse contra legem; peccatum verò veniale non esse contra legem, sed pręter legem. Tertia sententia asserit

ferit peccatum mortale in duobus differre à veniali: Primò, quia mortale priuat gratiam, quę est principium ordinis in Deum vltimum finem supernaturalem; veniale verò de facto compatitur cum ipsa gratia. Secundò quia peccatum mortale est auersiuum à Deo vltimo fine supernaturali, & rationem finis ponit in creatura; veniale verò nequaquàm, sed potiùs habitualiter saltem refertur in Deum, ità Angelicus Magister cum suis Sectatoribus. Quarta sententia ponit duplex discrimen inter peccatum mortale & veniale, vnum à priori, aliud à posteriori: differunt à posteriori prædicta peccata, quia mortale solùm demeritoriè est priuatio gratiæ, quæ est saltem dispositiuè principium vitæ spiritualis, siuè vitalis coniunctionis cum Deo verè vita animæ; veniale verò compatitur cum ipsa gratia. Differunt etiam à posteriori, quia mortale inducit, reatum pœnæ æternæ; veniale autem reatum pœnæ temporalis. A priori differunt prædicta peccata, quia mortale est contra præceptum; veniale verò est solùm contra consilium: ità Scotus in 2. dist. 37. & dist. 21. quæst. 1. §. *Dico ego*; vbi sic ait: *Sed in hoc distinguntur, quia peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest assequi aliquo modo, quæ quidem ordinariè habet præceptum contra quod deordinatio fit; & ideò omnis deordinatio cadens sub præcepto, auertit à fine necessario: & alia est ordinatio, quæ potest esse respectu finis sequendi, quæ non est necessaria, sed vtilis; quæ non est de præcepto, sed potiùs de consilio, & deordinatio opposita huic est peccatum veniale.*

Propter prædicta verba Scoti, multi ex alienis ipsum acriter reprehendunt, quasi absolutè distinxerit peccatum mortale & veniale per hoc, quòd primum sit contra præceptum, secundum contra consilium, quod videtur apertè falsum: nam ex ista sententia sequeretur, quòd nubere esset peccatum veniale; quippè contra consilium.

Pro clariori intelligentia doctrinæ Scoti, monemus cum Patre Rada legem dupliciter posse sumi. Primò pro regula obligante simpliciter ad aliquid, siuè tale sit necessarium, siuè vtile ad finem supernaturalem consequendum. Secundò pro regula obligante ad aliquod necessarium, sine quo finis vltimus supernaturalis nequeat consequi.

Con-

Consilium econtrà adhuc dupliciter sumi potest: primò vt abstrahit ab omni obligatione legis tàm primo, quàm secundo modo; & hac ratione seruare virginitatem, ingredi Religionem, & cæteræ virtutes Euangelicæ, licèt sint media vtilia, & optima consilia ad finem supernaturalem, tamen abstrahunt ab omni obligatione legis. Secundo modo sumitur consilium, vt abstrahit ab obligatione legis secundo modo tantùm acceptæ; includit tamen obligationem legis primo modo, & hac ratione mendacium officiosum, verbum iocosum, vel otiosum, furtum rei leuis: licèt non sint de necessitate salutis, sunt tamen media vtilia ad finem supernaturalem consequendum, etiam si contra consilium secundo modo, & contra legem secundo modo; nam licèt quando quis officiosè mentitur, non agat contra legem obligantem ad aliquod necessariò simpliciter ad finem consequendum: agit tamen contra legem primo modo obligantem ad aliquod absolutè, à qua deflectere peccatum est. Doctrina ergo Scoti suprà tradita solùm intelligenda venit de consilio secundo modo accepto, & de lege secundo modo accepta.

Colligit ex his Pater Rada. Primò, peccatum mortale & veniale conuenire in hoc, quòd vtrumque sit contra legem, differre tamen; quia mortale est contra legem præcipientem aliquid de necessitate salutis, cuiusmodi sunt omnia præcepta Decalogi iuxta illud Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: quæ ità sunt necessaria, vt sine obseruatione illorum nequeat finis vltimus supernaturalis consequi. Peccatum verò veniale, solùm est contra legem præcipientem aliquod vtile ad finem supernaturalem, & huiusmodi sunt mendacium officiosum, verbum otiosum, furtum rei leuis &c. quæ opponuntur legibus præcipientibus non mētiri officiosè, non dicere verbum otiosum &c. quæ vtilia sunt ad consecutionem finis supernaturalis.

Secundò colligit aliam differentiam, quòd peccatum mortale destruit saltem demeritoriè gratiam & amicitiam cum Deo, & inducit supplicium æternum; secus peccatum veniale. Ratio discriminis est, quia cum peccatum mortale sit contra aliquod necessarium ad vitam æternam consequendam; sequitur, quòd non potest simul stare

re cum gratia, quæ hominem ordinat ad illam: nam charitate manente in anima, nihil deficit necessarium ad vitam supernaturaliter consequendam, vt definitum est in Concilio Tridentino sess.6.cap.15. peccatum veniale econtrà, quia non est contra aliquod necessarium, sed solùm vtile; ideò benè stare potest cum gratia, & amicitia habituali & actuali ipsius Dei.

CONCLVSIO.

PRæcipua differentia à priori inter peccatum mortale & veniale, benè assignatur ex eo; quòd peccatum mortale sit contra præceptum, veniale verò contra consilium: siuè peccatum mortale est priuatio rectitudinis necessariæ pro consecutione finis supernaturalis; veniale verò est priuatio ordinationis tantùm vtilis & sub consilio, sumendo præceptum vel consilium, pro vt notauimus suprà declarando opinionem Scoti. Accedant rationes: illarum prima sit.

Peccatum quodcunque essentialiter consistit in priuatione rectitudinis debitæ; ergo differentia essentialis, & à priori peccati mortalis & venialis, necessariò desumenda est penes diuersas rectitudines, quarum sunt priuationes; quia nimirùm mortale dicit priuationem rectitudinis cadentis sub præcepto ad consequendam vitam æternam; veniale autem solùm dicit priuationem rectitudinis tantùm vtilis, & cadentis sub consilio ad consequendum finem supernaturalem.

Probatur secundò, referendo sententias contrariorum. In primis non benè ponitur prædicta differentia à D. Thoma per hoc, quòd peccatum mortale sit contra finem, veniale contra media. Quippè vel hoc intelligitur taliter, vt mortale sit immediatè contra Deum; veniale verò contra naturam, vt exponit Caietanus: at hoc nequit dici, quia vt docet Scotus, potest quis peccare mortaliter immediatè tàm circa finem, scilicet Deum, quàm circa media, scilicet creaturas. Patet quia præcepta Decalogi obligant sub lethali culpa, & tamen aliqua respiciunt Deum, vt præcepta primæ Tabulæ; & aliqua creaturas, vt præcepta secundæ Tabulæ. Tum etiam quia actus leuis infidelitatis, odium indeliberatum, sunt circa Deum vt finem, & tamen sunt venialia; ergo etiam circa finem po-

potest esse peccatum veniale. Si autem dicatur cum Vasquez D.Thomam intelligi,quòd mortale tollat gratiam, principium ordinis, vel coniunctionis cum Deo; veniale nequaquàm. Hoc etiam dici non potest, quia prædicta differentia & potiùs à posteriori, quàm à priori: gratiam enim aufferre, aut non aufferre, est effectus peccati demeritoriè; furtum enim, adulterium &c. non consistit essentialiter in priuatione gratiæ, sed potiùs in priuatione rectitudinis debitæ obligantis de necessitate salutis: ad quam obligationem demeritoriè sequitur tanquàm effectus moralis,ipsa priuatio gratiæ;ergo differentia essentialis à priori inter peccatum mortale & veniale, non benè assignatur per hoc, quòd mortale auferat gratiam, veniale verò cum ipsa compatiatur.

Nec secundò benè assignatur prædicta differentia per hoc, quòd mortale sit contra legem, veniale verò præter legem; quia vel veniale dicitur præter legem vt nulli legi, vel regulæ opponatur, & hoc est falsum, cùm implicet intelligere peccatum,quin intelligatur contrarium alicui regulæ: & reuerà nullus negare potest peccatum veniale non esse contra aliquam regulam virtutis auferens eius rectitudinem, vt patet de mendacio,furto rei leuis &c. Si autem dicatur veniale esse præter legem, scilicet præter legem obligantem ad aliquod de necessitate salutis, hoc modo si ex se dicatur, coincidit cum nostra sententia.

Nec tertiò dici potest mortale, & veniale primò differre ratione reatus pœnæ æternæ & temporalis, cùm talis distinctio sit omninò à posteriori, & per effectus: etenim prædicti reatus non sunt rationes essentiales peccati mortalis & venialis, sed potiùs sequuntur ad differentiam intrinsecam peccati mortalis;ideò enim quis subditur obligationi pœnæ æternæ,quia mortaliter peccat, sicut & per peccatum veniale subditur obligationi pœnæ temporalis. Nec vltimò dici potest prædicta peccata primò differre, quia mortale respicit creaturam vt vltimum finem, & consequenter dicit auersionem à Deo vltimo fine; veniale verò saltem habitualiter refertur in Deum ratione gratiæ, cùm qua compatitur. De hac diffusè egimus aliàs.

Obijcies primò. Opus factum contra consilium, nullo modo est peccaminosum, ergo perperàm

ràm Scotus ponit differentiam inter peccatum mortale, & peccatum veniale; quòd primùm sit contra præceptum, & secundum contra consilium. Confirmatur, quia conseruare Virginitatem, ingredi Religionem &c. sunt media vtilia ad consecutionem finis supernaturalis, si ergo secundum Scotum peccatum veniale consistit essentialiter in priuatione rectitudinis tantùm vtilis ad consecutionem finis supernaturalis: consequenter non seruare virginitatem, non ingredi Religionem &c. erunt peccata venialia; quod concedet nemo. Respondetur distinguendo antecedens: Opus contra consilium primo modo acceptum, nullo modo esse peccaminosum, concedo antecedens; opus contra consilium secundo modo, nego antecedens. Ad eius probationem dico Apostolum loqui de consilio primo modo, Scotum verò de consilio secundo modo, pro vt scilicet consilium includit obligationem legis primo modo acceptæ; & quòd ità sit intelligendus Scotus, colligitur expresse ex secundo dist. 41. vbi docet, quòd licèt homo teneatur maiori obligatione vitare peccatum mortale: adhuc tamen teneri minori obligatione vitare peccatum veniale. Si ergo secundum Scotum, quis obligatione aliqua tenetur vitare peccata venialia, consequenter nequit Scotus intelligi de consilio primo modo, vt liberum est ab omni obligatione, qualia sunt consilia de Virginitate, de Religione &c. Loquitur ergo Scotus de consilio secundo modo, vt dicit aliquam obligationem ad cuius obseruantiam tenetur homo sub pœna peccati venialis, & pro vt consilium confunditur cum lege primo modo. Ad confirmationem respondetur cõsilia Euangelica esse media vtilia ad finem supernaturalem; quia tamen sunt opera subrogationis, illa non seruare, nullo modo est peccatum: quando autem Scotus docet peccatum veniale consistere in priuatione tantùm vtilis, loquitur de rectitudine illa, ad quam ponendam tenetur homo aliqua obligatione minori, qua tenetur ad ponendam rectitudinem necessariam.

Obijcies secundò: Peccatum essentialiter duo importat, auersionem scilicet à Deo vt vltimo fine, & controuersionem ad creaturam vt vltimum finem; ergo peccatum mortale debet distingui à veniali vel ratione conuer-

uersionis, vel ratione auersionis essentialiter importatæ. Respondetur cum Vulpes, quòd peccatum mortale non dicit auersionē formaliter; sed solùm demeritoriè, & virtualiter: quæ auersio communis est omni peccato mortali, & tanquàm effectus moralis consequitur ipsum peccatum mortale. Ideò enim quis virtualiter auertitur ab vltimo fine demeritoriè, quia formaliter se auertit à medio necessario ad illum; vndè formaliter peccatum mortale, solùm dicit priuationem rectitudinis illius virtutis, quæ tanquàm medium necessarium præcipitur à Deo. Conuersio etiam ad creaturam communis est omni peccato mortali & veniali, nec in ipsa consistit formaliter malitia; quia (vt aliàs diximus) conuersio ad obiectum solùm est materiale peccati. Tùm etiam quia interdum, peccatum mortale & veniale habent idem obiectum, vt patet de furto in magna quantitate, & in parua quantitate, quæ respiciunt rem alienam; ergo præcipua differentia mortalis & venialis, non benè desumuntur ex parte auersionis, vel conuersionis: sed potiùs, quia vnum est priuatio rectitudinis necessariæ, aliud verò sit priuatio rectitudinis vtilis.

DOCVMENTVM IV.

Inquirens quare Deus aliquod præcipiat vt necessarium ad vitam æternam, & ad amicitiam cum ipso conseruandam, vt aliquod solùm vt vtile?

RESpondemus cum nostro Rada, Deum ità disposuisse attendendo rerum naturas, quarum quædam sunt magni momenti, & iure optimo, Deus præcipiat vt necessarias ad vitam æternam; quædam verò parui momenti; hinc non fuit expediens illas præcipere vt necessarias ad finem supernaturalem consequendum. Sed quomodò cognosci potest, quodnam sit peccatum mortale, & quodnam sit veniale; siuè quidnam sit illud, quod Deus præcipit vt necessarium; & quodnam sit vtile solùm?

Respondetur hoc cognosci posse (vt docet noster Rada.) Primò è Sacra Scriptura: quotiescunque enim in illa referuntur peccata aliqua abominabilia, execranda; vel quæ dicuntur inferre mortem, & à Regno Cœlorum excludere, omnia talia, & similia debent haberi vt mortalia. Secundò potest cognosci

ex

ex traditione Ecclesiæ & consuetudine Doctorum & hominum piorum. Illud ergo erit mortale, quod tale habetur vel traditione Ecclesiæ, vel consuetudine Doctorum & hominum piorum; quia non est verisimile Deum Ecclesiam suam permittere vt decipiatur in re tanti momenti. A posteriori etiam colligi potest, quòd quotiescunque lege humana imponitur aliqua pœna grauis pro aliquo opere vt excommunicatio maior; tunc illud opus censeri debet mortale: si autem imponatur pœna leuis, vt est excommunicatio minor, censeri debet veniale. Immò etiamsi res aliqua sit in se leuis, dummodò prohibeatur per præceptum sub pœna grauissima, vti esus ligni secundum se leuis fuit; quia tamen prohibitus sub graui pœna, fuit mortalis. Tertiò cognosci potest ex lumine naturali, omnia scilicet peccata, quæ leuiter offendunt Deum, vel proximum, prudentis arbitrio, pro venialibus habenda sunt: quæ verò grauiter offendunt, mortalia debent reputari; quando verò nullo ex his modis innotescit nobis, an opus sit mortale vel veniale, tum standum est puriori conscientiæ.

Petes; an peccatum mortale & veniale vniuocè conueniant sub ratione peccati vt sic? aliquorum fuit opinio peccatum mortale & veniale solùm analogicè conuenire in communi ratione peccati, quatenùs peccatum mortale simpliciter est contra legem, & habet veram rationem peccati simpliciter: veniale verò, vel est præter legem, vel solùm secundum quid, dicitur peccatum. Pro explicatione huius sententiæ aduertit Montesinos peccatum mortale, & veniale dupliciter posse considerari; vel enim primò sumuntur quantùm ad essentiam peccati, vel secundò quantùm ad accidentia illa, scilicet mortalitatis: duo enim simul inuoluit peccatum mortale, scilicet essentialem rationem peccati, & illud accidens mortalitatis. Primum consistit essentialiter in priuatione debitæ rectitudinis: secundum tripliciter adhuc potest sumi, sicut tria sunt accidentia, quæ importantur à peccato mortali & veniali. Primum accidens est reatus ad pœnam æternam, vel temporalem: secundum est ratio iniuriæ, offensæ, vel auersionis à Deo vltimo; quàmuis enim auersio prædicta conueniat omni mortali, vt mortali: non verò quantùm

tùm ad rationem esſentialem peccati. Tertium tandem accidens eſt, quòd mortale ſit ægritudo, ſeù mors animæ; ſcilicet priuatio gratiæ, quæ eſt vita ſpiritualis animæ. Inſuper notat Monteſinos, quòd diuiſio peccati in mortale & veniale, tripliciter poteſt ſumi. Primò ſi diuiſum ſit peccatum ſecundum ſuam eſſentiam, & membra diuidentia ſint mortalia & venialia vt accidentia; & hoc modo prædicta diuiſio eſt ſubiecti in accidentia, quia peccatum ſecundum ſuam eſsentiam eſt ſubiectum fundans *ly* mortale & veniale, vt duo accidentia. Secundò ſi diuiſum ſit peccatum ſecundum eſsentiam, & membra diuidentia ſint peccatum mortale & veniale adhuc, prò vt dicunt eſsentiam & non accidentia, & hoc modo diuiſio prædicta eſt vniuoci in vniuocata, quatenùs peccatum mortale & veniale ſumpta ſecundum rationem eſsentialiter peccati, vniuocè conueniunt in ratione peccati, quatenùs dicunt priuationem debitæ rectitudinis, quia vt ſic conueniunt in priuatione debitæ vt ſic, quæ eſt eſsentialis ratio peccati vt ſic, legatur Monteſinos.

Concluſio; peccatum mortale & veniale ſumpta ſecundum eorum eſſentiam, & quidditatem, vniuocè conueniunt in communi ratione peccati; & ità diuiſio peccati eſt vniuoci in vniuocata. Ita Scotus in 4. diſtinct. 21. quæſt. 1. §. *Ad argumenta*, & in 2. diſtinct. 21. quæſt. 1. §. *Dico ergo*. Sequuntur præter Scotiſtas Lorca, Monteſinos, Durandus & alij. Probatur, quia peccatum veniale verè & propriè rationem habet eſſentialem peccati; ergo vniuocè conuenit cum peccato mortali in communi ratione peccati. Antecedens patet, tum ex Scoto in 2. diſtinct. 37. & diſtinct. 21. citata, vbi peccatum veniale non excludit à definitione peccati tradita ab Auguſtino, quòd ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Tum etiam quia tam D. Thomas, quàm Auguſtinus lib. 2. de mendacio, docent, omne mendacium eſſe abſolutè & ſimpliciter peccatum; cùm tamen omne mendacium non ſit peccatum mortale. Item ex Scriptura peccatum veniale ſimpliciter & abſolutè appellatur peccatum, vt Prouerbiorum 10. *Quod in multiloquio non deerit peccatum.* Et Ioannis 1. *Si dixerimus peccatum non habere, ipſi nos ſeducimus, &c.* Quæ de peccato veniali, apertè intelliguntur ſecundum Expoſitores.

tores. Tandem ratione id ostenditur, quia Sacerdotes verè habent iurisdictionem absoluendi ab omni peccato iuxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Sed secundum omnes, verè absoluunt Sacerdores à venialibus; ergo venialia habent veram rationem peccati. Confirmatur, quia peccata venialia absolutè vocantur offensa, lapsus, Deo displicere, & quòd merentur pœnam. Accedat secunda probatio: peccatum in communi essentialiter consistit in priuatione rectitudinis debitæ ad aliquam legem; sed tam peccatum mortale, quàm veniale sunt contra aliquam legem, ergo vniuocè conueniunt in ratione peccati. Minor probatur, tum quia Augustinus definiens peccatum per *ly*, dictum, factum, &c. contra legem, comprehendit tàm mortalia, quàm venialia in prædicta definitione, patet; quia Augustinus per totum illum librum 22. contra Faustum docet dari multa peccata, quæ ab omnibus pro venialibus habentur. Tum etiam quia nequit intelligi peccatum veniale habere rationem malitiæ & offensæ, nisi intelligatur contra aliquam legem. Tandem quia ex Scriptura habetur omne mendacium prohiberi lege illa; *noli mentiri*: & omne furtum per legem illam, *non furaberis*; ergo reuerà peccata venialia sunt contra aliquam legem.

Oppones: peccatum mortale ex sua natura est ablatiuum gratiæ; peccatum verò veniale secundum suam rationem compatitur cum illa; ergo peccatum mortale & veniale nequeunt vniuocè conuenire in ratione peccati. Negatur antecedens quò ad primam partem: pluriès enim dictum est peccatum mortale non consistere essentialiter in priuatione gratiæ, sed solùm in priuatione rectitudinis debitæ secundum legem obligantem de necessitate salutis; gratiam verò auferre, est dumtaxat effectus demeritorius peccati mortalis. Hinc si argumentum probaret, concluderetur mortale & veniale, nec analogicè conuenire; cùm nullo modo veniale importet priuationem gratiæ.

Oppones secundò; peccatum in communi includit generalem rationem inobedientiæ contra legem: sed peccatum veniale non dicit generalem malitiam inobedientiæ, aliàs esset mortale; cùm omnis malitia inobedientiæ sit læthalis ex suo genere.

re. Respondetur distinguendo maiorem, peccatum vt sic includit inobedientiam ad legem, abstrahendo à lege obligante de necessitate salutis, vel ad aliquod vtile, concedo maiorem; dicit inobedientiam ad legem obligantem de necessitate salutis, nego maiorem: similiter distingo minorem; peccatum veniale non dicit inobedientiam ad legem secundo modo, concedo; ad legem primo modo, nego minorem, & negatur consequentia: quia quando nos dicimus mortale & veniale vniuocè conuenire in communi priuatione rectitudinis debitæ ad legem; sumimus ad legem primo modo; quatenùs scilicet obligat ad aliquod simpliciter. Quòd autem illud sit necessarium vel vtile ad finem supernaturalem, hoc spectat ad speciales differentias peccati mortalis, & venialis.

Obijcies tertiò: qui tantùm peccat venialiter, dicitur Diuina mandata seruare; ergo peccatum veniale nullo modo est contra legem Dei, & consequenter nec vniuocè conuenit cum mortali in ratione peccati. Antecedens patet, quia Math. 19. habetur: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; sed qui peccat venialiter ingreditur vitam æternam, ergo dicitur seruare Diuina mandata. Tum etiam ex Iacobi 2. *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus*: sed qui venialiter peccat, non fit omnium reus; ergo non offendit Diuina mandata, & consequenter peccatum veniale non est contra legem. Respondetur distinguendo antecedens; qui venialiter peccat, seruat omnia mandata obligatiua de necessitate salutis, concedo: obligantia ad aliquod vtile, nego antecedens. Ad probationem patet: nam ille qui venialiter peccat, seruat mandata obligantia de necessitate salutis, benè potest ingredi vitam æternam: ad illud Iacobi, dico quòd intelligitur de offensione mandati obligantis de necessitate salutis.

Petes: si peccatum veniale reuerà dicitur esse contra aliquam legem, quare Scotus dicit esse contra Consilium?

Respondetur, quòd ideò Scotus docuit peccatum veniale esse contra consilium; vt expressè innotesceret non esse contra ordinationem necessariam, siuè contra legem rigorosam obligantam de necessitate salutis.

DOCVMENTVM V.

Inquirens an peccatum mortale, & veniale differant genere?

SVppono primò, peccatum mortale & veniale non differre in genere remoto, sed potiùs conuenire vniuocè in communi ratione generica peccati, quæ est carentia debitæ rectitudinis ad legem. Solùm hic est difficultas; an mortale, & veniale sub illa ratione differant tanquàm duæ species infimæ, vel subalternæ? Suppono secundò; peccatum veniale, sicut & mortale, dupliciter contingere; scilicet vel per se, vel per accidens. Peccatum veniale per se, dicitur illud, quod ex proprio genere, siuè ex proprio obiecto est veniale; quatenùs materia, circa quam versatur, solùm est vtilis ad finem supernaturalem, vt mendacium officiosum, verbum otiosum, risus superfluus. Peccatum mortale etiam ex genere, dicitur illud, quod ex proprio obiecto inuoluit priuationem rectitudinis necessariæ ad finem supernaturalem; cuiusmodi sunt adulterium, furtum, &c. Peccatum veniale per accidens, dicitur illud, quòd ex proprio genere est mortale; per accidens tamen fit veniale. Hoc dupliciter fieri potest, vel ratione imperfectæ deliberationis, vel ratione leuitatis materiæ; & hac ratione odium Dei indeliberatum, & furtum rei leuis, quàmuis ex proprio genere sint mortalia: ratione tamen imperfectæ deliberationis & paruitatis materiæ, per accidens fiunt venialia. Peccatum mortale per accidens dicitur illud, quod ex proprio genere est veniale; ratione tamen prauæ circumstantiæ, siue finis læthalis, per accidens redditur mortale: & hac ratione dicere mendacium, quàmuis ex proprio genere sit veniale; tamen si ordinetur ad finem adulterij, vel furti, fit per accidens mortale. Ad propositum, cùm hic inquirimus; an mortale & veniale differant genere, difficultas non est de mortali & veniali per accidens: sed de mortali & veniali per se, & ex proprio genere; cùm certum sit apud omnes mortale & veniale per accidens esse eiusdem speciei infimæ. Patet, nam furtum magnæ quantitatis, & furtum paruæ quantitatis, odium Dei deliberatum & indeliberatum, omninò eiusdem speciei sunt. Suppono tertiò difficultatem præsentem non esse de mortali & veniali, vt dicunt accidentia,

tia, siuè vt reduplicatiuè sumuntur, quatenùs mortale & veniale dicuntur ab effectibus; scilicet à morte, quam causant: sed potiùs difficultas est de mortali & veniali secundum proprias suas rationes à priori: nam aliàs pro certo supponimus, omnia mortalia esse eiusdem speciei, patet; quia omnia mortalia causant eundem effectum specie, scilicet priuationem gratiæ coniunctionis cum Deo, & reatum pœnæ æternæ. His positis; Angelicus Magister ait differentiam venialis à mortali non esse specificam constitutiuam generis proximi, vel speciei infimæ; sed potiùs esse differentiam accidentalem.

Conclusio: peccatum mortale & veniale secundum proprias rationes differunt genere proximo, siuè sunt duæ species subalternæ generis remoti, taliter vt quodlibet illorum sit diuisibile in plures species infimas; scilicet in ordine ad diuersos actus præceptos de necessitate salutis, vel solùm vtilis. Ita Pater Vulpes; probatur, quia peccatum essentialiter constituitur per recessum à regula rationis dictantis aliquam materiam virtutis: sed regula rationis in duas species subalternas diuiditur, scilicet in necessariam ad salutem, & in solùm vtilem; ergo similiter veniale & mortale, quæ à prædictis regulis specificantur, differunt tanquàm duæ species subalternæ sub eodem genere remoto.

Oppones: circa quodlibet obiectum virtutis contingit peccare mortaliter & venialiter; ergo veniale non differret genere proximo à mortali. Patet consequentia, quia distinctio peccatorum tota desumitur in ordine ad diuersas virtutes, quarum sunt priuationes. Respondetur distinguendo antecedens; circa eandem materiam virtutis contingit peccare mortaliter & venialiter per accidens, concedo: per se & ex proprio genere, nego; quia per se loquendo contingit peccare mortaliter circa solam materiam necessariam ex præcepto pro consecutione finis; circa solam materiam vtilem contingit per se peccare venialiter: vndè autem colligatur aliquam materiam virtutis esse necessariam, & aliam solùm vt vtilem; Pater Vulpes colligit è sola Dei benignitate, quòd non omnis rectitudo virtutis sit nobis præcepta ad salutem vt medium simpliciter necessarium.

DO-

DOCUMENTUM VI.

Inquirens vtrùm ex pluribus venialibus possit fieri vnum peccatum mortale?

SEntentia fuit glossæ in Decretalibus de Pœnitentia dist. 1. asserentis multa venialia efficere vnum mortale.

Conclusio: infinita peccata venialia, si forent per se, & ex proprio genere, nunquàm attingerent malitiam vnius mortalis. Ità Scotus in 4. distinct. 21. quæst. 1. sub lit. C. vbi sic habet: *Peccatum veniale & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ; quia infinita venialia si essent, non æquarentur vni mortali in ratione offensæ, quia nec omnia illa auerterent à fine vltimo, sicut vnum mortale.* Probatur, quia infinita venialia si forent, nunquàm importarent auersionem à fine supernaturali, quatenùs nunquàm essent contra medium necessarium ad salutem; quinimmò semper forent contra medium tantùm vtile. Item neque priuarent gratia vel coniunctione cum Deo, quia quàmuis impedirent feruorem Charitatis in actu secundo, & retardarent coniunctionem cum Deo; nunquàm tamen priuarent gratiam & beatitudinem, nec inducerent reatum pœnæ æternæ, sicut prædictos effectus causaret vnum mortale, ergo, &c.

Obijcies primò: secundum Scotum malitia cuiuscumque mortalis est tantùm finita; ergo possunt venialia ità multiplicari, vt attingant malitiam vnius mortalis. Respondetur, negando consequentia: nam; estò malitia peccati mortalis sit tantùm finita; est tamen altioris ordinis in genere malitiæ, quatenùs habet causare omnes prædictos effectus, ad quos nequeunt peruenire infinita venialia. Ità à pari, quàmuis Angelus dicat finitam perfectionem; quia tamen est altioris ordinis, hinc quantùmcunque cresceret homo in perfectione, nunquàm attingeret perfectionem Angelicam, sicut nec accidens perfectionem substantiæ.

Obijcies secundò: cuilibet peccato veniali correspondet determinata pœna temporalis; ergo si forent infinita venialia, eis deberet correspondere infinita pœna, saltem extensiua: sed pœna infinita nunquàm datur, nisi propter peccatum mortale; ergo si infinitis venialibus correspondere potest pœna infinita, sequitur necessariò, vt infinita venialia æquarentur

rentur vni mortali. Respondemus, quòd in ptimis loquendo de pœna damni, scilicet de priuatione gratiæ & vitæ æternæ, nunquàm talis pœna correspondebit infinitis venialibus. Loquendo de pœna sensus, dico quòd adhuc esset disparitas, quia pœna illa correspondens infinitis venialibus secundum durationem, solubilis est in hac vita per actum feruentis Charitatis, vel saltem in Purgatorio per pœnam satis intensam: pœna autem debita mortali, necessariò est æterna, & non solubilis ad tempus, & ideò infinitis venialibus nunquàm corresponderet pœna illa, quæ deberet infligi pro vno mortali.

Obijcies tertiò: qui paulatim furatur rem exiguam, materiam solùm sufficientem ad peccatum veniale, quotiès quis illam furatur, venialiter peccat: & tamen si multis furtis prædictæ rei paruæ perueniatur ad quantitatem magnam, siuè materiam grauem committitur peccatum mortale furti; ergo possunt plura venialia integrare malitiam vnius mortalis. Respondet Vulpes hoc argumentum non probare contra nostram conclusionem, quæ solùm loquuntur de venialibus ex genere; non autem de venialibus per accidens, de quibus procedit argumentum: furtum enim ex suo genere, est peccatum mortale, per accidens tamen ex leuitate materiæ fieri potest veniale; & ideò non mirum si sequens materia furti leuis, addatur priori vsque ad notabilem quantitatem, constituatur inde peccatum mortale furti.

Respondetur aliter cum Vulpes, Medina, Nauarro, Becano &c. quòd quis pluriès furando quantitatem leuem, semper peccat venialiter tantum; solùm committere potest peccatum mortale non restituendo. Nec mirum quòd aliquis sub mortali teneatur restituere, quod sine mortali accepit: nam inuentor rei alienæ tenetur facere restitutionem proprio Domino sub pœna lęthali, quàmuis absque tali pœna rem alienam acceperit.

Circa veritatem huius responsionis notant aliqui, quòd vt quis teneatur ad restitutionem quantitatis notabilis ex furtis venialibus, requiritur quòd res furata vel in propria specie perseueret, aut furans ex ea sit factus ditior. Insuper requiritur, quòd illæ acceptiones inter se continuentur, quæ continuatio

moralis, interuallo temporis, & alijs circumstantijs, relinquitur prudentis arbitrio. Hinc fit, vt si quis pluriès furetur rem paruam absque prædicta continuatione morali, nec peccat mortaliter recipiendo, nec non restituendo.

Circa veritatem primæ respōsionis notant secundò alij, quòd vltimum furtum per quod completur materia grauis, quantùmuis in se leue sit, quia tamen vt adiunctum præcedentibus complet materiam grauem; ideò vltimum furtum est peccatum mortale, quatenùs ratione illius infertur damnum notabile proximo.

Notant tertiò, quòd si illæ acceptiones paruæ fiant à diuersis Dominis, vltima nunquàm erit mortalis, quatenùs ratione illius nulli infertur graue damnũ, dummodò prædictæ acceptiones non continuentur moraliter, & procedant ex aliquo animo furandi quantitatem grauem. Cum hoc tamen, dicunt aliqui Doctores sic furantem rem paruam diuersis Dominis, quàmuis non peccaret accipiendo; teneri tamen ad restitutionem, quia notabilis quantitas aliena nequit detineri sine mortali. Plura ad hoc propositum dicemus infrà.

Notantur nonnulla de consensu voluntatis requisito, vel sufficienti ad peccatum.

DOCVMENTVM I.

Præter intellectus aduertentiam circa malitiam obiecti, ad peccatum requiritur consensus voluntatis.

Ratio est, quia peccatum nequit esse, nisi voluntarium sit; ità sentiunt Theologi, & Summulistæ.

DOCVMENTVM II.

Sicut ad peccatum veniale sufficit imperfecta intellectus aduertentia, ità etiam sufficit imperfectus consensus voluntatis.

Ratio est, quia talis consensus est liber, & malus; ac proindè est tantùm peccatum veniale.

DOCVMENTVM III.

Ad peccatum mortale requiritur plenus, & perfectus consensus voluntatis, sicut & perfecta aduertentia intellectus.

Ratio est, quia dedecet Diuinam pietatem priuare gra-

gratia sua, & amicitia hominem, eumque punire æterna pœna propter consensum imperfectũ. Ita docent omnes Doctores.

MONITVM.

Voluntas in tentationibus peccati mortalis septem modis se habere potest.

PRimò, ità vt verè curet expellere tentationem; sed tamen negligenter expellit. Secundò, quando est anceps & ambigua; an consentiat tentationi, nec nè. Tertiò, ità vt nec consentiat, nec dissentiat; sed negatiuè se habeat. Quartò, quando non conatur reprimere appetitus delectationem: sed tamen actualem displicentiam illius delectationis habet. Quintò, quando de re mala proposita delectatur; sine intentione tamen exequendi opus. Sextò, quando consentiret executioni operis; si non esset offensa Dei id facere. Septimò, ità vt absolutè consentiat, & cupiat exequi malum, quod per tentationem proponitur.

Quando voluntas repellit negligenter tentationem, venialiter tantùm peccat; quia deficit plenus consensus, qui ad mortale requiritur. Quando homo probabiliter iudicat ob illam negligentiam in repellendis tentationibus, si esset periculum, ijs consensum dare, peccat mortaliter; quia exponere se periculo peccandi mortaliter, est peccatum mortale. Ita Nauarrus c. 10. num. 14. Ledesma 1. part. quæst. 21. artic. 7. concl. 9. Quando voluntas in tentatione ità se habet vt anceps, vt non plenè nec deliberatè: sed per quandam negligentiam & cum imperfecta aduertentia anceps est, an tentationi consentiat, nec nè; non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter. Ratio est; quia deest perfecta aduertentia consensus: quando voluntas propositis hinc indè rationibus pro vtraque parte plenè & deliberatè eligit esse dubia, an consentiat, nec nè; peccat mortaliter, si tentatio mortalis sit. Ratio est, quia tunc se ponit in manifesto periculo consentiẽdi tentationi mortali: tùm quia teneatur diligere Deum amore appretiatiuo super omnia; huic autem amori opponitur dubium illud voluntatis, quòd in hoc formaliter consistit, vt appretiatio delectationis sensibilis per tentationem propositæ, sit æqualiter appretiationi ipsius Dei: vndè fit vt

voluntas in neutram partem præponderet, ac proindè tale dubium voluntatis est peccatum mortale. Medina in prima secundæ quæst. 24. artic.6.Document. 5. Sances in Decalogum lib. 1. cap.1.num.16.

Monemus, quòd voluntas quando plenè & deliberatè eligit esse anceps, hoc potest contingere dupliciter. Primò,ità vt voluntas per actum positiuum velit esse anceps & perplexa; an consentiat, nec nè. Secundò, ità vt absque actu positiuo deliberatè permittat se esse ambiguam & perplexam; & in secundo casu est perfectus consensus in illam dubitationem non quidem actualis & realis: sed interpretatiuus, quia proindè est, quòd posita perfecta aduertentia per actum positiuum eligat esse anceps, ac proindè etiam in illo casu censetur esse consensus sufficiens ad peccatum mortale.

***

MONITVM.

Quando quis dubitat, an peccauerit mortaliter, ex eo quòd dubitat; an perfectè vel imperfectè consenserit tentationi plenè, vel semiplenè aduerterit intellectus malitiam rei ad dignoscendum: an consensus fuerit perfectus & plena aduertentia, & per consequens an peccatum sit mortale?

VTendum est hac regula: considerandum est, cuius conditionis sit ipse dubitans; & quidem si sit Vir bonis moribus imbutus, timidæque conscientię, qui non soleat peccare mortaliter; censendum est eum non perfectè consensisse, vel non perfectè aduertisse, ac proindè nec peccasse mortaliter: secus autem si sit Vir prauus, & malæ conscientiæ. Ratio huius regulę est; quia cùm prior, peccatum mortale ingenti odio prosequatur; si ipsum admisisset, facilè discerneretur: contra verò, cùm posterior parui pendat peccatum mortale, si plenè consensisset, vel non plenè aduertisset; nullũ in eo suboriretur dubium. Medina 1.2.quæst.74.artic.8.in fine, Sayrus in Claui regia lib.8. c.7. num.6.

num.6. Sances in Decalogum lib.1.cap.2. num.2.

Quando non reprimit, nec acceptat voluntas declarationem, etiam si sit posita plena aduertentia. Quando voluntas non acceptat delectationem prouenientem ex causa vtili, & necessaria; vel quando laborat in expellendo, & non potest expellere, nullum peccatum committit. Ratio est, quia homines non tenentur vitare delectationem prouenientem ex tali causa, nimirùm necessaria, honesta & vtili; quia aliàs cùm huiusmodi causæ frequentissimæ sint, homines redigerentur in nimias & inextricabiles angustias: si delectationes, vel motus prouenientes ex tali causa vitare tenerentur. Assorius tom.1.lib.4.cap.6. Sances lib. 1. cap.2. num. 12. & 13. & multi alij apud ipsum ibidem. Hinc infertur non peccare mortaliter illum, qui negatiuè se habet circa delectationem & motus existentes in sensualitate, & prouenientes ex studiosa lectione alicuius libri, ex ambitione confessionum, & honesta conuersatione, vel ciuili colloquio cum amico, ex moderato aspectu, quem sine nota inurbanitatis in conuersatione honesta, vitare non potest. Ratio est, quia omnes huiusmodi causæ delectationis & motus, vel sunt honestæ, vel vtiles: si verò homo exponeret se periculo consentiendi tentationi & delectationi, quæ nimirùm ex se mortalis sit, peccat mortaliter; quia exponeret se periculo peccandi mortaliter, & qui amat periculum peribit in illo.

Quando voluntas negatiuè se habet, ità vt non consentiat delectationi, & motibus in sensualitate existentibus, & prouenientibus ex causa, quæ est tantùm peccatum veniale, vt est curiosa libri lectio, curiosus aspectus, vana salutatio, & similia; non peccat mortaliter permittendo illam delectationem, vel motus in sensualitate, siuè non tollendo causam illius delectationis, & libri lectionem: si tamen non sit probabile periculum consentiendi, nec talis motus sit adeò vehemens; vt probabiliter loquendo, possit causare pollutionem. Ratio est, quia huiusmodi causæ plurimæ & frequenter in communi hominum vita, vt est colloqui, aspicere, salutare &c. nimis difficilis esset via salutis; si homo quoties causas huiusmodi non remoueret, peccaret mortaliter. S. Thomas de Veritate quæst.15.

artic.4. ad decimum: Caietanus verbo *delectatio*, versu *magnam tamen*; Nauarrus in Summa cap.10. num. 12. Toletus lib. 5. cap. 14. num. penultimo, & alij multi apud Sances in Decalogũ lib.1.cap.2.num.13. Est contra Valentiam prima secundæ disp. 6. quæst.4. puncto 3. & alios ab eodem Sances recensitos loco suprà citato num.12.

Aduerte tamen delectatio, & motus existentes in sensualitate, & prouenientes à causa; licèt tantùm venialiter mala, sunt peccatum veniale. Ratio est, quia talis causa delectationis, & motuum est mala, & videtur in ea connexio cum motu malo, qui poterat & consequenter debebat vitari; ac proindè adsunt omnia requisita ad peccatum, non ad mortale, igitur ad veniale.

Ex dictis infertur, quòd licèt delectatio venerea sensualitatis deliberatè quæsita, & motus praui eiusdem sensualitatis directè voliti, sufficiant ad mortale: non tamen in illis esse volitum indirectè tantùm, siuè esse volitum in causa honesta vel vtili, vel mala tantùm venialiter, sufficit ad mortale; quia aliàs sæpissimè redigeremur in maximas angustias, si voluntarium in causa, vel indirectum in motibus procedentibus ex causis suprà dictis, sufficeret ad mortale. Monemus secundò, talis delectatio, & tales motus procedentes ex causa tantùm venialiter mala, erunt etiam peccatum mortale, si probabiliter timeatur secuturus consensus expressus vel directus; sicut diximus de delectatione, & prauis motibus prouenientibus ex causa vtili vel honesta; si adsit periculum consentiendi. Tandem aduerte, quid dicendum sit, quando huiusmodi delectationes, vel praui motus, causa sunt notabiliter concurrentes ad pollutionem, aut quando proueniunt ex causis; quæ sunt peccatum mortale, vt sunt tactus, oscula, vel alia huiusmodi impudica: sed de his agunt Theologi in tractatione de sexto præcepto.

Petes, an quando homo experitur delectationem, & motus in sensualitate prouenientes ex causa honesta, vel vtili, vel quæ sit tantùm peccatum veniale; si cognoscat se posse huiusmodi delectationem & motus reprimere aliquo modo, v. g. cilicio, vel aliqua huiusmodi pœna teneatur adhibere talia media, etiã si non sit periculum consensus, nec causæ sint notabiliter con-

cur-

currentes ad positionem.

Respondeo non teneri, nisi aliàs teneatur secuturus consensus directus. Ratio est, quia aliàs propter frequentiam prædictarum causarum contingentem in mortali vita, talis obligatio esset nimis onerosa.

DIFFICVLTAS.

An quando voluntas negligit reprimere, vel non conatur reprimere delectationem & motus prauos appetitus; sed habet displicentiam eorum (efficacem quidem, & voluntas illis non consentiat) inefficacem autem, & insufficientem ad tollendam ipsam delectationem motus, peccet nè mortaliter?

Respondeo, & dico primò: quando causa delectationis est honesta & vtilis, vel necessaria, aut mala tantùm venialiter; non peccat mortaliter voluntas negligens reprimere, siuè non reprimens delectationem, vel motus, & habet displicentiam earum, siuè non reprimat: eo quòd non aufert prædictas causas delectationis & motuum, siuè quia non adhibet remedia delectationis, & motuum repressiua.

Ratio est, quia omnia hæc sunt vera, & si non adsit illa displicentia delectationis, & motuum; ac proindè multò magis erunt vera, si adsit illa displicentia in voluntate. Aduerte autem, quid dicendum sit quando causa talis delectationis, vel motuum, est peccatum mortale; & voluntas non reprimit, vel impedit delectationem vel motus; idest non auferendo causam illorum, & si habeat illorum displicentiam. Consule Doctores in tractatione in sextum præceptum.

Considera benè, quando quis patitur delectationem, vel motus in sensualitate etiam si proueniant ex causa necessaria; vel honesta, vel vtili diligenter cauere debet, ne illis consentiat, quia difficile est illis non consentire, præsertim si delectatio diutiùs duret.

Communiter enim non potest diù delectatio venerea manere sine intentione libidinis, vel periculo consensus; & ideò, qui sentit huiusmodi delectationes & motus in sensualitate, deberet sæpiùs renouare displicentiam illorum, immò deberet impedire auocando quantùm fieri potest mentem & cognitionem à rebus, vndè delectatio existit, aut exoritur; vel tollendo causas ipsius delectationis & motuum, præsertim

ſertim ſi ſint malæ, licèt tantùm venialiter:vel adhibendo aliquod aliud remedium, quod dolore inflicto extinguat, aut vincat, vel minuat delectationem; aliàs qui patitur huiuſmodi delectationē, & motus (præſertim prouenientes à cauſa mala) licèt venialiter tantùm, ſi contentus ſit ſtatu negatiuo voluntatis, in quo nimirùm ipſa voluntas non quidem eſt anceps, an conſentiat delectationi, nec nè; ſed eam negligit non impediendo, experietur voluntatem non diutiùs permanere in illo ſtatu negatiuo, ſed facilè labi in conſenſum; quia (vt dicebam) permanentia in delectatione, facile trahit voluntatem ad conſentiendum, atque hoc facillimè poteſt contingere in aſpectibus curioſis cauſantibus huiuſmodi delectationes: nam ſæpè quis incipit aſpicere curioſitatis gratia, & poſteà permanet in illo ex aſpectus delectationis cauſa; nam cùm ferè ſtatim ac res viſa eſt, curioſitati ſatisfacit, deficiente poſteà fine curioſitatis in aſpiciendo, delectatio ſolet ſuccedere in locum præcedentis finis: atque ità tandem peccatur mortaliter, ſi talis aſpectus diù durat, vel non ſtatim tollatur; quantùm iuxta vrbanitatem fieri poteſt.

DIFFICVLTAS.

An voluntas peccet mortaliter, quando non conſentit delectationi, vel motibus in ſenſualitate exiſtentibus, & prouenientibus ex cauſa vel vtili, vel peccaminoſa tantùm venialiter, & elicit hunc actum poſitiuum: nolo impedire hanc delectationem, vel hos motus.

ADuerte pro ſolutione; quando voluntas fertur in aliquam rem actu poſitiuo, ſemper in eam fertur ob aliquam rationem boni, ſiue ob aliquod bonum, vel intrinſecum rei, vel extrinſecum; ac proindè quando quis deſiderat delectationem, eam vult propter bonum, quod ſit in ipſa delectatione, vel propter aliquod aliud bonum extrinſecum ipſi delectationi. Similiter quando quis vult poſitiuè non impedire delectationem, vel motus exiſtentes in ſenſualitate, aut vult illam non impeditionem, ſiuè non repreſſionem propter aliquod bonum, quod ſit in ipſa repreſſione, vel in ipſis motibus & delectatione, aut propter aliquod aliud bonum in illis extrinſecum; nimirùm propter neceſſitatem, vel honeſtatem, aut vtili-

vtilitatem existentem in causa talis delectationis, v.g. in lectione libri, vel in colloquio cum amico, &c.

His adnotatis, dico primò: si quis cum plena aduertentia positiuè vult non impedire delectationem, & motus sensualitatis propter bonum ipsi delectationi intrinsecum; peccat mortaliter, si talis delectatio sit in materia graui, v.g. in venereis. Ratio est; quia hoc est velle morosè delectari in re graui, quod est peccatum mortale, vt infrà constabit.

Dico secundò: quando voluntas positiuè vult non impedire delectationem, & motus propter aliquod aliud bonum extrinsecum, quod non sit peccatum, aut situm sit in aliqua illorum, v. g. propter honestatem, vel vtilitatem existentem in eadem causa, vt in lectione alicuius libri, vel audiendis confessionibus, vel in conuersatione honesta cum amico, non peccat mortaliter; & si talis delectatio, & motus sit in materia graui, dummodò non sit periculum consensus. Ratio est, quia nolle impedire delectationem, vel motus propter honestatem, aut vtilitatem existentem in eorum causa, æquiualenter est velle causam honestam, vel vtilem delectationis, & motuum propter honestatem, vel vtilitatem ipsius causæ; & per consequens actus positiuus nolendi impedire delectationem, & motus prauos propter vtilitatem, vel honestatem existentem in eorum causa, non est peior, quàm sit actus, quò quis vult causam honestam vel vtilem talis delectationis, aut motuum secundum seipsam, vt patet: atquì hic actus non est peccatum mortale, vt constat ex suprà dictis; ergo nec actus nolendi impedire delectationem, & motus propter honestatem, vel vtilitatem causæ, siuè nè cogatur tollere causam honestam, vel vtilem, non erit peccatum mortale. Salas prima 2. tom. 2. tract. 13. sess. 6. num. 33.

Dico tertiò: quando voluntas vult non impedire delectationem, vel motus propter aliquam causam, quæ sit peccatum veniale, siuè propter aliquod bonum naturale, vel commodum situm in causa illorum, venialiter tantùm mala; non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter. Ratio est, quia idem est nolle impedire delectationem, vel motus prauos propter causam tantùm venialiter malam, ac velle secundum seipsam causam venialiter malam:

malam:hoc autem non est peccatum mortale, sed tantùm veniale; ergo, &c.

DIFFICVLTAS.

Vtrùm peccet mortaliter, qui de mala re sibi per apprehensionem proposita delectatur sine intentione exequendi opus?

VT ad plenum propositæ difficultati fiat satis. Monemus, actus voluntatis (quantùm ad rem præsentem facit) duplicem esse; alius actus est, quo voluntas vult reipsà committere fornicationem, vel non audire Sacrum, dicitur actus hic efficax: alius voluntatis actus est, qui consistit in simplici complacentia, aut displicentia rei sine desiderio executionis; talis est actus, v.g. quo voluntas sine desiderio executionis sibi complacet de fornicatione v.g. vel occasione inimici tanquàm de re, quam imaginatio vel intellectus reprehendit vt præsentem: actus iste appellatur delectatio morosa, eo quòd homo in tali actu post plenam aduertentiam immoratur; quàmuis talis mora breuissima sit. Monemus dupliciter posse aliquem complacere sibi de aliqua re imaginata, siuè apprehensa vt præsente.

Primò quidem, ità vt sibi complaceat de aliqua re secundum aliquam rationem boni existentem in illa, v.g. quatenùs est rara, vel admiranda, vel quatenùs est subtiliter peracta; vt si quis delectetur de morte, vel occisione alicuius, quatenùs per insidias valdè ingeniosas fuit interfectus. Hoc autem modo, res apprehensa vt præsens mediante cognitione, per quam apprehenditur, oblectat voluntatem; immò hoc nihil ferè est aliud, quàm ipsam apprehensionem rei vt præsentis delectare voluntatem, licèt illius apprehensionis obiectum sit ipsa res. In hoc autem casu dicimus delectare nos rem illam cogitare, & speculari, siuè voluntatem delectari de cognitione talis rei.

Secundò, potest sibi complacere de aliqua re, pro vt apprehenditur tanquàm bonum delectabile præsens. In hoc autem casu apprehensio rei requiritur quidem tanquàm conditio, sine qua voluntas non delectaretur: verè tamen non apprehensio, sed res ipsa delectat; nec voluntas delectatur de apprehensione rei, sed de re ipsa.

Doctrina modò tradita, potest

etiam meliùs explicari, vt delectatio dupliciter possit esse de aliqua re mala. Primò quidem potest esse de re mala secundum se, siuè de ipsa substantia rei; quatenùs est mala mortaliter. Hoc modo potest quis delectari de vindicta apprehensa, siuè de substantia vindictæ apprehensæ, quatenùs est mala inimico, quem odit. Secundò potest quis delectari de re mala, non vt mala est: sed de aliqua ratione boni contenta in re mala, siuè (quod idem est) non de re mala secundum se, vel de eius substantia; sed de aliquo modo particulari non malo, sed bono vel indifferenter, quantum est ex se & modo exquisito, quo ipsa facta est, vel perfici potest. Sic quando narrantur furta, fraudes, vel insidiæ mirabili dexteritate, vel artificio, vel subtili inuentione paratæ, ridemus, & voluptate afficimur, non quòd de malo secundum se, vel de furti v.g. substantia, aut iniquitate gaudeamus, vel delectemur: sed quia delectemur de ipso modo inuentionis, dexteritatis, vel artificij, quo peracta sunt.

Moneo etiam; quòd dupliciter aliquid potest nobis fieri, vel esse præsens. Primò reipsà; hac ratione, quando quis occidit hominem, hominis occisio præsens est illi. Secundò aliquod potest esse nobis præsens in phantastica per imaginationem, vel per apprehensionem; vt cùm quis apprehendit fornicationem vt sibi præsentem; hoc est imaginatur, vel apprehendit se vt actu fornicantem. Aduerte deniquè, vtraque præsentia rei, idest præsentia rei vera, & præsentia rei per imaginationem, vel apprehensionem, causat eandem delectationem, vt constat ex his, quæ contingunt in somnis: nam cùm videmus nobis comedere, bibere, loqui cum amicis; ex talibus actionibus præsentibus solùm per imaginationem & apprehensionem percipimus delectationem proindè, ac si reipsà comederemus, biberemus, &c. Ratio autem huius rei est; quia phantasia, & apprehensio habet vim sensuum exteriorum; ac proindè sicut res dum actu fit, vel præsens est sensibus externis, delectationem causat: ità etiam delectationem causat, dum per imaginationem, vel apprehensionem percipitur, vt præsens, etiam si reuerà non existat, vel reipsà sit præsens. Cùm autem res mala mortaliter, non solùm secundum se, sed etiam secundum aliquem modum particularem

possit esse præsens per imaginationem, vel apprehensionem, non solùm res mala secundum suam substantiam potest causare delectationem, sed etiam modus illius exquisitus, quo ipsa res peracta est, potest causare similem delectationem; etiam si res secundum substantiam, & secundum modum non sit præsens, nisi per imaginationem, vel apprehensionem. His stantibus.

Dico primò: si quis morosè delectatur de artificio, vel modo alicuius rei malæ exquisito, vel raro, aut admirando; qui ex se malus non sit (qua ratione homines delectantur de narratis furtis, prælijs, duellis, rebus admirandis, quæ per artem magicam fiunt, vel alijs huiusmodi rebus) per se loquendo non peccat. Ratio est, quia tunc voluntas non delectatur de malo vt malum est, vel de ratione mali; sed de aliqua boni ratione inuenta in re mala, vel in peccato, nempè de subtili inuentione vel artificio, vel dexteritate, aut fortitudine, qua peracta est res. Caietanus verbo, *delectatio*: Valentia in primo 2. disput. 6. quæst. 4. punct. 3. vers. *Quartò certum est*. Assorius tom. 1. lib. 4. cap. 7. quæst. 1.

Et si non per se peccet; peccat tamen per accidens, vt si talis delectatio sit otiosa; & si moraliter sit mala, moraliter peccat. Hinc dicimus in superiori casu hominem non peccare per se, quia per accidens peccare potest, & quidem si talis delectatio sit otiosa erit peccatum veniale; si autem morale periculum delectandi de ipsa re mala, vel eius substantia secundum se, & res sit mala mortaliter, erit peccatum mortale, vt infrà patebit. Hinc infero posse fieri, vt quis absque peccato saltem mortali delectetur aspectu pugnæ, vel alterius rei iniustæ; si nimirùm delectetur, vel rideat quòd subtiliter & ingeniosè aliquid agatur, quod fortiter v.g. & strenuè pugnetur; & non delectetur de ipsa rei substantia.

Aduerte rursus non esse peccatum per se loquendo delectari modo, vel artificio rei malæ; quando tale artificium, vel modus artificiosus est indifferens, vt in re bona aut mala reperiatur: sed etiam quando talis modus artificiosus ad rem malam determinatus est. Ratio est, quia cum esse modum mirabilem, vel artificiosum nil mali contineat, potest saltem per intellectum concipi talis modus distinctus ab ipsa rei

rei substantia vel malitia; ac proinde de illo ità per intellectum distincto poterit voluntas delectari absque eo, quòd delectetur de ipsa rei substantia, vel malitia. Sances lib.1.in Decalogum cap.2. num.6.

Hinc inferri potest; cur non sit peccatum per se loquendo delectari de tragoedijs & lectione librorum, in quibus narrantur homicidia hominum, & alia huiusmodi crudelia. Ratio est, quia hæc delectatio non est de ipsis cædibus secundum se & pro vt sunt malæ, vel iniustæ: sed est de modo exquisito earundem rerum, vel de ipsa cognitione, & imaginatione rerum, quæ narrantur, vel repræsentantur.

Dico secundò; quando quis morosè siuè deliberatè delectatur de substantia rerum malarum, siuè iure naturali petitarum, peccat mortaliter, vel venialiter pro ratione obiecti mortiferi, vel venialis. Ratio est, quia illa delectatio, quæ hoc modo ex imaginatione rei malæ existit, est plenè similis illi delectationi, quæ ex vera ipsius rei præsentia & vsu nascitur; ac proindè sicut hæc delectatio est mortalis, aut venialis pro ratione ipsius obiecti mortiferi, aut venialis ista & illa delectatio: S. Thomas 1. 2. quæst.74. artic. 8. ibidem Caietanus, Conradus, & Medina. Vndè non probatur contraria sententia, vt rectè notat Lessius lib.5.cap.3.dub.5.num.109.

DIFFICVLTAS.

Vndenam dijudicari potest, an delectatio morosa sit de ipsa substantia rei malæ, vel de modo exquisito, aut de cognitione rei, vel talis modi? v.g. an quis delectetur de ipsa copula carnali cogitata, & actu generationis secundum se; vel de modo, aut cognitione speculatiua illorum?

Dico hoc dijudicari posse ex ipso cogitantis affectu, si enim delectatio oriatur ex affectu ad modum mirabilem, vel cognitione rei aut modi; eo quòd cogitans nihil affectus sit ad res cogitatas, sed tantùm ad modum vel artificium, aut cognitionem rei vel modi, signum est delectationem esse de ipso modo rei, vel cognitione: contrà verò quando delectatio oritur ex affectu ad res cogitatas, v.g. ad luxuriam, vindictam, ad quas afficitur cogitans; signum est delectationem capi de re cogitata. S. Thomas 1. 2. quæst. 74. artic. 8. in corpore;

pore; & ibi Caietanus, & in summa verbo (*delectatio*,) Valentia in 1. 2. disput.6. quæst. 4. punct.3.

DIFFICVLTAS.

Vndenam colligi potest, quòd delectatio oriatur ex affectu ad rem cogitatam, vel ex affectu ad modum ipsius exquisitum, aut eiusdem rei, vel modi cognitionem.

RЕspondeo hoc colligi posse ex talis delectationis occasione, nam si delectatio ortum habuit ex occasione turpi, vel mala, aut ab aspectu impudico; vel ab occasione vindictæ, sumendum erit talem delectationem oriri ex effectu ad rem ipsam: si quis verò econtrà, erat concionaturus, vel disputaturus de his, & cogitauit hæc, & delectatus est; signum est, non ex affectu talem delectationem deriuatam esse. Valentia 1.2.disp.6. quæst. 4 punct.3.vbi id colligit exS.Thoma.

Dico tertiò, quando morosa delectatio de opere non per se malo: sed tantùm de malo per accidens, siuè ob humanam legem, vt sunt res prohibitæ per legem, v.g. Ecclesiasticam, non est peccatum saltem mortale, si non sit de opere, pro vt est peccatum, vel pro vt est contra præceptum; ac proindè si quis die Veneris delectetur de esu carnium imaginario, vel quis delectetur de aspectu imaginario, vel reali ludi vetiti, non peccat mortaliter, si non delectetur de illis pro vt sunt contra præceptum, nec sit periculum consentiendi in fractionem præcepti. Ratio est, quia illa complacentia, vel delectatio de esu carnium, vel de aspectu siuè vero, siuè imaginario ludi vetiti, non est per se mala. Rursus non est mala ratione præcepti Ecclesiastici, quia talis actus complacentiæ vel delectationis non est prohibitus ab Ecclesia, sed tantùm est prohibita talis actio externa ludendi, vel actio comedendi carnes die Veneris, non tam causa vitandæ delectationis, quàm mortificandi corporis per externam abstinentiam. Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 13. artic.3. dub.3. Rosella verbo, *ludus*, §. Secundò: Lessius lib.4.cap.3.dubitation. 15. Sances lib.1. in Decalogum, cap.2. num. 10.

DIF-

DIFFICVLTAS.

Est nè peccatum mortale delectari de actibus mortalibus, sed excusatis à culpa ratione somni, vel ebrietatis, vel amentiæ, aut ignorantiæ; vt si quis delectetur de fornicatione realiter habita in somno, aut de fornicatione, quam commisit cum aliena muliere putans esse suam; aut de esu carnis die Veneris, vel fractione ieiunij contingenter per ignorantiam, aut obliuionem inuincibilem?

Respondeo primò, si quis de opere prohibito per solum jus humanum, & patrato delectetur, ità vt delectatio sit tantùm de illo materiali opere; non autem de illo, pro vt est contra præceptum, non peccat mortaliter, etiamsi fractio talis præcepti seclusa ignorantia, aut obliuione, & alijs excusantibus opus factum à culpa, sit peccatum mortale. Ratio est, quia talis delectatio per se non est mala. Rursus nec frangit ipsum præceptum, nec est de fractione præcepti: igitur quantum est de se non est mala, licèt possit esse mala venialiter, si sit otiosa; vel mortaliter si sit periculum consensus in fractionem præcepti. Hadrianus Papa in 4. tractatu de Eucharistia, quæstione incipiente: *Quia dictum est, quòd somnus excusat*. Lessius lib. 4. de Iustitia cap. 3. num. 16. ad de Vasquez, &c.

Dico secundò, nec est peccatum de actibus ex se mortalibus; sed à culpa excusatis ratione ignorantiæ vel amentiæ, si talis delectatio habeat bonum aliquem finem, vt si quis delectetur de aliquo homicidio, aut fornicatione per amentiam secuta; non tamen secundum se, vel quatenùs sunt mala, sed propter aliquem bonum finem, vt propter vtilitatem ortam ex tali homicidio, vel fornicatione. Ratio est, quia delectatio sumit malitiam ab opere, de quo est; ac proindè cùm opus, de quo est prædicta delectatio, careat culpa: similiter & delectatio culpa carebit. Aduerte tamen, quando dicimus de fornicatione secuta, & à peccato excusata, v. g. per amentiam non esse mortalem, non est sermo de delectatione sensibili & coniuncta cum corporis commotione. Hæc enim est delectatio venerea, nec consensus in illam caret vnquàm malitia peccati mortalis; si sit deliberatus, & non adsit circumstantia Matrimonij: sermo igitur est de dele-

delectatione, quæ est idem cum gaudio de actu fornicationis tanquàm de re non præsenti, sed præterita; est quidem ob aliquem bonum finem siuè effectum ex illa consecutum: hoc enim nihil est aliud, quàm consentire in rem licitam, seu approbare actum præteritum, & gaudere de aliqua vtilitate vel alio effectu bono consecuto ex tali actu fornicationis.

Ex dictis infertur, quòd licèt sit mortale procurare vt pollutio sequatur in somno, vel in vigilia; non est tamen mortale de pollutione naturaliter secuta in somnis, aut vigilia gaudere ob aliqnem bonum finem, v.g. ob vtilitatem indè perceptam, vt propter sedationem vel remissiorem tentationem secutam ex illa naturali seminis euacuatione.

Secundò infertur non esse peccatum mortale, si quis ob aliquem bonum finem speret pollutionem secuturam per viam naturalem siuè in somno, siuè in vigilia; immò nec erit peccatum mortale ob aliquem finem desiderare talem pollutionem.

Aduerte tamen delectatio, vel gaudium de pollutione siuè præterita, siuè futura, quod non esse peccatum nihil est aliud quàm quædam voluntatis complacentia, siue approbatio pollutionis præteritæ vel futuræ propter aliquem bonum finem, vel effectum secutum, vel secuturum; aliàs si sit delectatio venerea, idest sensibilis vel cum membrorum commotione, erit peccatum mortale: & ideò non potest quis de pollutione quam sibi fingit, vt præsentem delectari, quia talis delectatio est venerea, & quantùm est ex se, corpus commouet.

Ex dictis sequitur, sponsos de futura non posse se oblectare imaginatione copulæ futuræ eam fingendo tanquàm præsentem, in qua modò versentur. Ratio est, quia corporis commotio, quæ consequitur, cùm sit illicita in hoc statu, est etiam illicita delectatio, quæ indè proximè resultet. Lessius lib.4.cap.3. dubitatione 15.num.12. Moneo tamen, quòd si ijdem sponsi apprehendant copulam non vt præsentem, sed vt futuram, possunt de ea apprehensa gaudere, sicut etiam potest quis velle nubere, vt possit habere copulam, quod nascitur ex amore, vel desiderio copulæ licitæ tamen, & quæ non apprehendatur vt præsens. Ratio est, quia hoc nil aliud est, quàm gaudere spe & expectatione boni futuri; quæ spes modò

præ-

præſens eſt, & per ſe licita, infertur etiam mortaliter peccare viduam, ſi delectetur de actu coniugij, & illum tanquàm præſentem & nunc exercitum per imaginationem conſtituat. Ratio eſt, quia ille actus & corporis commotio indè conſequens, non eſt conceſſa viduæ in ſtatu viduitatis. Monemus tamen, quòd vidua poteſt gaudere de copula olim habita cum marito, tanquàm de re præterita ob aliquem finem. Ratio eſt, quia hoc non eſt delectari de illa tanquàm de re, quæ modò delectabilis ſit ipſi ſenſui, nec eſt delectari de illa copula tanquàm de re præſenti: ſed eſt tantùm ratum habere vel approbare actum præteritum, ſiue gaudere de pollutione, fama, honore, vel ſimili effectu bono ex illa copula conſecuto. Leſſius lib.4. cap.3. dubitat. 15. vbi docet hoc modo intelligendum eſſe Angelum verbo, *cogitatio*, num.2. Nauarrum cap.16. num. 10. Caietanum, *delectatio moroſa*, & alios dicentes viduam de copula præterita poſſe gaudere.

***

DIFFICVLTAS.

An coniux in abſentia coniugis ſe oblectans imaginaria copula, peccet mortaliter?

RESpondeo; ſi tunc abſit periculum pollutionis, non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia in tali ſtatu, quæ eſt vt ei opus externum reipsà præſtitum ſit permiſſum, ei quoque permiſſum eſt opus imaginatiuum, ſiue in phantaſtica & imaginatiua præſtandum (periculo tamen pollutionis ſecluſo) Caietanus, *delectatio moroſa*, §. *Rurſus*. Leſſius loco citato.

DIFFICVLTAS.

An voluntas peccet mortaliter, quando executioni operis mortaliter mali, conſentit ſub huiuſmodi conditione: hoc facerem, ſi mihi liceret; ſi non eſſet peccatum, ſi non eſſet contra virtutem, vel ſub alia huiuſmodi conditione.

PRo ſolutione difficultatis moneo; quòd quando quis dicit; facerem hoc, ſi non eſſet peccatum, vel ſi non eſſet contra virtutem, aut ſi non eſſet offenſa Dei, &c. duplicem ſenſum poſſunt

sunt habere huiusmodi verba. Primò signare possunt voluntatem esse ità propensam, vt esset factura tale opus, si non esset peccatum. Secundò eadem verba significare possunt in voluntate esse verum actum consensus, siuè desiderium efficax terminatum ad rem malam; v.g. ad homicidium, à cuius homicidij executione abstineat, eo quòd sit peccatum. Nunc.

Dico, quando quis dicit; facerem hoc, si non esset offensa Dei, &c. v.g. vindictam sumerem de inimico, nisi esset offensa Dei; si tantùm declaret voluntatem suam esse propensam ad vindictam, vt esset vindictam sumptura, si non esset peccatum, non peccat, immò meretur. Ratio est; quia talis actus est bonus, cùm voluntas in tali casu non determinetur ad malum, nec malum velit: sed propensionem suam in malum propter Diuinam offensam reprimit; atque hoc modo Deum timentes eliciunt eos actus conditionales.

Dico secundò, quando quis sub conditione auferente malitiam, vt est illa: si non esset peccatum, &c. consentirem executioni alicuius rei malæ & operis, quod solo iure positiuo prohibitum est; v.g. quando quis dicit; comederem carnes in Quadragesima, nisi Ecclesia prohibuisset, non peccat saltem mortaliter. Ratio est, quia cùm huiusmodi res non sint intrinsecè & ex natura rei malæ, possunt carere malitia, & apprehendi vt malitia carentes; ac proindè potest quis eas, vt malitia carentes, optare, vel desiderare eas non esse malas, vt absque peccato posset eas amplecti. Immò hoc nihil aliud esse videtur, quàm optare Ecclesiam non prohibuisse illas. Caietanus verbo, *cogitatio*; Armilla in eodem verbo, num. 1. Vasquez 1.2. dist. 16. cap. 2. num. 4. Sairus in Claui regia, lib. 8. cap. 7. num. 28. & alij.

Dico tertiò, quando quis consentit executioni alicuius operis intrinsecè & moraliter mali, vt est v.g. odium Dei, fornicatio & alia huiusmodi, quæ dicuntur intrinsecè mala; eo quòd iure ipso naturali sunt prohibita, peccato mortaliter, etiam si consentiat sub huiusmodi conditione, si non esset peccatum. Ratio est; quia cùm voluntas desiderio suo, vel consensu efficaci feratur in illius actus substantiam, in qua clauditur malitia, nec ab illo separari potest; fertur in rem moraliter malam; ac proindè mortaliter peccat. Quod magis constat

ex

ex hoc actu (si absque culpa) possem destruere, Deum ipsum destruerem. Adrianus col. 10. artic.2.conclus.1.Assorius tom.1. lib.4.cap.6.quæst.10. Sances lib. 1. in Decalogum cap.2. num.22. & alij: aduerte tamen, si res illa, vel actus, qui iure naturali vetitus est, in aliquo statu vel casu sit licitus, & talis conditio apponatur; si ille casus, vel status adesset, facerem talem actum, non peccaretur. Ratio est, quia talis conditio remouet malitiam. Hinc accipe subsequentia corolaria.

COROLARIVM I.

NON peccat desiderans accedere ad aliquam, si esset sua vxor; nequè desiderans latrones suspendere, si esset Iudex: nec Religiosus, aut coniugatus desiderans vxorem ducere, si ille à voto Religionis; & hic à Matrimonio, liber esset. Ità tenent citati Auctores, & Vasquez 1. 2. disput.110. cap.2. num. 4.

COROLARIVM II.

QVando quis dicit; peccarem, si non esset Infernus: non peccat mortaliter, si explicet tantùm voluntatis propensionem, quam ipse cohibet timore pœnæ; peccat tamen mortaliter, si verè habeat actum, vel consensum in voluntate, quo sub in prædicta conditione feratur in executionem operis mali moraliter.

COROLARIVM III.

SI Presbyter, aut Religiosus dicat; vlciscerer, vel fornicarer, nisi mei status rationem haberem: non peccat mortaliter, si tantùm significat animi propensionem; peccat tamen mortaliter; si consensus verè sequatur in vltionem, vel fornicationem sub illa conditione.

COROLARIVM IV.

SI homo senex dicat; si hoc contigisset tempore meæ iuuentutis, vel quando eram vitæ deperditæ, sumerem vindictam: peccat mortaliter, si verè adsit voluntas vlciscendi, si præterito illo tempore iniuria contigisset; secus autem si verba illa significent, quòd illo tempore talis erat, vt vindictam esset sumpturus.

COROLARIVM V.

CVM quis dicit; si non timerem, frangerem ieiunium: hæc verba possunt intelligi de duplici timore; hoc est de seruili, & filiali. Si intelligatur de timore seruili, quo timetur Deus tanquàm Iudex puniens peccata, peccat mortaliter, si tamen in tali casu adsit consensus in fractionem ieiunij, licèt conditionatus; quòd si consensus non adsit, & illa verba declarent tantùm voluntatis fragilitatem, siuè propensionem aut inclinationem habitualem, vel actualem ad frangendum ieiunium, non est peccatum.

Similiter si illa verba (nisi temerem Deum) intelligentur de timore filiali, ità vt sensus sit; nisi Deum reuererer, siuè nisi fractio eius ieiunij esset Dei iniuria, frangere ieiunium: tunc non erit peccatum, etiam si adsit consensus conditionatus. Ratio est; quia conditio illa apposita (si fractio ieiunij non esset iniuria Dei) rationem peccati aufert, atque hoc veritatem habet, si opus in cuius executionem voluntas consentit sub explicata conditione, sit tantùm iure positiuo prohibita, vel posset in aliquo statu non esse iniuria Dei.

Aduerte autem: si voluntas in executionem operis prohibiti iure naturali, vt est fornicatio, & odium Dei, consentiat sub illa conditione; peccat mortaliter, siuè verba intelligantur de timore seruili, siuè de timore filiali. Hinc si quis diceret; fornicarer, nisi timerem Deum, & verè consensum habeat voluntatis ad executionem fornicationis terminatam sub illa conditione timoris, siuè seruilis, siuè filialis, peccaret mortaliter. Ratio constat ex suprà dictis; non peccaret tamen, si explicaret tantùm propensionem suæ voluntatis, vt patet etiam ex suprà dictis.

DIFFICVLTAS.

An iactantia, vel laus de peccato sit peccatum mortale?

REspondeo; laudare se, vel alium de aliquo peccato veniali, esse peccatum veniale, & de mortali, mortale. Ratio est, quia actus ille laudandi se, vel alium de re mala, est quædam de eadem re complacentia; ac proindè si res sit mala mortaliter, & actus talis complacentiæ erit peccatum mortale: si verò vel sit mala venialiter, actus

talis complacentiæ, erit peccatum veniale..

Doctrina ista vera est, siuè quis verè, siuè falsò de illo malo se laudat; quia vtròbique eadem militat ratio. Caietanus 2.2. quæst.112.artic.2. Syluester verbo, *vana gloria*, quæst.2. Angelus verbo, *Instantia*, num. 1. Nauarrus cap.27.num.13.

COROLARIA.

EX dictis infertur esse peccatum mortale, velle gloriam, aut laudes de mortali; vel dum quis de eo laudatur illas acceptare, vel approbare peccatum mortale alterius tanquàm laude dignum. Ratio est, quia hìc interuenit complacentia de peccato mortali, vel eius approbatio.

Monitum; per se loquendo non peccat mortaliter, qui suum peccatum mortale, siuè verum, siuè falsum narrat absque approbatione, vel affectu ipsius operis: sed tantùm vt indè appareat ipsius industria, dexteritas, ingenium, vires &c. v.g. in occidendo hominem, vel in patrando aliquo alio huiusmodi opere malo, vt si quis laudet se, vel alium: quòd quater continuò ad fœminam accesserit; vel cum quatuor pugnauit, laudans (inquam) corporis vires, & in pugna dexteritatem, non peccat mortaliter: quia non laudat de peccato, sed de quodam bono naturali.

Monitum: Erit peccatū mortale, si sit in ipso laudante, vel in alio, quem laudat periculum iactantiæ, aut gaudij de mortali commissio; ratione cuius periculi potest esse mortale, vt notat Sances ibidem, sicut & etiam potest esse mortale ratione scandali.

Notantur nonnulla de materiæ paruitate, ratione cuius peccatum ex suo genere mortale, transit in veniale.

DE hac re ad longum disputaui disputatione 15. de Sacramento Pœnitentiæ. Cōsulantur ibi notata, à quibus abstineo; nè denuò replicentur. Nonnulla tamen dicam necessaria ad nostrum propositum per varia documenta.

DOCVMENTVM I.

Ratione leuitatis, siuè paruitatis materiæ peccatum ex suo genere mortale, potest fieri veniale.

RAtio est; quia vbi materiæ paruitas est, parua etiam offensa reperitur; ac proindè non est nisi culpa venialis. Monemus tamen dari aliquod genus materiæ, in quo leuitas, siuè paruitas non reperitur; huiusmodi est v. g. odium Dei, contemptus ipsius Dei, & infidelitas. Ratio est, quia in qualibet materia huius generis reperitur integra & plena ratio offensæ Dei: quotiescunque enim aliquid, vel minimum à Deo reuelatum negas, infinitam Dei veritatem negas; in quocunque casu Deum oderis, infinitam Dei bonitatem oderis, & quotiescunque Deum contemnis, infinitum esse contemnis. Idem contingit in iuramento assertoris: nam cuiuscunque rei minimæ, Deus in testem adducatur; adducitur vt testis falsus, eique mendacium tribuitur, & consequenter magna iniuria ei arrogatur. Idem contigit in Simonia quantùmuis parua res spiritualis vendatur, & quantùmuis leui pretio, peccatum est mortale; quia plenè fit iniuria rei spirituali, eam pretio æstimando. Suarius de Religione lib. 4. cap. 3. num. 5. Vghoninus tractatu de Simonia regula 1. cap. 17. num. 3. & alij.

Regula duplex adducitur, vt discerni possit; nùm materia peccati, siuè præcepti, sit grauis, siuè leuis siuè parua.

PRIMA REGVLA.

QVando materia multùm, siuè notabiliter conducit ad finem, in quem ordinatur præceptum à Superiore impositum; tunc est grauis materia, & sufficiens ad peccatum mortale: Quando verò materia parum ad eum finem conducit, tunc est materia leuis sufficiens solùm ad peccatum veniale. Itaquè ad discernendam grauitatem, vel leuitatem, non est materia præcepti, vel peccati attendenda præcisè secundum se: sed inspiciendus est etiam finis, ad quem Superior ordinat præceptum, quod ipse imponit. Vasquez 1-2. disp. 158. cap. 6. nu. 56. Sances lib. 1. in Decalogum

cap.

cap.4.num.2. Ex hac regula inferri potest, quòd si Ecclesia præcipit, vt Missa in die festo audiatur; peccat mortaliter, qui Missam non audit in quocunque die festo. Ratio est; quia auditio Missæ notabiliter & multùm inseruit præcepti Ecclesiastici fini, qui finis est perfectus, siuè bonum vniuersale vniuscuiusq; ac proindè auditio Missæ in tali casu est materia grauis, & per consequens ipsius Missæ omissio in tali casu; est peccatum mortale.

Monitum: si sæcularis Respublica, vel Vniuersitas præcipiat auditionem Missæ, & quis transgrediatur tale præceptum, non peccat mortaliter. Ratio est, quia auditio Missæ in tali casu non est materia grauis; eo quòd non conducit multùm notabiliter ad finem præcipientis Reipublicæ sæcularis; quia finis non est tàm profectus spiritualis singulorum, quàm bona gubernatio Vniuersitatis & Reipublicæ. Sances loco cit. num.6.

REGVLA SECVNDA.

AD discernendam materiã grauem à leui, sunt considerandæ circumstantiæ, quibus Superior ducitur ad imponendum præceptum de aliqua re, vel materia; quia sæpè contingit, vt materia præcepti, sit secundum se leuis, & tamen circumstantia aliqua grauitatem ei addat: ac proindè licèt de tali materia secundum se considerata non possit fieri præceptũ obligans sub mortali; poterit tamen de illa propter boni communis, vel Reipublicæ circumstantiam, vel Religionis adiunctam, quam Superior intendit, ferre præceptum, obligare sub mortali. Sairus in Claui regia lib.3.cap.17. num.14. Valentia in prima secundæ disp. 7. quæst. 5. puncto 6. Suarez tom.5. in tertiam partem disp.14. sess.6. num. 11. & 12.

COROLARIA.

SI Superior præcipiat seruari silentium ob periculum alicuius grauis peccati, vel transgressionis votorum; subditus frangens silentium, in tali casu peccabit mortaliter. Ratio est; quia licèt silentium secundum se consideratum, non sit res grauis, sed leuis; illa tamen circumstantia periculi boni communis, vel grauis peccati, cui Superior per tale præceptum intendit consulere, addit silentio gra-

grauitatem. Valentia loco citato, Sances in Decalogum lib.1. cap.4.num.5.

Hinc infertur, quòd ex sola materia præcepti iuris humani non potest discerni; an tale præceptum obliget sub mortali, nec nè? Quia fieri potest, vt res quę prohibetur, & est leuis secundum se considerata; sit tamen grauis ratione circumstantiarum, quas Superior spectat in imponendo præcepto, & subditi ignorant: ac proindè in dijudicando, an pręceptum iuris humani obliget sub mortali, vel tantùm sub veniali; siuè quod idem est, an sit de materia leui, standum est arbitrio prudentis & boni Viri.

Monitum: Si materia, etiam consideratis circumstantijs, non habeat grauitatem, sed leuis sit; quantùmcunque Legislator, vel Superior, siuè Ecclesiasticus, siuè sæcularis, intendat ferre præceptum de tali materia obligans sub mortali, non tamen obligat ad mortale. Ratio est; quia cùm talis materia ob leuitatem sit incapax obligationis; voluntas Legislatoris est irrationabilis, & contraria rationi. Gregorius de Valentia loco suprà citato, Assorius tom.1. lib.5.cap.6. q.5. Medina prima secundæ qu.96. artic.4. Sances loco suprà citato ait: noster Castro lib.1. de lege pœnali c.5. Docum. 2. vbi rectè monet in tali casu subditum non obligari sub mortali; etiamsi Prælatus, vel Superior iubeat in virtute obedientiæ, quia cùm materia sit parua, etiam consideratis circumstantijs, est incapax obligationis sub mortali.

DOCUMENTUM II.

Plures materiæ paruæ possunt ità coalescere, vt constituant vnā materiam grauem, sufficientem ad peccatum mortale.

AEquiuocum est nostrum documentum; varijs tamen dictis declarabitur. Hinc;

Dico primò; quando nec materiæ paruæ, neque effectus ab eis relicti continuantur mortaliter; ità vt neque materiæ paruę pro vna materia, neque effectus ab eis relicti pro vno effectu, moraliter computentur: transgressio, quantùmuis multiplicata præcepti in tali materia parua, non est peccatum mortale. Ratio est; quia cùm omnes illæ materiæ paruæ non coalescant in vnā, neque earum effectus, in vnum effectum: sed tàm materiæ, quàm effectus, maneant singula diuisa, &

& ità parua non possunt constituere grauem materiam. Vasquez prima secundæ disput. 146. num. 3. & 4. Hinc habes non peccare mortaliter, cùm quis singulis diebus festis, paruam temporis partem consumat in operibus seruilibus, etiā si habeat propositum laborandi singulis diebus festis paruo tempore. Ratio est, quia parua tempora, quibus per singulos dies festiuos exercetur opus seruile, moraliter non vniuntur in vnum tempus; & similiter illa parua opera seruilia exercita in illis temporibus, non relinquunt effectus, qui moraliter vniantur in vnum effectum, ac proindè nec constituunt materiam grauem. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 9. num. 10. Hinc non peccat mortaliter, qui facit vt multi, v. g. mille homines eodem die festo, vel diuersis, laborent per paruam temporis partem, v. g. per quadrantem; ità tamen, vt nullus illorum eodem die festo laboret per tempus notabile, & nullus eodem die laboret pluribus temporibus paucis efficientibus vnū tempus totale. Ratio est; quia illa parua tempora moraliter nō vniuntur in vnum, ac proindè non peccant mortaliter.

Infertur etiam, non esse peccatum mortale contra præceptū ieiunij, paruas comestiones eiusdem personæ factas in diuersis diebus ieiunij. Ratio est, quia cùm cuiuslibet diei obligatio transacta die omninò cesset, nequit multiplex illa parua comestio diuersis diebus facta, continuari moraliter, vel esse moraliter vna notabilis, vel sufficiens ad tollendum ieiunium cuiuscunque diei.

DOCVMEMTVM III.

Si plures materiæ paruæ, vel earum effectus moraliter vniātur in vnum; ità vt moraliter censeantur vna materia, vel vnus effectus, sufficiunt ad mortale.

Ratio est; quia cùm possint moraliter vniri in vnam materiam, possunt etiam vniri in vnam materiam notabilem, siue grauem, & per consequens sufficientem ad mortale. Vasquez in prima secundæ disput. 146. cap. 2. num. 3. & 4.

CO-

COROLARIA.

COROLARIVM I.

INfertur primò, posse quempiam per furtum multiplicatum rerum paruarum peccare mortaliter. Ratio est tunc; quia plura parua furta moraliter possunt vniri in vnam retentionem; quia, qui paulatim furatur, & nondum furta reddidit Dominis, dicitur simul actu retinere omnia, vel in specie, vel in genere: hoc est non restituendo rem, si adest adhuc, vel eius pretium. Peccatum furti consistit non solùm in acceptione, sed etiam in retentione rei alienæ; qui enim retinet alienum, dicitur peccare, & si simul plura furta retineat, dicitur simul peccare illa retinendo. Adde, quòd effectus plurium minorum furtorum, moraliter possunt vniri in vnum effectum; quia ex pluribus minimis furtis simul sumptis, potest consurgere, vel reliqui damnum proximi in notabili quantitate, in quo etiam damno notabili consistit peccatũ mortale.

COROLARIVM II.

POtest contingere, vt aliquis actus intemperantiæ, qui aliàs esset peccatum veniale, sit mortale; eo quòd effectus plurium actuũ minimorum intemperantiæ præcedentium, moraliter continuentur cum effectu illius vltimato, qui effectus quantùm est ex se, esset minimus: nàm cum actus intemperantiæ, nimirùm immoderatus esus & potus, sint actus vitiosi, eo quòd noceant valetudini corporis; potest contingere, vt plures huiusmodi actus fiant, qui singuli tantùm relinquant aliquod modicum nocumentum, quæ tamen nocumenta parua cum reliquis antecedentibus, vel subsequentibus, faciunt vnum nocumentum notabile, idest grauem morbum. In hoc autem casu vltimus actus intemperantiæ, siuè sit potus, siuè esus immoderatus, erit peccatum mortale; eo quòd facit, siuè complet nocumentum graue, licèt per se sumptus inferat solùm nocumentum paruum. Vasquez in prima secundæ disp. 146. cap. 2. num. 4.

COROLARIVM III.

INfertur eum, qui eodem die ieiunij sæpiùs plura modica modica comedit, quæ tamen simul sumpta constituerent vnã

ma-

materiam notabilem comestionis, peccare mortaliter per illam comestionem, qua comederetur pars complens materiam notabilem. Ratio est, quia cùm illæ comestiones factæ sint eadem die, continuantur moraliter, & faciunt vnam notabilem materiam. Vasquez loco citato, Sances in Decalogum lib. 1. cap. 4. num. 8.

COROLARIVM IV.

INfertur, eum qui iurauit, an vouit dare quotidie eleemosynam paruam, vel recitare modicam orationem, v.g. Dominicam; si iurauit, aut vouit non in diei honorem, sed tantùm vt dies præsingatur pro termino, nec vltra illum executio iuramenti, aut voti differatur: vt contingeret, si iurasset, aut vouisset simpliciter de singulis diebus, tunc licèt singulis diebus omittat implere iuramentum, aut votum; & talis omissio sit tantùm ex se considerata, peccatum veniale, eo quòd sit omissio rei paruæ; quando tamen omissio eleemosynæ, aut orationis ad notabilem quantitatem perueniret, omittens peccaret mortaliter. Ratio est; quia obligatio materiæ paruæ omissæ transit in alium, & alium diem, donec iuramentum, aut votum impleatur; ac proindè vniuntur & continuantur, & per consequens peccatum mortale, cùm primò materia omissa erit grauis. Vasquez loco citato, Sances etiam loco citato num. 14.

Si quis iurasset, aut vouisset dare eleemosynam paruam, aut recitare modicam orationem (v.g. Dominicam) quotidiè in honorem temporis & diei, v.g. in honorem Sanctorum, quorum festum singulis diebus celebratur; non peccat mortaliter, etiam si hæc iuramenta, aut vota non adimpleantur. Ratio est; quia in tali casu, singulorum die elapso, extinguitur obligatio pro illo die; ac proindè illæ paruæ materiæ omissæ, continuari non possunt, nec vniri in vnam materiam notabilem omissam. Vasquez, & Sances locis citatis.

Aduerte tamen, si iurans, aut vouens, posteà habeat propositum generale omittendi semper orationem paruam, aut paruam eleemosynam quotidianam in honorem diei promissam, non peccat mortaliter; sicùt nō peccat mortaliter, qui habet propositum singulis diebus festis parum laborare, singulis ieiunijs parùm comedere, aut singulis diebus omittendi ex horis Canonicis. Ratio

est; quia cùm modicæ illæ materiæ non coalescant in vnam, sed quolibet die, obligatio cuiuslibet cesset, non possunt ità coniungi, vt vnam notabilem materiam efficiant: ac proindè, propositum illud dicitur esse intentionem omittendi vnam materiam grauem, vel sufficientem ad peccatum mortale; sed tantùm plures materias paruas, siuè leues sufficientes ad parua peccata venialia. Sances ibidem num. 15.

De modis, quibus peccatum, quod ex se aliàs esset veniale, fit mortale.

DOCVMENTVM I.

Peccatum quod ex se aliàs esset veniale, non fit mortale per nouum præceptum superioris prohibentis illud.

Ratio est; quia cùm tale peccatum sit veniale ratione paruitatis materiæ, nec præceptum superadditum mutet illius materiam, non potest ob nouum præceptum transire in mortale. Assorius tom. 1. lib. 4. cap. 9. quæst. 10. & alij contra Almainum.

DOCVMENTVM II.

Peccatum veniale, præcisè ratione frequentiæ non potest fieri mortale; ac proindè si primum peccatum est veniale, & millesimum, & vltimum erit tantùm peccatum veniale.

Ratio est; quia in vltimo peccato per antecessionem multorum huiusmodi peccatorum, non potest augeri malitia, saltem notabiliter. Est communis opinio.

Monitum hoc verum est, vbi ex frequentatione peccatorum venialium, non incurritur periculum committendi peccatum mortale; aliàs, si frequentatio peccati venialis trahat secum tale periculum, ex tali etiam frequentatione peccatum veniale transibit in mortale. Addo prætereà; vt peccatum veniale non fiat ex frequentatione mortale; necesse est etiam, vt materiæ talium peccatorum moraliter non possint continuari, siuè coalescere in vnam materiam; aliàs etiam ex frequentatione peccatum (quod aliàs esset veniale) poterit esse mortale, vt constat ex suprà dictis de furtis minimis, ac actibus intemperantię multiplicatis. Hinc infer-

infertur propositum committendi omnia peccata venialia, quæ se obtulerint committenda, esse peccatum mortale; etiam si desit contemptus Dei. Ratio est; quia obiectum talis propositi continet in se morale periculum peccandi mortaliter. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 5. num. 4.

DOCVMENTVM III.

Peccatum, quod aliàs esset veniale, nequit fieri mortale ex dignitate aut sanctitate ipsius peccantis.

RAtio est; quia cùm in tali casu materia peccati maneat leuis, dignitas & sanctitas peccantis non possunt malitiam peccati venialis ita augere, vt faciant illam mortalem; ac proindè mendacium iocosum, etiam in sanctissimo Viro, & in Summo Pontifice, est tantùm veniale, nisi quis indè scandalizetur, & inducatur ad mortale. Asorius tom. 1. lib. 4. cap. 9.

DIFFICVLTAS.

An peccatum ex se veniale, possit fieri mortale ratione contemptus adiuncti, qui contemptus sit causa committendi peccati venialis; quod contingit, cùm quis per peccatum veniale violat aliquod præceptum, quia præceptum est, siuè quia ipsi præcepto, aut superiori præcipienti, subijci non vult.

REspondeo peccatum ex suo genere veniale, vt est v.g. fractio silentij præcepti, ratione talis contemptus adiuncti fit mortale. Ratio est; quia materia talis peccati, licèt sit leuis: contemptus tamen est quid graue; quia tendit formaliter, & directè contra leges & Legislatores, & contra præcipientis superioritatem. S. Thomas 2.2. quæst. 186. artic. 9. *Ad tertium.* Caietanus verbo, *contemptus*: Angelus, Syluester, Nauarrus cap. 23. num. 42. & alij communiter.

Aduerte autem, contemptus formalis, qui est peccatum mortale inobedientiæ formalis, & de quo locuti sumus, non est quando quis solùm ex malitia, aut praua consuetudine violat præceptum; hic enim contemptus malitiæ, siuè paruæ consuetudinis

non sufficit ad efficiendum peccatum ex veniali mortale.

Monitum aliud est, nolle obedire ex indignatione, aliud nolle obedire ex contemptu. Nolle obedire ex indignatione est, quādo quis non vult in aliqua re obedire: non eo quòd subijci Superiori recuset; sed vt ipsum Superiorem afficiat aliquo dolore, vt ità de ipso Superiore sumat aliquam vindictam per illam precepti transgressionem. Nolle autem obedire ex contemptu, est quando quis renuit obedire, eo quòd subijci non vult.

Hoc autem est discrimen inter illa duo, quòd nolle obedire ex contemptu, est peccatum mortale; nolle autem obedire ex indignatione, non est mortale, nisi quando ipsa indignatio est mortalis. Valentia 1. 2. disput. 7. quæst. 5. punct. 3. Lessius lib. 2. cap. 46. num. vlt. Tandem aduerte, quàmuis semper sit peccatum mortale contemnere Prælatum, vt Prælatus est, & à Deo habet auctoritatem: si autem quis contemnat Prælatum, quia est imprudens, vel infimæ sordis, non peccabit mortaliter; nisi quando contemnit ex indignatione mortali, vel contemnit inferendo conuicium. Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. conclus. 2. Lessius loco citato num. vlt.

Hinc infertur, quòd licèt, semper sit mortale, nolle etiam in re minima obedire (in contemptu nimirùm absoluto, & simpliciter dicto) qui est, quando quis contemnit obedire Superiori, eo quòd simpliciter & absolutè nolit obedire, vel subesse. Si quis tamen secundum quid contemnat obedire; hoc est renuat Superiori obedire tantùm hìc & nunc determinatè, vel in aliquo casu particulari, & materia sit leuis; peccat tantùm venialiter. Idem si quis renuat obedire tantùm alicui præcepto humano de re leui, non absolutè, sed quia est de re leui; non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter. Ratio est; quia talis contemptus, cùm non sit absolutus contemptus Superioris, vel obedientiæ, sed tantùm contemptus secundum quid; id est in re leui, est leuis, ac proindè non est nisi peccatum veniale. Caietanus verbo, *contemptus*: Armilla eodem verbo num. 3. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 1. *Ad primum*. Valentia 1. 2. disput. 7. quęst. 5. punct. 6. Lessius lib. 2. cap. 46. num. penult. & vltim. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 5. num. 13. vbi addit, non esse peccatum mortale, quando despicitur, vel contemnitur

nitur Prælatus, non absolutè vt Prælatus est, sed quòd eius auctoritas sit exigua, vel sit tantùm circa res leues, quia hoc non est simpliciter contemnere, sed tantùm secundum quid.

DIFFICVLTAS.

Qua ratione opus tantùm malum venialiter, vel ex se indifferens; idest nec malum, nec bonum, sit peccatum mortale ratione scandali.

MOnemus scandalum esse duplex; alterum dicitur actiuum, siuè datum; alterum dicitur passiuum, siuè acceptum: Scandalum actiuum siuè datum, est dictum, vel factum, quo quis dat alteri occasionem peccandi; & quidem si occasio peccandi præbeatur infirmis in virtute, siuè valdè obnoxijs alicui passioni (iracundiæ v.g.) dicitur scandalum infirmorum, & pusillorum; si autem scandali occasio præbeatur ignorantibus, dicitur scandalum ignoratiuum. Scandalum passiuum, siue acceptum, est dictum vel factum alicuius, vndè alij ex sua malitia accipiunt occasionem peccandi: Scandalum hoc, interdùm appellatur scandalum Pharisæorum; quia ex malitia sua alter desumit occasionem peccandi, non autem illi præbeatur talis occasio ex conditione ipsius dicti, vel facti.

Monitum: Scandalum actiuum potest diuidi in scandalum generale, & in scandalum speciale; scandalum generale, est quando quis dicto, vel facto, siuè malo, siuè habente speciem mali, siuè indifferenti (à quo tamen nè esset alicui occasio peccandi) tenebatur abstinere, proximum ad peccatum incitat: non tamen ex odio ipsius proximi, vel Dei, siuè habeat animum incitandi, siuè non habeat talem animum; atque hoc peccatum scandali, est contra illam virtutem, contra quam est peccatum, ad quod proximus incitatur: v. g. quis prauo exemplo dicti, vel facti sui, incitat alium ad furtum; tale dictum, vel factum, etiam quatenùs incitat ad furtum, & contra Iustitiam, sicut est furtum ipsum: quia virtus Iustitiæ non solùm præcipit, nè quis furetur vel faciat aliquod contra Iustitiam; sed etiam præcipit, nè quis prauo exemplo alium incitet ad furandum, vel faciendum contra Iustitiam. Huiusmodi scandalum appellatur commune, siuè generale; quia non est vnius certæ speciei, vel contra vnam & eandem

dem

dem virtutem: sed potest esse modò contra hanc virtutem, modò contra illam iuxta qualitatem peccati, ad quod incitatur proximus. Scandalum autem speciale est, quando quis ex odio Dei, vel proximi, intendit exemplo dicti, vel facti sui incitare eundem proximum ad peccatum mortale, & ruinam spiritualem, quæ est peccatum mortale: hoc scandalum appellatur scandalum speciale, quia est peccatum vnius certæ speciei, nimirùm contra charitatem; quia velle malum, siuè peccatum proximi ex odio Dei, vel proximi, est contra charitatem. His adnotatis.

Dico primò: si quis per dictum, vel factum, quod sit tantùm peccatum veniale, vel ex se sit aliquod indifferens, præbeat alteri occasionem peccandi venialiter; ità vt, directa intentione malum proximi, idest peccatum veniale intendat, non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter. Ratio est; quia in tali casu, leue damnum proximi intendit S.Thomas 2.2.quæst.43.art.4. Caietanus verbo, *Scandalum*: Angelus eodem verbo num. 2. Syluester quæst.2. Armilla num. 4. Nauarrus cap.14. num.29. est contra Vasquez in primam secundæ disp.102.cap.7.num.23.& 24.

Oppones: lapsus ille proximi in peccatum veniale, est peior quocunque damno temporali; ac proindè intendere ipsum lapsum proximi, erit peccatum mortale, sicut est, quando intenditur damnum proximi temporale notabile. Respondeo ad quantitatem culpæ discernendam, non conferendum peccati venialis damnum cum damno temporali; quia sunt diuersi ordinis; & cùm damnum peccati venialis sit ordinis Superioris, damnum temporale inferioris, quantùmcunque sit damnum temporale, exceditur à damno peccati venialis quantùmcunque minimi. Quodlibet igitur damnum spectandum est in suo genere, ac proindè peccatum veniale, cum in ordine spirituali sit leue damnum; intendere peccatum veniale proximi, non erit intendere graue illius damnum, & per consequens nec erit peccatum mortale, sed tãtùm veniale: Medina 1.2.qu.73. art.8. Hinc habes, quòd si quis per aliquod suum peccatum mortale leuiter scãdalizat alium, etiam si intendat per illud suum peccatum mortale inducere proximũ ad peccatum veniale; nõ committit duo peccata mortalia, sed vnum. Peccatum autem scandali adiunctũ, non erit mortale, sed tantùm venia-

nia-

niale. Ratio est, quia quantitas culpæ scandali ex solo proximi damno pensanda est; ac proindè cùm damnum proximi in casu proposito, sit tantùm peccatum veniale, simile etiam erit peccatũ scandali in eodem casu. Sances lib.2.in Decalogum cap.6.nu.10.

Dico secundò; quando quis præuidet probabiliter futurum, vt suum dictum, vel factum scandalizet alterum; idest præbeat illi occasionem peccati mortalis, peccat mortaliter, etiamsi tale dictum, vel factum, quo scandalizat ex se, aliàs esset tantùm peccatum veniale, vel aliquid in se omninò indifferens, idest nec malum, nec bonum. Ratio est; quia quælibet virtus, non solùm prohibet, nè aliquid contra ipsam fiat; sed etiam vitetur alteri occasio faciendi contra ipsam. S. Thomas 2.2.quæst.43. artic.3. Aduerte autem, vt quis censeatur per peccatum suum veniale, aut opus indifferens præbere alteri occasionem peccandi mortaliter, necesse est vt propter periculum spiritualis animæ proximi teneatur abstinere ab huiusmodi indifferenti, vt constabit ex infrà dicendis. Hinc habes, multò magis esse peccatum mortale, quando quis per peccatum suum veniale, vel aliud opus indifferens, directè intendit ruinam spiritualem ipsius proximi, vel eius peccatum mortale; siuè hoc fiat ex odio Dei, vel ipsius proximi, siuè etiam ob alium finem. Habes etiam eum, qui dicto, vel facto mortali præbet alteri occasionem peccandi mortaliter, committere duo peccata mortalia; v.g. si quis furetur coram alio, quem præuidet suo exemplo incitandum ad furtum, etiam si non intendat illum incitare, duo committit peccata mortalia: alterum furti, alterum scandali; quod etiam indirectè est contra Iustitiam, etiam si non habeat intentionem incitandi ad furtum, ac proindè vtrumque explicandum erit in Confessione.

Petes curiosè, an qui scandalizat alium præbendo illi occasionem peccandi contra Iustitiam, v.g. furandi, vel occidendi, teneatur ad restitutionem damni posteà ab ipso scandalizato illati; si videlicet ipse scandalizatus nolit, vel non possit restituere, quod surripuit.

Respondeo; quàmuis scandalizans alterum exemplo suo, præbendo illi occasionem furandi, vel occidendi, peccat contra Iustitiam; non tamen tenetur restituere damnum à scandalizato datum, licèt is non restituat. Ratio

tio est; quia nemo tenetur restituere nisi cùm directè & perfectè violat legem Iustitiæ; hoc est, verè influit in ipsam Iustitiam, aut ex contractu, vel officio tenetur eum impedire: neutrum autem horum reperitur in eo, qui prauo exemplo suo incitat alium ad furandum vel occidendum; vndè etiam non propriè, & directè, peccatum illius est contra Iustitiam, sed tantùm indirectè & reductiuè. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 6. num. 5. Aduerte rursùm ratione circumstantiæ scandali, non solùm fit peccatum mortale, quando præuidetur certò futurum, vt qui prauo exemplo ductus, peccet mortaliter: sed etiam, quando id probabiliter timetur; secus autem quando probabiliter non timetur. Hinc habes esse peccatum mortale, si persona valdè religiosa verbum turpe veniale publicè dicat, aut si iocosè verbum amatorium dicat coniugatæ coram viro valdè geloso & iracundo; quia in tali casu, meritò censetur proximum inducendum esse ad peccatum mortale, vel esse tale periculum talis inductionis. Aduerte etiam; peccat quoque mortaliter, qui potuit aduertere ex suo opere secuturum scandalum, & non aduertit; si tamen inaduertentia fuit grauis, secùs autem si fuerit leuis, tunc enim esset tantùm peccatum veniale.

DIFFICVLTAS.

An fœmina conspectui Viri se offerens, à quo se turpiter amari nouerit, peccet mortaliter peccato scandali, etiam si non intendat prouocare eum ad amorem?

RESpondeo, non peccare mortaliter. Ratio est, quia fœmina in tali casu vtitur iure suo, & libertate sua, qua commodè priuari non potest; quin exponatur multis scrupulis circa egressum è Domo, & similes actiones. Caietanus 2. 2. quæst. 144. artic. 4. in fine, & quæst. 169. artic. 2. *Ad quintum dubium*. Armilla verbo, *ornatus*, num. 3. & verbo, *scandalum*, num. 3. & apud eundem Palatius. Fauet Sances lib. 1. in Decalogum num. 16. est contra Nauarrum cap. 14. nu. 37. Asorium tom. 2. lib. 12. cap. vlt. quæst. 12. & alios.

Ex dictis infertur, quòd fœmina ob dictam causam, non tenetur se priuare libertate egrediendi Domo, discurrendi per Ciuitatem, standi ad ostium Domus, vel ad fenestras; dummodò non habeat animum prouocandi pro-

ximum

ximum ad turpem sui amorem. Aduerte tamen, si fœmina turpis amoris alterius conscia, & data opera absque vlla necessitate, vel vtilitate, aut commodo, se illius conspectui offerat ducta solùm quadam vanitate ostendendi se illi, vel suam pulchritudinem, peccat mortaliter: Ità Sances. Ratio ipsius est, quia quàmuis talis fœmina non teneatur se priuare sua libertate eundi quòcumque velit, & agendi, pro vt libet (eo quòd aliàs exponeretur multis scrupulis) tamen absque eo quòd priuetur vlla vtilitate, vel exponatur scrupulis, potest non se offerre illius conspectui, data opera, vel sola vanitate se illi ostendendi; si tamen præter hanc vanitatem adesset alius finis, necessitatis, vtilitatis, vel commoditatis alicuius, non esset peccatum mortale.

DIFFICVLTAS.

Quandonam sit mortale peccatum exhibere alteri rem indifferentem, vel ministerium aut obsequium indifferens, quo ille abusurus est ad peccandum mortaliter.

RESpondeo, & dico primò: qui res indifferentes, abusuro illis ad peccandum mortaliter ministrat, ea intentione; vt ille suam prauam voluntatem exequatur, peccat mortaliter. Ratio est, quia hoc est directè cooperari ad peccatum alterius mortale. S. Thomas 2. 2. quæst. 169. artic. 2. *Ad quartum*. Syluester verbo, *infidelitatis*, quæst. 4. Hinc habes, primò peccare mortaliter eum, qui Idola, vel alia ad cultum Idololatriæ fabricat spectantia, intentione ministrandi illa abusuro. Habes etiam esse peccatum mortale ministrare Domino obsequia ex se ad peccatum mortale ordinata, vt est inuitare Concubinam, vt rem cum Domino habeat.

Dico secundò: res vel ministeria, bono ac malo vsui æquè indifferentia ministrare alteri, quem nescias voluntatem habere illis abutendi, & de quo nullam habeas iustam causam mali præsumendi, vel dubitandi de illius intentione, non est peccatum. Ratio est, cùm nullum sit fundamentum malè præsumendi de illo, præsumendus est bonus. Aduerte tamen, si res, vel ministerium, quod alteri exhibetur, ex se sit aliquo modo determinatum ad malum vsum, exhibens peccat, nisi priùs examinet intentionem illius, cui ministrat; vel nisi

adsit aliqua causa excusans. Ratio est; quia propter illam rei ministratæ determinationem, ad malum præsumptio stat contra facientem.

Dico tertiò: res vel ministeria indifferentia bono & malo vsui absque intentione cooperandi peccato, ministrare abusuro illis ad peccandum mortaliter, non est peccatum (saltem mortale) si adsit aliqua causa iusta excusans, vt est v.g. necessitas vitandi graue damnum. Ratio est, quia in tali casu censetur esse moralis necessaria exhibendi illa ministeria indifferentia & moralis impotentia prohibendi peccatum mortale proximi, erit tamen peccatum mortale, si non adsit aliqua iusta causa excusans. Ratio est manifesta, Syluester verbo, *infidelitas*, quæst.4. Valentia 2.2. disput. 5. quæst. 11. puncto 4. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 7. num. 11.

Aduerte autem, grauior causa, siuè necessitas reperitur, vt à peccato mortali excusetur exhibens rem, vel ministerium indifferens abusuro ad peccatum mortale contra Iustitiam, quàm vt excusetur, rem vel ministeria indifferentia exhibens abusuro ad peccatum mortale contra aliam virtutem, v.g. contra veritatem. Ratio est, quia in peccatis contra Iustitiam, non solùm ipse peccans patitur damnum spirituale propria sua voluntate; sed etiam alter innocens patitur aliud damnum: in peccatis autem contra Charitatem, vel alias virtutes, solùm ipse peccans damnum spirituale patitur, & quidem propria voluntate. Assorius lib. 1. cap. 22. quæst. 61. & ideò causa excusans in peccatis contra Iustitiam debet esse talis, quæ meritò præferri possit damno alterius.

Item aduerte, res & ministeria indifferentia, quæ exhibentur abusuro illis ad peccatum mortale: alia proximè accedunt ad ipsum peccatum mortale, vt est v.g. deferre in Sila meretricem ad locum fornicationis, alia remotè se habent ad peccatum, vt est v.g. iussu Dominæ aperire ianuam Amasio petenti præcisè ingressum. In his autem, quæ proximè accedunt ad peccatum mortale, maior causa exigitur quàm in his, quæ remotè accedunt. Ratio est; quia magis tenemur non exhibere proximè accedentia ad peccatum, quàm remotè se habentia ad illud.

Monitum: Maior causa requiritur ad excusandum à peccato eum, qui exhibet indifferentia abusuro illis ad peccandum mortali-

taliter, quod impediretur illo non exhibente, quàm requiratur ad excusandum exhibentem indifferentia abusuro ad peccatum mortale illi, qui nihilominùs committeret idem peccatum, etiam si ille denegaret indifferentia, patet ex dictis.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

REmota intentione cooperandi malum, non est peccatum mortale vendere Agnum Iudæo in Paschade ad sacrificandum, quod sacrilegium prohibitum abrogato iure Diuino abusuro ad sacrificandum, vendere meretrici fucos & ornatus ad alliciendos iuuenes innocentes ad amorem sui turpem. Ratio est, quia detrimentum, quod venditor pateretur, nisi merces venderet dictis personis, excusat illum. Syluester, *infidelitas*, quæst.4. Valentia 2.2.disp.5. quæst.11.punct. 4. Sances lib.1. in Decalogum cap.7.num.14.

Monitum; Si vendens, nullum pateretur damnum huiusmodi merces denegando Iudæo, aut meretrici, v.g. eo quòd eodem tempore posset easdem merces vendere alijs non abusuris; peccat, si vendat Iudæo, vel meretrici. Ratio est, quia & si vendendo huiusmodi res dictis personis, indirectè tantùm actui externo peccati cooperetur: huiusmodi tamen cooperatio potest excusari à culpa, nisi ratione alicuius detrimenti adiuncti, quod in tali casu supponitur non interuenire. Caietanus 2.2.quæst.147. artic.4. Nauarrus cap.21.num.26. Valentia 2.2.disput.4.quæst.21. punct.4. Suarez in tertiam partem disput.18.à sess.1. corolario 2. & alij.

Dices: quid si quis potens absque suo damno dictas res indifferentes denegare Iudæo, aut meretrici, nihilominùs illis vendat easdem res, sciens se non vendere illis, alios nihilominùs vendituros illis? Respondeo, qui in talibus circumstantijs vendit Iudæo, vel meretrici huiusmodi indifferentia, non peccat, saltem mortaliter. Ratio est, quia cùm talis venditio sit actio ex se omninò indifferens, & remotè se habens ad peccatum, eatenùs est peccatum, quatenùs vendens non impedit peccatum personæ abusuræ huiusmodi rebus, quod impedire posset: at in casu proposito non vendendo, non impedit peccatum ementium, cùm alius illis similia sit

venditurus. Caietanus 2.2. quæst. 147. artic.4. Lessius lib.4. cap.2. Sances lib.1. in Decalogum cap.7. num.16.

Petes; an in dubium mali vsus alterius, excusetur ministrans, vel exhibens supradictas res indifferentes, nulla alia causa concurrente.

Dico primò: si dubium sit merè negatiuum, hoc est si nulla concurrat ratio probabiliter, vel rationabiliter mouens ad peccandum; dum huiusmodi indifferentia non est peccatum ministrare personæ, de qua negatiuè (vt explicauimus) dubitetur, an sit abusura. Ratio est, quia quilibet præsumendus est bonus, de cuius bonitate rationabiliter dubitari non potest.

Dico secundò: si positiuè dubitetur, siuè quod idem est, si concurrant rationes suadentes dubitare, an alter abusurus sit talibus rebus indifferentibus; tunc vt exhibens illi huiusmodi res indifferentes non peccet, requiritur aliqua iusta causa, minor tamen quàm requiratur, vbi certum est abusurum esse.

Aduerte etiam sicut venenum, quod neque alteri rei ad iustum potest deseruire vsibus humanis, vendi non potest; eo quòd legibus prohibitum sit: ità venenum quod medicinis conficiendis, aut alijs necessarijs Reipublicæ vsibus deseruire potest, non potest quibuscunque vendi; sed ijs solis personis, quibus ex officio, aut alijs circumstantijs constet illud velle ad prædictum vsum. Salon 2.2. quæst.77. artic.4. Molina tom.1. de Iustitia disput.34. ad finem.

COROLARIVM II.

EX supradictis infertur non peccare captiuos ad proprium notabile damnum, vel supplicium vitandum remigantes in triremibus Turcarum pugnantium contra Christianos. Petrus Nauarrus de restitutione lib.3. cap.4. dub.4. Molina tom.1. de Iustitia disp.115. conclus.1. Assorius tom.1. lib.2. cap. 17. quæst.6. Lessius lib.2. cap.7. dubitation.18. & alij.

COROLARIVM III.

IDem dicendum est de captiuis, qui ad vitandum proprium graue damnum, vel supplicium porrigunt Turcis arma ad Christianos interficiendos. Molina, & Assorius locis citatis: Corduba in summa quæst. 137.

dubio

dubio 2. Emanuel Sà verbo, *peccatum*, num. 9.

COROLARIVM IV.

IDem dicendum de captiuis similiter ad vitandum proprium graue damnum, vel supplicium, asportantibus sarcinas, applicantibus scalas, & necessaria ad bellum iussu Turcarum; vel admouentibus machinas, & scalas ad muros: Molina, & Assorius locis citatis. Idem dicendum de captiuis, qui ad vitandum proprium notabile damnum, Turcas humeris sustentant & iuuant ad Castra munienda, ædificanda propugnacula, aliaque huius generis militiæ necessariò perficienda. Molina loco suprà citato, Lessius etiam loco citato dubio 3. nu. 29.

COROLARIVM V.

ADmouere scalam volenti furari, dare ensem parato vel volenti alterum occidere, ostendens vbi sit occidendus, reddere furioso gladium dispo-sito volendi se interficere, non est peccatum, quando iusta adest causa proportionata; idest graue detrimentum illius dantis, standum est iudicio prudentis Viri proposito. Emanuel Sà verbo, *peccatum*, num. 9. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 7. & alij apud ipsum num. 19.

COROLARIVM VI.

NON est peccatum locare domũ meretrici, vel vsurario publico. Ratio est, quia & si loco ad peccandum abutantur: locus tamen ad peccatum se habet omninò extrinsecè, nec specialiter ad peccatum inseruit; sicut nec specialiter ad illud deseruiunt cibi, vel alia ad vitam requisita. Valentia 2. 2. disput. 5. quæst. 2. puncto 5. Assorius tom. 2. lib. 12. cap. vlt. quæst. 3. & alij. Aduerte tamen si vsurarius publicus esset alienigena, non potest illi locari domus absque peccato. Ratio est, quia hoc est prohibitum cap. 1. de vsuris in textu.

Monitum: Si ex eo quòd talis domus locaretur meretrici, ipsa esset patratura plura peccata, nimirùm ratione situs domus, quàm si non locaretur: similiter si vicinitas meretricis domum conducentis, plurimis noceret vicinis fœminis honestis, in talibus casibus qui locaret domum meretrici, peccaret; si possit alteri personæ commodè locare, quia

quia tunc locans censeretur velle cooperari peccato; si verò non posset alteri absque incommodo locari, excusaretur à peccato; nimirùm ratione illius incommodi. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 7. num. 2.

COROLARIVM VII.

INfertur non peccare captiuum Christianum, qui portat caudam Dominæ ingredientis Templum Idoli, vel genuflectit cum Domina genuflectente; vel eam manu sustentat, vt possit commodè genuflectere. Ratio est, quia tale obsequium est de se indifferens, & necessitas præstandi obsequij debiti vrget; ita vt non possit commodè id recusare: peccaret tamen, si simul Idolum adoraret, vel adorare simularet; quia vtrumque est intrinsecè malum. Asforius tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 1.

COROLARIVM VIII.

NON peccant famuli sternentes equum Domino ad fornicandum ituro. Ratio est; quia cùm huiusmodi famuli ministrent indifferenter, quæ remotè se habent ad peccatum, excusat eos præcisa ratio famulatus. Angles 1. part. quæst. 7. de ieiunio, difficultat. 5. Nauarrus lib. 5. Consiliorum, titulo de pœnitentijs & remissionibus, in secunda additione consil. 5. Idem dicendum est de famulis comitantibus, aut expectantibus Dominos ad fornicationem: dummodò non faciant custodiæ causa.

Aduerte tamen; si famulo non sternente equum, aut non comitante, Dominus non esset peccaturus: tunc famulus præcisa ratione famulatus non excusaretur. Sed maior causa esset necessaria, vt est v.g. non posse commodè tale obsequium denegare, & fore molestum, ac noxium famulo ob id Dominum deserere, & alium quærere; præsertim cùm raró inueniatur Dominus, qui similia, aut peiora non imperet. Sances in Decalogum lib. 1. cap. 12. nu. 21.

Monitum: qui famuli non sunt, possunt sternere equum ituro ad fornicandum, vel alia huiusmodi illi præstare absque peccato; nisi aliqua alia iusta causa eum excuset. Ratio est, quia famulatus tunc eum non excusat.

Monitum: si Dominus seruo iuberet, vt se comitaretur, vel equum sterneret sibi ad duellum

cun-

eundo, vel illaturo damnum iniustum alteri personæ; & famulo non comitante, vel non sternente equum, duellum, vel damnum vitaretur: tunc famulus peccaret mortaliter tale ministerium exhibendo, nisi excusaretur periculo proprij Domini iuxta ordinem Charitatis. Aduerte etiam, si famulo non exhibente tale ministerium, duellum, vel damnum prędictum non euitaretur; adhuc exigeretur aliqua iusta causa, vt famulus posset licitè illud ministerium exhibere, sed minor quàm si vitaretur duellum vel damnum. Ratio est, quia comitatus semper animosiorem reddit eum, qui exiturus est ad duellum. Tandem si Dominus solus vellet ire ad duellum, & certum esset damnum non esse vitandum, etiam si famulus non sternat equum; tunc famulus exhibens tale ministerium, est sufficienter excusatus à præcisa ratione famulatus. Ratio est; quia tale ministerium valdè remotè & extrinsecè se habet ad damnum vitandum, nec aliàs damnum vitare potest.

COROLARIVM IX.

PEccant mortaliter famuli ad duellum, vel ad fornicationem euntes, vt eum iuuent, vel riuales eiusdem meretricis aggrediantur. Ratio est, quia hæc proximè ità se habent ad peccatum Domini, vt sint quasi positiua causa, seu directa cooperatio; cùm redderent illum securiorem, & animosiorem ad peccandum. Petes quid si famuli comitentur Dominum euntem ad duellum, vel ad meretricem non vt illum iuuent; sed vt ipsum (si fortè aggressus sit) defendant; nè forte interficiatur. Respondeo, famuli in tali casu mortaliter peccant, nisi excusentur periculo damni sibi imminentis, quod præponerent periculum mortis alterius. Ratio est, quia comitatus ille animosiorem reddit euntem ad duellum, vel ad fornicandum. Aduerte tamen, quilibet licitè potest euntem ad duellum, vel ad fornicationem comitari animo defendendi oppressum, nè interficiatur: si tamen abiens ad duellum, vel fornicandum sit inscius, vel ignoret talem comitatum. Ratio est, quia talis comitatus non est malus, sed bonus & opus virtutis.

COROLARIVM X.

INfertur famulos, siuè famulas meretricis condientes cibos,

1. in Decalogum cap.7.num.27. Est contrà Emanuel Sà verbo, *peccatum*, num.9.

COROLARIVM XIII.

NON peccant famuli, vel famulę iussu Domini aperientes ianuam concubinæ ingredienti, nec docentes vbi sit Dominus. Ratio est;quia talem actionem habentes remotè, se habent ad peccatum Domini & Concubinæ; hinc excusantur à peccato à præcisa ratione famulatus. Assorius 2. tom. lib. 12. cap.vlt. quæst.8. Sances lib.1. in Decalogum cap.7.nu.30.& apud eum Manuel.

COROLARIVM XIV.

TAbernarij, & Caupones vendentes,& ministrantes cibos recumbentibus non ieiunantibus, non peccant saltem mortaliter. Ratio est; quia excusantur à notabili detrimento vendendi res suas: tùm quia, & si denegaret ipse cibos illis, non tamen ieiunium seruarent; sed frangerent apud alios Caupones, & facilè officerent iniurijs, vel contumelijs denegantem cibos. Caietanus 2.2.quæst.147.artic.4. in fine,Ledesma 2.part.quæst.17. art.6.dub.3. Salon 2.2.quæst. 77. artic.4.controuer.6. Sances lib.1. in Decalogum cap.7.n.34.& alij.

Monitum: famuli condientes cibos Dominis non ieiunantibus, non peccant. Ratio est; quia munere suo funguntur, quod alijs diebus facere consueuerunt. Caietanus loco citato, Asorius tom.1.lib.7.cap.31. quæst.11.& tom.2.lib.12.cap.vlt.quæst.5.vbi docent non peccare eum, qui tanquàm seruus, vel famulus Domino, vel amicus amico, aut hospes hospiti suo ministrat mēsæ concubinarum, vel Dominorum in cibo, & potu epulis, neutrique indulgentiam.

COROLARIVM XV.

PEccant mortaliter conferentes munera concubinæ Iudicis, aut rogantis vt pro ipsis apud Iudicem intercedat. Ratio est; quia illi turpem amorem fouent in concubina,& in Iudice. Sances lib.1. in Decalogum cap. 7. num.38. Tandem vniuersaliter loquendo,quando ministrantur indifferentia,quæ futura sunt occasio, vel materia peccati proximi; iudicio prudentis perpendendum est, an adsit aliqua iusta & proportionata causa,quę sufficiat ad excusandum.

DIFFICVLTAS.

Quandonam opus ex se veniale aut indifferens transeat in peccatum mortale ratione periculi peccandi mortaliter.

RESpondeo; opus ex se veniale, aut indifferens, trãsit in mortale ratione dicti periculi, quando operans exponitur occasioni mortaliter peccandi ità proximè, vt illum in morali & proximo periculo peccandi mortaliter, illa occasio constituat. Ratio est; quia ille in tali casu salutem spiritualem contemnit, cum tam probabili periculo eam amittendi, se obijciat. Caietanus & Armilla verbo, *periculum*, Nauarrus cap.3.num.14.

Monitum: moralis occasio proxima, siuè morale periculum proximum peccandi mortaliter, contigit quando occasio ex suo genere talis est; vt frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat in hoc hominem frequenter ex tali occasione peccare mortaliter. Nauarrus loco cit. Corduba in summa quæst. 4. Suarez 4. tom. in tertiam partem disp.32.sess.2.ad finem. Aduerte etiamsi causa grauis vrget se exponere morali proximè occasioni, vel morali proximo periculo peccandi mortaliter tunc non erit peccatum mortale se exponere tali occasioni, vel periculo. Ratio est; quia periculum illud non est moraliter voluntarium, cùm moraliter loquendo, idest sine graui periculo, vel graui casu vitari non possit.

Notantur nonnulla de ignorantia & inarduertentia, siuè obliuione quatenùs excusare possunt actionem humanam à culpa.

MOnemus; ignorantia, quę in communi sumpta, nihil est aliud quàm priuatio sciētiæ, ad quam acquirendam homo est aptus, plures diuisiones assignari possunt: nos tamen eas solùm afferemus, quæ ad rem moralem faciunt.

Primò autem ignorantia diuiditur in ignorantiam Iuris, & ignorantiam facti. Ignorantia iuris est, quando Ius siuè lex, vel prohibitio ignoratur, vt si quis ignoret esse prohibitū accedere ad fœminā non suam vxorem v.g. ignorātia facti est, quando non

ipsum

ipsum Ius, sed factum ignoratur; vt si quis ignoret fœminam ad quam accedit, non esse suam.

Secundò, tam ignorantia Iuris, quàm ignorantia facti, est triplex; alia dicitur inuincibilis, antecedens, inculpabilis, iusta, inuoluntaria naturalis. Alia denique dicitur ignorantia concomitans.

Ignorantia inuincibilis est, quę inculpabiliter cognitione malitiæ actus, qua cognita talis actus, non fieret, vt si quis sagittam proijciat in hominem, quem prudenter & adhibita diligentia feram putat; & in quem, si eum nouisset, sagittam non proijceret: hæc autem ignorantia dicitur inuincibilis, quia moraliter non potest, aut non debet vinci, seu excludi.

Dicitur antecedens; quia pręuenit & impedit libertatem voluntatis circa malitiam actus.

Dicitur probabilis, iusta & inculpabilis; quia bona fide & absque culpa contracta est.

Dicitur naturalis; vt significetur eam nullo modo esse voluntariam.

Aduertè rursum; ignorantia vincibilis est, quam moraliter humana voluntas potest vincere, nec tamen vincit; vt si quis hominem (putans eum esse feram) interficiat, non præmissa diligentia, an sit homo vel fera: hæc autem ignorantia dicitur consequens, eo quòd sequatur voluntatis libertatem, siue volita sit, vt cum quis directè non vult scire, quod scire tenetur, siuè indirectè sit volita; vt cùm quis potuit, & debuit scire, nec tamen adhibuit diligentiam, vt sciret.

Aduerte denique ignorantia concomitans est, quæ actum comitatur, ità tamen vt illius non sit causa, eo quòd si eadem ignorantia non esset, adhuc actus fieret; vt si quis hominem, putans eum esse feram, sagitta interficiat, quem interfecisset etiã si nouisset eum esse hominem. Quàmuis autem hæc ignorantia dicatur concomitans, eo quòd sit simul cum tali actu, cuius non est causa: tamen secundũ diuersas rationes potest dici antecedens, vel consequens; potest dici antecedens, si fuerit inculpabilis, eò quòd præmissa sit sufficiens diligentia, vt si quis interficiat hominem putans esse feram, etiam post sufficientem adhibitam diligentiam: potest etiam dici consequens; si nimirùm sit culpabilis consequens actum liberum voluntatis.

Tertiò ignorantia vincibilis diuiditur in ignorantiam, in qua

est negligentia grauis & suffi-ciens ad mortale; & ignorantiam, in qua est negligentia leuis, & insufficiens ad peccatum mortale, sufficiens tamen ad veniale.

Quartò ignorantia vincibilis, alia est affectata, alia non affectata ignorantia; affectata est, cùm quis data opera vel expressè ignorare vult, ne ab actu quē exequi optat, retrahatur per scientiam: ignorantia autem non affectata est, cùm quis non elegit positiuè ignorare, sed tamen culpabiliter ignorat.

Quintò & vltimò; ignorantia inuincibilis non affectata, alia est solùm mortaliter culpabilis, alia autem est crassa, siuè supina; ignorantia solùm mortaliter culpabilis est, quando non fuit summa negligentia, sed ignorans adhibuit aliquam diligentiam, non tamen mediocrem, humano vel morali modo possibilem, vel pro qualitate negotij necessariā ad vitandum peccatum mortale: ignorantia verò crassa siuè supina est, quando si quis vllam, aut ferè nullam adhibuit diligentiam ad sciendum; ac proindè fuit summa negligentia. Dicitur autem hæc ignorantia crassa, & supina ducta methapora ab hominibus crassis, & pinguibus, qui supini iacere solent nil curantes scientiam, aut negotium.

Priores diuisiones ignorantiæ communiter reperiuntur apud Doctores; postremam expressè tradit Sances lib.1. in Decalogum cap.16.num.7.

His adnotatis circa ignorantiam; nonnulla iam aduertenda sunt circa inaduertentiam, & obliuionem.

Monitum: inconsideratio, siue inaduertentia, vel obliuio est, quando quis retinet quidem habitualem memoriam alicuius rei: sed hìc, & nunc ad illam non aduertit; hæc autem inaduertentia, siuè obliuio quantùm ad rem nostram spectat. Primò alia est juris, alia facti.

Inaduertentia juris est, cùm quis nouit habitualiter aliquid esse prohibitum; sed tamen hic, & nunc ad illam prohibitionem non aduertit; vt si quis nouit habitualiter prohibitum esse comedere carnes die Veneris, & tamen die Veneris comedens carnes non aduertit ad illam prohibitionem.

Inaduertentia facti est, quando quis nouit & aduertit aliquid esse prohibitum: sed hìc & nunc non aduertit, an sua operatio comprehendatur illa prohibitione; vt siquis nouit, & aduertit

esse prohibitum comedere carnes die Veneris;& tamen comedit carnes die Veneris, non aduertens illam comestionem fieri die Veneris, sed putans fieri v. g. die Iouis.

Aduerte rursum, inaduertentia, & obliuio tàm juris, quàm facti est duplex. Alia est inuincibilis & inculpabilis: alia vincibilis & culpabilis.

Inaduertentia inuincibilis & inculpabilis est, cùm quis aliàs nouit actum, vel obiectum esse malum: sed hic & nunc inculpabiliter non aduertit ad malitiam actus vel obiecti, hæc inaduertentia potest etiam appellari antecedens, iusta, inuoluntaria, naturalis; & quidem ijsdem de causis, quibus eadem nomina ignorantiæ inuincibili tribui diximus suprà.

Inaduertentia vincibilis & culpabilis est,cùm quis aliàs nouit actum vel obiectum esse malum: sed hìc & nunc non aduertit ad eius malitiam, ad cuius tamen malitiam posset aduertere si vellet; hæc inaduertentia potest etiam appellari per consequens, improbabilis, iniusta & voluntaria.

Monitum: omnes diuisiones de ignorantia supradictæ possunt applicari etiam inaduertentiæ & obliuioni. Assorius tom. 1. lib. 1. cap. 16. quæst. 6. Suares 5. tom. in tertiam partem disp. 4. sess. 8. num. 1.

DIFFICVLTAS.

An ignorantia & inaduertentia, vel obliuio inuincibilis, siuè juris, siuè facti excuset omninò à culpa actum, cuius est causa, siuè, qui non fieret illa ignorantia ablata.

RESpondeo, talis ignorantia & inaduertentia omninò excusat actum ab illo malitia vel culpa, cuius est ignorantia vel inaduertentia. Ratio est, quia talis ignorantia & inaduertentia cùm sit non solùm facti; sed etiã juris, vel prohibitionis, reddit actum inuoluntarium ad prohibitionem, & consequenter quo ad malitiam. Aduerte tamen, plurimi rustici furantes, vel fornicantes non excusantur à peccato mortali; quàmuis ignorent talem actionem esse peccatum mortale. Ratio est,quia si sciunt esse peccatum,licèt ignorent esse peccatum mortale faciendi illud,de quo dubitant, an sit mortale, exponunt se periculo peccandi mortaliter; ac proindè reipsà mortaliter peccant: si tamen

men per ignorantiam inuincibilem putarent esse veniale, quod verè est mortale; excusarentur à peccato mortali, quia inuincibiliter ignoraretur malitia mortalis.

Ex dictis infertur etiam ignorantiam concomitantem inuincibilem malitiæ & peccati excusare à peccato; ac proindè si quis inimicum suum occidat, putans inuincibiliter eum esse feram, non peccat: etiam si habitualiter sit ità dispositus, vt cum esset necaturus, si agnosceret eum esse inimicum. Ratio est; quia cùm per huiusmodi ignorantiã, malitiæ peccati ignoretur inuincibiliter, sequitur eandem malitiam nullo modo esse voluntariam. Assorius tom. 1. lib. 1. qu. 4. Valentia primæ secundæ disp. 6. quæst. 6. puncto 3. Sances lib. 1. & alij apud ipsum. Est tamen contra Durandum in 2. dist. 22. quæst. 4. num. 5. Aduerte tamen, si affectus occidendi inimicum coniunctus cum prædicta ignorantia, non sit habitualis tantùm, sed actualis; erit peccatum mortale, v. g. si ille qui occidit inimicum putans esse feram, simul habeat actualem affectum, quo vellet occidere inimicum, si posset, vel cum haberet prçsentẽ.

Petes, an inuincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actũ externũ ab illo procedente esse peccatum, excusetur à peccato; v. g. an peccet rusticus, qui à Viro æstimato docto, à quo audit fornicationem & furtum esse peccata: licere tamen desiderium fornicandi & furandi; an peccet (inquam) si eliciat actum talis desiderij.

Respondeo actum illum internum, siuè desiderium ratione illius ignorantiæ inuincibilis in dicto rustico excusatur à peccato. Ratio est, quia cùm conscientia sit propria regula bonitatis & malitiæ humanarum actionum, nemo peccare potest, cùm conscientia dictat id, quod agit non esse peccatum, vt contingit in casu proposito: siquidẽ inuincibiliter ignorat actum illum internum carere malitia peccati. Sances lib. 1. cap. 16. nu. 17. est tamen probabile etiam contrarium, nimirùm quòd ille peccet; quia liberè vult obiectum externum, quod nouit esse peccatum. Hinc infertur, quòd si quis inuincibiliter ignoret esse peccatum operari, quando etiam practicè dubium est; an talis operatio sit peccatum, is non peccat: v. g. si rusticus dubitet, an die Veneris liceat comodere

ca-

caseum, & cum hoc dubio practico caseum comedat, verè non peccat; si tamen inuincibiliter ignoret, operari cum illo dubio esse peccatum. Ratio est, quia ob illam ignorantiam inuincibilem prudenter operatur; nec moraliter se exponit periculo peccandi, aut faciendi contra præceptum.

Secundò infertur, si quis sciat aliquam actionem esse peccatum mortale, & inuincibiliter ignoret, imperare illam alicui, v. g. seruo, aut subdito; non peccat, si illam imperet. Ratio est eadem.

DIFFICVLTAS.

Quando ignorantia & inaduertentia, vel obliuio siuè juris, siuè facti reputetur inuincibilis; & ideò à peccato excuset.

RESpondeo, vt ignorantia aut inaduertentia, siuè obliuio siuè juris, siuè facti censeatur, & sit inuincibilis, sufficit; si nulla occurrat cogitatio vel dubitatio, aut scrupulus de malitia operationis, vel obiecti, siuè in specie, siuè in genere accepta, vel de eiusdem malitiæ periculo. Ratio est, quia non potest per humanam diligentiam expelli ignorantia, vel inaduertentia malitiæ operationis aut obiecti, cuius malitiæ nulla prorsùs incidat cogitatio; cùm omnis vsus nostræ libertatis circa aliquam rem nitatur, tanquàm radici præcedenti cognitioni talis rei. Suares tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 8. num. 18. Sances lib. 1. cap. 16. nu. 21. vbi pluribus hìc confirmat, Vasquez 1. 2. disp. 107. cap. 3. vbi docet Doctores Complutenses initio de hac materia dubitasse, & re maturiùs perpensa, illam publicè docuisse.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

HInc habes primò nullum esse peccatum mortale in voluntate, nisi præcesserit aliqua cogitatio, vel consideratio actualis siuè expressa malitiæ moralis, vel periculi illius, aut saltem aliqua expressa dubitatio, vel scrupulus de eadem malitia; ac proindè vt quis peccet mortaliter, debet considerare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse malitiæ periculum, vel saltem debet habere de hac re dubium, aut scrupulum; quòd si nec expressa cogitatio nec dubitatio, nec

nec scrupulus malitiæ, vel illius periculi præcessit ignorantia, & inaduertentia, siuè obliuio; censetur inuincibilis, & excusat à peccato.

COROLARIVM II.

VT ignorantia, vel inaduertentia, aut obliuio sit inuincibilis, vel culpabilis; non sufficit cognitio virtualis, aut interpretatiua:ità vt quotiès quis scire vel aduertere tenebatur, si ignoret vel nō aduertat; sit ignorantia, aut inaduertentia culpabilis, siuè non excusans à peccato. Probatur ratione, qua suprà. Est contra Angelum verbo, *excommunicatio*, casu vlt. num. 3. Nauarrum prælud. 1. num. 17. & cap. 25. Valentiam 1. 2. disput. 2. quæst. 1. punct. 6. Assorius tom. 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 5. & alios.

COROLARIVM III.

INfertur Confessarium satisfacere muneri suo, si à pœnitente confitente se per ignorantiam, vel inaduertentiam, aut obliuionem omisisse ieiunium v.g. vigiliæ interroget, an menti ipsius occurrerit aliqua cogitatio, vel dubitatio de tali ieiunio; & si pœnitens respondeat non venisse in mentem, tunc Confessarius prudenter iudicabit eum non peccasse ratione inaduertentiæ inuincibilis: similiter in omissione impletionis cuiuscunque præcepti videndum est, an aliqua cogitatio de præcepto huiusmodi venerit operanti in mentem in eo tempore, quo præceptum implendum erat; si enim non venit, dicendum est ignorantiam vel inaduertentiam fuisse inuincibilem, secus autem si venit.

COROLARIVM IV.

NON peccauit mortaliter, qui proiecit lapidem per fenestram in plateam, in quam multi concurrunt; si nimirùm non aduertit periculum, nec de illo habuit aliquod dubium vel scrupulum: ac proindè proiectio lapidis in tali casu, licèt fuerit causa mortis alicuius; non tamen fuit temeraria formaliter, sed tantùm materialiter, & per consequens non fuit peccatum.

COROLARIVM V.

CVm jura & Doctores dicunt, æquiparari scire, & debere scire; aduertere, & debere aduertere: Hæc intelligen-

da

da sunt, quando fuit aliqua actualis sufficiens ad peccatum mortale aduertentia. Sances lib. 1.cap.16.num.26.

Oppones: non aduertens, aut ignorans inuincibiliter præceptum, v. g. ieiunij, tenetur scire, vel aduertere ad præceptum, etiamsi nulla ei occurrat ratio dubitandi circa præceptum, ergo peccat frangendum ieiunium. etiam si non aduertat ad præceptum, & per consequens scire, & debere scire æquiparantur. Respondeo ille per se quidem tenetur ad talem scientiam, vel aduertentiam, & ad hoc sufficit, si in homine sit potentia remota sciendi vel aduertendi, idest intellectus; per accidens tamen hic & nunc in talibus circumstantijs non tenetur, sed suspenditur illa obligatio, vel potiùs ille ab obligatione excusatur: eo quòd tunc non est in ipsius pote. state proxima expellere talem ignorantiam; vel non est plenè in ipsius potestate, ità vt ad mortale peccatum sufficiat. Suares 5. tom. in tertiam partem disp.4. sess.8.num.18.

COROLARIVM VI.

INfertur regulam illam juris, ignorantia facti, non juris excusat, intelligendam esse quò ad præsumptionem fori externi; quia juris & legum ignorantia (vtpotè solemniter promulgatarum) minimè præsumitur inuincibilis in foro externo. Assorius tom.1.lib.2.cap.13.quæst.3. Vasquez 1.2.disput.123. cap.2.nu.3.

COROLARIVM VII.

VT ignorantia legum pertinentium ad peculiare alicuius officium, vel statum, siue ad generalem Christiani nominis conditionem sit vincibilis, nec à peccato excuset, debet priùs nosse esse aliquas leges pertinentes ad suum statum vel officium; quòd si hoc non nouit, nec aliquod dubium, aut saltem aliquis scrupulus præcesserit, erit ignorantia inuincibilis, quia moralem & humanam diligentiam superat expellere ignorantiam illius rei, cuius nulla prorsus incidat cogitatio.

COROLARIVM VIII.

AXioma illud Doctorum; ignorantia legum ad statum vel officium alicuius pertinentium, est vincibilis, nec excusat non esse verum; nisi verè intercesserit aliqua aduertentia,

vel dubitatio vel ſcrupulus de legibus pertinentibus ad proprium ſtatum: quàmuis de his faciliùs, quàm de alijs legibus non pertinentibus ad proprium ſtatum incidit cogitatio, vel dubitatio, aut ſcrupulus. Suares tom.1.in tertiam partem diſp.4. ſeſſ.8.num.15.Vaſquez 1.2. diſp. 123.cap.2.

Aduerte autem quando dubitatur; an in viro timoratæ conſcientiæ & habente firmum propoſitum ſiuè actuale, ſiuè habituale non peccandi mortaliter, fuerit ignorantia, vel inaduertentia vincibilis, aut culpabilis; & ideò ambigitur, an peccauerit mortaliter tunc ratione illius bonæ conſcientiæ & firmi propoſiti, præſumendum eſt ignorantiam & inaduertentiam fuiſſe inuincibilem, & ideò illum non peccaſſe mortaliter. Sances lib. 1. cap.16.num.28. Valentia 1.2. diſput.2.quæſt.1.punct.6.

COROLARIVM IX.

Infertur, quòd ſi caſu promulgetur aliqua lex in Templo die feſto, & quis culpabiliter Miſſam omittit, cui ſi intereſſet, legem illam audiret; non peccat operando contra illam legem ex eiuſdem ignorantia, licèt illi ignorantiæ cauſam dederit mortalis omiſſio Sacri. Ratio eſt; quia ignorantia illius legis ex illo peccato mortali procedens, eſt inuincibilis, cùm omittens Miſſam non aduerterit ad obligationem ſciendæ legis, nec dubitatio vlla, aut ſcrupulus illius obligationis occurrerit, vt ſic diligentiam adhiberet. Sairus lib.2. cap.9.num.35.Aſſorius tom.1.lib.1.cap.13.quæſt.2. Vaſquez 1.2. diſp.120.cap.4.nu.10.

COROLARIVM X.

NON poteſt dari ignorantia inuincibilis circa prima iuris principia per ſe nota, qualia ſunt, bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum; quod tibi non vis, alteri nè feceris. Ratio eſt; quia cùm ſit adeò clara & lumine rationis inſitę naturæ, nemo eſt ratione vtens, qui ab eadem ratione nequeat ad illa principia cognoſcenda. Sairus lib.2. cap.9. num.17. Valentia 1. 2.diſp.6. quæſt.6.punct. 1. & alij. Idem dicendum de illis Decalogi præceptis, quæ ex principijs lumine naturæ notis nullo negotio à quouis homine deduci poſſunt, vt Deum eſſe colendum, eſſe honorandos Parentes: Valentia loco citato.

Re-

Reliqua Decalogi præcepta quàmuis sint adeò conformia naturæ, vt non possint simpliciter & nudè accepta ignorari inuiucibiliter; ea tamen accepta cum aliqua circumstantia apparenter excusante, possunt toto vitæ tempore vincibiliter ignorari; ac proindè possunt reperiri homines adeò rudes, qui inuincibiliter ignorent furtum factum ad erogandam eleemosynam, esse peccatum. Immò reperiuntur multi inuincibiliter ignorantes esse peccatum periurium factum ad tuendam vitam propriam vel alienam, aut proprium honorem, & similiter pollutionem esse peccatũ, quod maximè in pueris contingit.

Monitum: Confessor ad discutiendum an hæc ignorantia sit inuincibilis, & à peccato excuset, necnè; discutere debet, an in illorum mentem venerit cogitatio, siuè dubium aliquod, aut saltem scrupulus de harum rerum malitia: si enim nihil horum venerit, censebitur ignorantia inuincibilis, secus autem si venerit. Sances lib. 1. cap. 16. num. 33.

Petes, si quis habeat aliquam notitiam, vel dubium, aut scrupulum circa malitiam obiecti ignoratam, aut non consideratam, qualis diligentia debeat adhiberi ad vincendam illam ignorantiam, vel inconsiderationem, siuè inaduertentiam, vt postea eadem ignorantia, vel inconsideratio, aut inaduertentia siuè juris, siuè facti censeatur manere inuincibilis.

Dico primò vt ignorantia, vel inaduertentia facti in casu proposito censeatur inuincibilis, nulla alia regula tradi solet ac potest, nisi quòd diligentia in tali casu adhibenda, debet esse proportionata personæ & negotio, maior vel minor iuxta ipsorum qualitatem; ac proindè hoc totum relinquendum est prudentis arbitrio. Aduerte tamen si post talem diligentiam adhibitam contingat aliquid præter intentionem, illud censebitur inuincibiliter ignoratum & inuoluntarium, etiam si per maiorem diligentiam illa ignorantia potuisset superari. Ratio est, quia solùm est necessaria illa diligentia, quæ in similibus & circumstantijs communiter à prudentibus adhiberi solet, non autem est necessaria summa & exacta diligentia; quia nimirùm quod summum est, non videtur ità proximè & moraliter possibile, ac proindè moraliter tantùm videtur possibilis & necessaria di-

ligentia, quæ communiter à Viris doctis adhiberi solet in similibus circumstantijs & negotijs. Caietanus 2.2. quæst.64.artic.8. Asorius tom. 1. lib. 1. cap. 16. quæst.6.& alij.

Dico secundò diligentia ab eo, qui sufficientem habuit vim juris ignorantiæ, vel inaduertentiæ aliquam cognitionem, nimirùm aliquam confusam aduertentiam, vel dubitationem, aut scrupulum, vt posteà, ignorantia, vel inaduertentia censeatur inuincibilis & inculpabilis, debet esse proportionata qualitati iuris, officij & personæ, ac propterea in hac re standum est prudentis arbitrio; si enim huiusmodi diligentia adhibita sit, ignorantia, & inaduertentia erit inuincibilis; secus autem si talis diligentia adhibita non sit. Suares tom.5. in 3.partem disput.4. session.8. num.16. & 17.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

PRimò infertur virum doctũ adhibere sufficientem diligentiam ad superandam ignorantiam rei, de qua habuit aliquam cognitionem, vel dubitationem, aut scrupulum; si consulat de ea re Viros doctos, & probos, idest qui moraliter, nec ex malitia vel negligentia, nec ex ignorantia decepturi præsumantur. Suares loco citato num.18. Vasquez etiam loco citato.

COROLARIVM II.

INfertur rusticum sufficientem adhibere diligentiam & excusari, si Parochum consulat; quem tamen consulendi, alter homo, sæpè non excusabitur. Sances lib.1.cap.16.nu.36.

COROLARIVM III.

DIcitur excusari ignorantẽ, si ieiunia vel festa, quæ in ea hebdomada occurrunt, & ob id non seruat, si die Dominico interfuit Missæ, in qua Parochus ea consueuit publicare, nec tamen publicauit. Ratio est, quia adhibuit moralem diligentiam communiter adhiberi solitam ad eam rem sciendam. Asorius tom.1.lib.1.cap.12.quæst.1. Sances loco citato num. 37. & alij apud ipsum. Idem dicendum, si non interfuit Missæ; sed rogauit eos, qui interfuerunt, vt sciret. Aduerte rursùm, si non interfuit

fuit Missæ, nec alios interrogauit, nec illa per se nouit, censebitur ignorantia vincibilis & culpabilis: si tamen habuit aliquam cogitationem, vel dubitationem, an aliqua festa, aut ieiunia in illa hebdomada occurrant; quòd si ad hæc non aduertit, ignorantia censenda erit inuincibilis. Sances ibidem, & alij apud ipsum.

COROLARIVM IV.

INfertur falsam esse illam regulam à nonnullis traditam, nimirùm quotiescunque quis dat operam rei illicitæ, effectum ex ea subsecutum, culpæ imputari, nec censeri inuincibilem ignorantia facti, quantuncùmque diligentia adhibita fuerit. Ratio est; quia res illicita potest in ratione causæ esse omninò ignorata; ita vt nulla circa effectum eius occurrat cogitatio, vel dubitandi ratio: aut si occurrat, potest moralis diligentia adhiberi ad vitandum eundem effectum; ac proindè in talibus casibus ignorantia erit inuincibilis, atque eadem erit ratio, siuè operans det operam rei licitæ, siuè illicitæ, eo quòd effectus in vtroque casu sit æquè inuoluntarius & inuictus. S.Thomas 1.2. quæst.76.artic.3. Syluester *ignorantia* verbo, quæst.6. Caietanus 2.2.quæst.76.artic.8. Suares tom. 5. in tertiam partem disput. 45. sess.6.num.1. & alij. Est contra Gabrielem in 4.dist.15.quęst.14. art.3.dub.2.

Petes, an excuset à peccato ignorantia, quæ vinci nequit, dum in actum prodit, & potuit anteà vinci; v.g. quis sua negligentia mortali non didicit, quod ratione sui officij, vel cōmuni lege Christianorum tenebatur discere. Deindè quando nemo est, à quo instrui possit, per ignorantiam transgreditur præceptū v. g. ieiunij, vel audiendi Sacrum: similiter quando quis sua culpa mortali inebriatur, & ebrius factus committit peccata, quæ defectus vsus rationis non potest vitare; difficultas est, an hæc peccata ratione impotentiæ, aut ignorantiæ excusentur.

Dico primò; & si euentus huiusmodi soleant esse frequentes ei, qui inebriatur: si tamen tempore quo inebriari voluit, non habuit prorsus dubitationem, aut cogitationem de illis, nec in specie, nec in genere, non imputantur culpæ. Ratio est; quia procedunt ex inaduertentia naturali & inuincibili, ac proindè nec in se, nec in sua causa sunt

vo-

voluntarij vel liberi. Vasquez 1.2.disp.127. cap.3. & 4. Sances lib.1.cap.16. num.42. Est contra Caietanum verbo *ebrietas*, & Syluestrum eodem verbo qu. 4.

Dico secundò: si quis inebriari velit & in singulari, vel in vniuersum aduertat peccata, vel pericula indè consurgentia; tunc imputabuntur culpæ, si non adhibeat prudentem & cautam diligentiam, ne quid illorum eueniat. Quòd si huiusmodi diligentia adhibita, posteà eueniant, non imputabuntur culpæ: immò nec imputabuntur quando iuxta temporis & loci circumstantias, nullum apparet illorum periculum; & ideò nulla diligentia adhibita est ad illa cauenda. Vasquez loco citato nu. 8.9. & 10.

Monitum: Plurima ebriorum dicta, vel facta ex se mala non reputantur culpabilia, & si præuideantur. Ratio est; quia nullum damnum inferunt, & carent malitiá; eo quòd facta sint absque vsu rationis; huiusmodi sunt verba vel facta contumeliosa, quæ tempore ebrietatis communi hominum æstimatione non reputantur contumeliosa, sed tanquàm facetiæ admittuntur: illa tamen quæ proximo damnum inferunt, imputantur culpæ, si præuideantur. Ratio est; quia non minùs lædunt tempore ebrietatis, quàm tempore sanæ mentis facta. Sairus lib.2. cap.9.num.42. Vasquez loco suprà citato cap.3.num.11.& apud eum Maior.

DIFFICVLTAS.

Quid dicendum sit de præuisis blasphemijs, & iniurijs secuturis ex ebrietate?

RESpondeo, hæc imputari culpæ, quia licet in se non sint voluntariæ; sunt tamen voluntariæ, nec eas Deus acceptat vt facetias. Caietanus 2.2. quæst.13.artic.4. dub.2. Toletus lib.7.cap.6. num.5. Sances lib.1. cap.16. num. 44. est contra Sairum, Vasquez, & Maiorem locis citatis.

Petes; quid dicendum sit de fornicatione præuisa ante somnum, vel ebrietatem, & in somno secutura vel ebrietate.

Respondeo primò, fornicationem in tali casu imputari culpæ, quia est in prolis damnum; ac proindè cauenda est, sicut dicicitur de secuturis peccatis in damnum tertij. Sances loco citato, ex parte est contra Vasquez affirmantem imputari culpæ si con-

contingat in ebrietate, non autem si contingat in somno.

Quid sentiendum de pollutione præuisa ante ebrietatem, vt secutura in ebrietate?

Dico primò: si pollutio ex nimio illo potu vini præuideatur secutura absque ebrij intentione non imputatur culpæ mortali; quia pollutio præuisa in causa, non autem intenta, quæ ex sola gula mortali prouenit, non est peccatum mortale.

Dico secundò: si pollutio prçuideatur secutura ex eo, quòd ebrius tactibus, aut alijs rebus inhonestis se prouocaturus sit ad talem pollutionem; talis pollutio præuisa imputatur culpæ mortali. Sances loco suprà citato.

Petes; an hæc peccata dicenda sint in se peccata, an solùm in sua causa?

Respondeo operationem, vel omissionem, quantùmuis ex se malam, si contingant in somno vel ebrietate non esse peccata in se; licèt fuerint præuisa, nec constituere vnum peccatum cum præcedente voluntate peccaminosa eligente causam illorum, nempè somnum vel ebrietatem. Ratio est; quia tamdiù actus externus est capax malitiæ moralis existentis in voluntate interiori mala, & potest constituere vnum peccatum cum illa, quandiù liber: at actus in somno, vel ebrietate contingentes, & quando vitari iam nequeunt, non sunt liberi; ac proindè non erunt capaces malitiæ, nec peccata: sed tantùm effectus peccati præcedentis, sicuti mors consequens, sed peccati effectus; quàmuis voluntas mala prior non sit interrupta per pœnitentiam, siuè per contrariam voluntatem. Vasquez 1. 2. disp. 64. cap. 2. & 3. Assorius tom. 1. lib. 1. cap. 7. quęst. vnica, Suares tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 8. num. 5. est contra alios, quorum aliqui volunt illa esse peccata in se; licèt voluntas præcedens, fuerit retractata per pœnitentiam; alij volunt non esse peccata, nisi quando eadem voluntas non fuerit reuocata, vel non pœnituerit. Horum etiam opinio iudicatur probabilis.

COROLARIVM.

NON est necessarium exprimere in Confessione ea peccata contingentia in somno vel ebrietate, aut in alio statu & circumstantijs in quibus vitari nequeunt: sed satis est exprimere causam illis peccatis da-

datam, non apponendo diligentiam ad illa impedienda, quando præuisa fuerunt; quando autem opus externum, est in se peccatum, eo quòd liberè semper maneat in nostra potestate, tunc non est satis actum internum voluntatis confiteri: sed etiam actus externus manifestandus est. Sances lib.1.cap.16.nu. 46. & alij apud ipsum.

Aduerte tamen, peccata illa ante ebrietatem, vel somnum, vel quando vitari poterant præuisa, sufficiunt ad inducendum irregularitatem & excommunicationem, perindè ac si in vigilia contigisent; etiam si voluntas, quæ dedit illis causam, fuerit per pœnitentiam interrupta. Ratio est; quia ad illa incurrenda (scilicet excommunicationem) satis est liberè peccato causam dedisse, & effectum esse subsecutum. Asorius & Vasquez locis suprà citatis, Sances etiam loco citato numer.47. Item nota hoc deficit solùm in peccatis oris, ac proindè excommunicatio lata in periurium, v.g. non incuritur periurio volito in sola causa, nempè in ebrietate vel vsu iurandi inaduertenter. Ratio est, quia reuerà illa non sunt in se peccata; & culpæ, quæ fuit in causa, non fuit imposita censura, vel irregularitas. Sances loco citato, Suares tom. 2. De Religione lib.3.de iuramento cap.8.num.6.vbi docet huiusmodi periurium non comprehẽdi præseruatione periurij, sed tantùm comprehendi periurium, quod in se est volitum.

Notantur nonnulla de metu graui damni, & de eiusdem excusatione à transgressione præceptorum.

SVpponimus metum esse duplicem: alter dicitur cadens in constantem virum, qui metus appellatur probabilis & grauis; hic autem metus est, cùm timetur aliquod malum graue, & timens non leuiter & vanè, sed probabiliter & rationabiliter credit illud sibi imminere: Alter metus dicitur cadens in virum inconstantem, qui etiam dicitur leuis, iniustus, improbabilis ac vanus. Fieri autem potest, vt metus qui respectu vnius hominis est cadens in virum constantem, non sit talis respectu alterius, qui fortior, aut iunior altero non ità timidus: aliquis enim metus potest esse grauis respectu fœminæ v.g. qui respectu viri non erit ità. Gregorius de Valentia &c.

Item

Item monemus metum esse duplicem, quidam incutitur ab intrinseco, vel à causis naturalibus, vt á morbo, tempestate, feris vel bestijs; dicitur autem ab intrinseco, quia non incutitur à causis extrinsecis siuè extrinsecis. Alter metus dicitur esse ab extrinsecis, ideſt à causa libera extrinseca, vt cùm quis minatur alicui mortem, vel aliquod malum graue.

Aduerte etiam, quòd metus ab extinseco proueniens est duplex; quidam est impulsus gratia extorquendi voti, v.g. *Sarà uno che hauerà un fratello, si vuol fare Religioso; s'esce dalla Religione, l'altro gli minaccia la morte.* Alter verò ob aliam causam est impulsus, vt cùm quis minatur malum, quod iustè inferri potest, vt iustam occasionem delicti.

Monitum: Certùm est apud omnes transgressionem præcepti prohibentis rem intrinsecè malam, ob nullum mortis periculum posse esse licitam; ac proindè nullus metus potest reddere licitum mendacium, aut licitam fornicationem. Ratio est, quia impossibile est rem intrinsecè malam in aliquo casu esse licitam. Certum est etiam, quando periculum mortis intrinsecè coniungitur cum legis præseruantia; ideſt quando Superior propter maius bonum commune imponit legem vel præceptum, cuius obseruationem vult esse coniunctam cum periculo mortis: certum est (inquam) talem legem vel præceptum obligare cum vitæ periculo, vt si Episcopus Parochis præcipiat tempore pestis adesse, nè fideles morientes careant Sacramentis, vel Dux militibus imperet, vt occurrant hostibus inuadentibus: Ratio est, quia tota Communitas,& illius Rector potest singulas eius partes periculo exponere; si nimirùm id postulet bonum commune. Caietanus 1.2.quæst. 96.artic.4.Valentia 1.2.disput.7. quæst.5.punct.6.Assorius tom.1. lib.1. cap.11. quæst.1. Suarez 5. tom. in tertiam partem disput.6. sess.3.& alij.

DIFFICVLTAS.

An lex, vel præceptum humanum, cuius obseruantia per accidens coniungitur cum periculo mortis, obliget in tali casu, & cum illo periculo mortis.

RESpondeo non obligare cum tali periculo. Ratio est, quia lex humana non censetur

letur procedere cum tanta seueritate, vt obliget etiam ad subeundum periculum mortis coniunctum cum ipsa legis obseruantia. Ità Auctores supracitati, Item Scotus in 4. distinct.22. quæst.1.artic.4.Henriquez lib.3. cap.21. num.2. Sances lib.1.cap. 18. num.4. & alij apud ipsum. Aduerte, multæ aliæ etiam sunt leges, siuè præcepta Iuris Diuini positiui & naturalis, quæ non obligant cum periculo mortis: integritas enim Confessionis est de Iure Diuino positiuo restituere alienum, votum implere, conferre eleemosynam in extrema necessitate existenti, sunt de Iure Diuino naturali, & tamen non obligant cum periculo vitæ. Ità expresè Afforius cap.11. citato quæst.2.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

SI quis alicui mortem minatur, nisi frangat præceptum de ieiunio, vel de Missa audienda, vel de non faciendo opus seruile in die festo; is non peccat transgrediendo huiusmodi præcepta, dummodò minans mortem non intendat transgressionem eorundem præceptorum in contemptum religionis, vel fidei.

COROLARIVM II.

PRæceptum de suscipiendo Baptismi Sacramento vel Confessionis, non obligat adultum cum discrimine vitæ ad ea suscipienda. Ratio est, quia adultus potest sibi per contritionem consulere, nec tenetur cum illo periculo media tutiora quærere, donec possit absque huiusmodi timore illa recipere; quia cùm non sit intrinsecè malum huiusmodi Sacramenta non recipere in aliquo casu, vt in prædicto, potest esse licitum. Scotus de Iustitia lib.1.quæst.6. art.4. Corduba in summa quæst.137. dicto 4.Aragonius 2.2.quæst.6.artic.3. in primo dubio, est contra Afforium tom.1. lib. 1. cap. 11. quæst.2.

COROLARIVM III.

AD tuendam vitam licèt vesci carnibus humanis. Ratio est, quia hoc non est intrinsecè malum, ac proindè non est, cur in casu necessitatis extremæ non liceat. Caietanus 2.2.quæst. 148.artic.2. ad finem, Nauarrus cap.23. num. 122. Emanuel Sà

verbo, *comedere*, num.1. Toletus lib.8.cap.60.num.3.est contra Assorium tom.1. lib.7. cap. 33. quæst. 4. Valentia 2.2.disput.9. quæst.3. puncto 1. dicentes nunquàm esse licitum comedere carnes humanas.

Monitum: Et si constitutus in extrema necessitate possit comedere carnes humanas, non tamen tenetur eas comedere, etiam si aliàs sit moriendum. Ratio est, quia sicut nemo ad tuendam vitam tenetur pati cruris abscisionem ob grauissimos dolores indè prouenientes; ità nec gratia tuendæ propriæ vitæ tenetur comedere carnes humanas, quod est naturæ adeò horrendum. Sances lib.1.cad.18.num.14.

COROLARIVM IV.

SI quis minetur mortem alicui in odium, vel contemptum præcepti aut religionis Christianæ, nisi id præceptum transgrediatur; tunc potiùs moriendum est, quàm transgrediendum præceptum siuè Diuinum, siuè humanum. Ratio est, tùm quia ad hoc obligat præceptum Diuinum de tuenda Religionis existimatione, & repellendo ipsius contemptu. Tum quia contrarium esset negare fidem aut vilipendere auctoritatem præcipientem.

Notantur aliqua de nonnullis alijs excusantibus à peccato, vel ab obligatione seruandi præcepta: sit.

DIFFICVLTAS.

An impotentia implendi totum præceptum excuset etiam ab obligatione implendi partem.

PRo solutione, moneo præcepta esse duplicis generis. Aliud enim præceptum est de re moraliter indiuisibili: aliud verò de re moraliter diuisibili. Præceptum de re moraliter indiuisibili est illud, quo præcipitur aliqua res, quæ non potest diuidi in plures partes, quæ moraliter & in communi æstimatione faciant vnam tantùm rem præceptam: tale est præceptum de ieiunio vnius diei, præceptum de audiendo Sacro vno die festo; simile est etiam præceptum de recitando Officio, si illud præceptum consideres respectu vnius horæ Canonicæ, v. g. respectu Matutini, aut respectu Primæ. Simile est etiam præceptum, siuè

obligatio implendi votum, quo quis promiſit recitaturum ſemel Pſalmos Pœnitentiales, vel tertiam partem Roſarij, aut certum numerum precum ob vnum certum myſterium, vt quinquiès orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam in memoria quinque vulnerum Chriſti.

Præceptum de re moraliter diuiſibili, eſt de re diuiſibili in plures partes, quæ moraliter vel in communi æſtimatione ſunt plures res præceptę. Tale eſt præceptum de recitando Diuino Officio abſolutè, præceptum de ieiunio ſeruando quadrageſimali; ſiquidem & Officium Diuinum eſt diuiſibile in plures partes; ideſt in plures horas Canonicas, quæ in communi æſtimatione ſunt plures res præceptæ: & ieiunium quadrageſimale diuiditur in plura Diuina ieiunia, quorum ſingula moraliter, & in communi æſtimatione ſunt vna res præcepta, & omnia ſimul ſumpta cenſentur plures præceptæ. Simile eſt etiam votum recitandi Roſarium, quod diuiditur in tres circulos virgineos, quorum ſinguli cenſentur vna res: ſimile eſt votum ieiunandi per tres dies in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis; illi enim tres ieiunij dies ſecundum communem æſtimationem, ſunt tria diſtincta: ſimilis eſt obligatio abſtinendi à carne die Veneris; & ideò quotiès quis vno & eodem die Dominico facit opera ſeruilia, vel die Veneris comedit carnes, totiès peccat mortaliter. Hinc ſit.

DOCVMENTVM I.

Quando præceptum eſt de re moraliter indiuiſibili, tunc qui non poteſt facere totum, quo cenſeatur integrè moraliter implere præceptum, nec tenetur ad partem.

RAtio eſt, quia præceptum de re moraliter indiuiſibili, commodè non poteſt diuidi; ac proindè nec impletio diuidi poteſt: & ità vel illi toti, vel nulli eius parti ſatisfacere tenetur; ergo vbi quis non poteſt toti præcepto ſatisfacere, nec tenetur ſatisfacere parti. Sancès lib. 1. in Decalogum cap. 19. num. 5.

Monitum: Dixi in documento quando non poteſt implere id, quod moraliter cenſeatur implere præceptum integrè; quia ſi quis poſſit implere id, quo moraliter integrè cenſeatur implere præceptum, licèt non poſſit aliquam partem modicam

(quæ

(quæ scienter & liberè posset esse absque peccato mortali, omittit) tunc temporis ad illud tenetur, v. g. si quis possit recitare Primam, licèt non possit recitare vltimam orationem, vt dirigere, satisfacere,&c.& Capitulum, adhuc teneretur ad illam recitandam.

COROLARIA.

COROLARIUM I.

SI quis posset ieiunare vsque ad meridiem, v. g. vel ad certam diei horam, non vltra; nulla ratione teneretur ea die ieiunare.

COROLARIVM II.

SI quis vouit tertiam partem Rosarij, seu circuli virginei, vel Psalmos Pœnitentiales pro vna vice, nec possit totum recitare, nihil tenetur; & sic discurrendum de alijs præceptis, & alijs obligationibus de re moraliter indiuisibili.

COROLARIVM III.

SI quis non possit die festo Missæ interesse vsque ad consecrationem, is non tenetur ad eam partem audiendam. Aduerte tamen, licèt quis non possit audire totam Missam; sed tantùm eam Missæ partem, quæ Præfationem subsequitur, non potest licitè illam partem omittere. Ratio est, quia illa Missæ pars, quæ à consecratione vsque ad consumptionem sacrificij protenditur, est maximè necessaria, & per se primò intenta à præcipiente audiendæ Missæ, cùm in illa Missæ parte substantia sacrificij consistat: reliqua verò sint accidentariò annexa ad Missæ perfectionem, maioremquè solemnitatem. Suarius tom. 3. in tertiam partem disp.88.sess.2. Sances loco suprà citato.

COROLARIVM IV.

SI recitandum esset Matutinum nouem Lectionum, & quis defectu Breuiarij, v. g. non posset recitare Lectiones, nec Responsoria; is nec Psalmos, nec reliqua teneretur recitare, licèt eos memoria retineret. Ratio est, quia nouem Lectiones & octo Responsoria omittenda, sunt notabilis pars Matutini, qua omissa non satisfacit integrè moraliter præcepto, & ideò præceptum

ptum de recitando Matutinum ad nihil obligat in tali casu. Sances lib. 1. cap. 19. num. 18. videtur esse contra Nauarrum in capitulo, *quando de consecratione* distinct. 1. cap. 11. num. 16.

Aduerte tamen, si recitandum esset Matutinum feriæ, vel alicuius Sancti simplicis; si quis possit recitare Psalmos, tenetur eos recitare, licèt defectu Breuiarij, v. g. non possit recitare tres Lectiones, ac Responsoria (vt tria, vel duo.) Ratio est, quia Lectiones & Responsoria requisita ad integritatem talis Matutini, sunt materia parua, siue leuis; ac proindè recitando reliquas partes illius eiusdem Matutini potest integrè moraliter satisfieri præcepto de eo recitando. Sances in loco iam citato.



DOCVMENTVM II.

Quando præceptum est de re moraliter diuisibili, nimirùm in plures partes, quarum singulæ in morali & communi æstimatione sunt plures res integræ; tunc, si pars præcepta, quam quis potest implere, sit certa, ad eam implendam tenetur, v. g. si defectu Breuiarij *non possit quis recitare totum Officium: tunc tenetur ad recitandam quamcunque horam, quam possit recitare.*

Ratio est, quia cùm obligatio talis præcepti sit moraliter diuisibilis, & constat commodè posse impleri aliquam partem certam, quæ habet rationem vnius rei moraliter integræ præceptæ; non est cur ab ea implenda quis excusatur, cùm id possit fieri absque perplexitate & scrupulis. Sances lib. 1. cap. 19. num. 9.

DOCVMENTVM III.

Si quis non possit implere totum præceptum de re moraliter diuisibili, sed tantùm eius partem, quæ non sit certa, tunc seruanda est hæc regula.

REGVLA.

MAior pars trahit ad se minorem, atque ità impotens ad maiorem partem, excusatur etiam à minori, ad quam fortassè est potens: econtrà verò potens ad maiorem partem tenetur ad illam, non tamen tenetur ad minorem partem, ad quam est impotens. Constat, quia conforme est Iuri vt maior pars trahat ad se minorem. Ratio est, quia cùm in tali casu pars, ad quam est potentia, non sit certa; non potest commodè diuidi obligatio, quin multi existant scrupuli & perplexitates in dignoscenda quantitate, siuè parte ad quam est potentia: cessabunt autem scrupuli & perplexitates, si talis regula seruetur. Nauarrus in capitulo, *quando de consecratione* dist. 1. cap. 11. num. 13. Sances loco citato num. 9.

DIFFICVLTAS.

Quid si quis possit implere partem æqualem præcepti diuisibilis, non autem maiorem?

REspondeo, tunc tenetur ad illam partem æqualem implendam, v.g. si quis vouit ieiunare per duos dies, nec possit nisi vnum ieiunare, ad id tenetur; quia nulla est ratio ob quam excusari possit. Filiarchus de officio Sacerdotis tom. 1. part. 1. lib. 1. cap. 10. num. 1. Sances loco citato.

Aduerte autem quàmuis valetudinarij & infirmi debeant stare iudicio Medici prudentis circa recitationem Officij, & ieiunium quadragesimale: si tamen Medicum non possint consulere, & reipsà constet ipsos non posse recitare maiorem partem Officij, vel ieiunare dimidium Quadragesimæ, crederem in tali casu posse eos vti illa regula, vt maior pars trahat ad se minorem; quia communiter in talibus casibus pars rei diuisibilis præceptæ, quam quis potest implere, non est certa, & ideò nisi tali regula vteretur, scrupuli & perplexitates existerent. Hinc Na-

uarrus

uarrus tom. 1. lib. 10. cap. 13. quæſt. 4. Filiarchus loco ſuprà citato; ſimpliciter docent, ægro, qui non poteſt recitare maiorem partem Officij, ſeruandam eſse eam regulam.

Aduerte rursùm idem dicendum eſt, de his qui ex graui dolore capitis, vel graui dolore oculorum non poſsunt recitare maiorem Officij partem.

DIFFICVLTAS.

Qua ratione, infantia, amentia & infedelitas excuſent à peccato, ſiuè ab obligatione implendi præcepta, vel legem Eccleſiaſticam.

DOCVMENTVM I.

Infantes & pueri ante rationis vſum nulla lege Diuina vel humana obligari poſſunt.

RAtio eſt, quia cùm per ſe ſint in ea ætate incapaces vſus rationis, ſunt etiam incapaces legalis vinculi, quod eſt quoddam præceptum rationale. Paludanus in 4. diſtinct. 15. quæſt.5. artic.1. num. 7. Sotus lib.2.de Iuſtitia quæſtione 3. artic.4.

DOCVMENTVM II.

Amentes pro eo tempore, quo ſunt amentes, excuſantur à tranſgreſſione præceptorum.

RAtio eſt, quia amentia tollit libertatem & deliberationem actionis, ac proindè illum excuſat à quacunque malitia morali. Sances lib.1.cap.12. num.3. Aduerte autem qui ſimpliciter & in omni materia amentes ſunt, pro tempore talis amentiæ excuſantur à tranſgreſſione cuiuſcunque præcepti; qui autem in aliqua ſolùm materia amentes ſunt, & in cæteris fruuntur vſu rationis, non excuſantur à legum obſeruatione in ea materia, in qua ſunt ſui compotes, vt egregiè probat Sances lib.1. de Matrimonio diſp.8.num.23.

DOCVMENTVM III.

Infideles & Cathecumeni nullius Eccleſiæ legibus tenentur, ſed tantùm præceptis & legibus naturalibus.

RAtio eſt, quia ſunt extra Eccleſiæ poteſtatem.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

INfantibus & pueris ante vsū rationis possunt licitè quibusuis diebus porrigi carnes, & lacticinia etiam Sabbato sancto, quia nullis legibus tenentur. Caietanus 2.2. quæst. 147. artic. 8. dub. 1. Assorius tom. 1. lib. 7. cap. 28. quæst. 3. Sances lib. 1. cap. 18. num. 9. doctrina hæc est ex parte contra Toletum lib. 6. cap. 3. num. 4. dicentem esse licitum quocunque die porrigere infantibus lacticinia, non autem carnes. Aduerte etiam, si alicubi non sit consuetudo porrigendi pueris ante vsum rationis tales cibos omnibus diebus (remoto tamen scandalo) poterunt illis porrigi. Ratio est, quia vt diximus, nullis legibus adstringuntur. Sances loc. cit. est contra Cordubam in summa quæst. 60. dicto 4.

COROLARIVM II.

PVeri vsu rationis carentes, possunt Diuinis assistere tempore interdicti sola assistentia humana, & rationalis interdicitur. Pueri autem ante vsum rationis non possunt assistere humano modo, sed tantùm vt bruta. Suarez tom. 5. in 3. partem disput. 34. sess. 1. num. 34.

Petes, quid si dubium sit; an pueri peruenerint ad vsum rationis, nec nè. Respondeo, si tale dubium contingat antequàm illi sint septennes, tunc possunt interesse Sacris tempore interdicti, & possunt illis porrigi lacticinia & carnes quocunque tempore; si autem illud dubium contingat, quando septennes pueri sunt, tunc ea non licebunt. Ratio est, quia cùm vsus rationis communiter accidat septennio completo, non præsumitur in dubio ante id tempus accidisse, secus autem posteà. Sances lib. 1. cap. 12.

COROLARIVM III.

AMentes, & ebrij rationis vsu omninò destituti, possunt tempore interdicti interesse Diuinis officijs; quia non possunt humano modo interesse, sed tantùm vt infantes. Sances loco citato num. 10.

Monitum: Nec infantes, nec amentes tempore interdicti possunt in loco sacro sepeliri; quia locus interdictus nullum corpus potest admittere. Suarez tom.

5. in tertiam partem disp. 35. sess. 1. num. 2. Asorius tom. 1. lib. 7. cap. 28. quæst. 3.

COROLARIVM IV.

LIcitum est cibos vetitos quocumque die ministrare amentibus, nimirùm pro tempore amentiæ, atque hoc verum est, licèt non sint amentes nisi ad tempus, vel in vna sola materia, aut lucidis interuallis. Ratio est, quia si sint perpetuò amentes, non sunt capaces præcepti; ac proindè nec ad aliud seruandum obligantur; si verò non nisi ad tempus, vel in aliqua materia sint amentes, indigent cibis salutaribus, idest carnibus, vel vt curentur, vel ne humor malanchonicus augescẽs, simul augeat amentiam.

Monitum: Ebrijs non possunt cibi vetiti ministrari, ratio est; tum quia ebrietas non indiget talibus cibis, tunc quia ebrietas est breuis priuatio vsus rationis. Sances ibidem.

COROLARIVM V.

INfidelibus & Cathecumenis possunt die ieiunij, & quocumque alio die dari carnes, & alij cibi vetiti; quia nemo ante Baptismum ligatur Ecclesiasticis legibus. Asorius loco citato.

COROLARIVM VI.

INfertur amentes, & per consequens etiam ebrios ità excusari à præcepto audiendi Missam; vt illorum curam gerentes, non teneantur efficere, vt illi Missæ intersint. Ratio est, quia hoc præceptum obligat interesse præsentia humana & rationali, qua illi interesse nequeunt. Nauarrus capite 21. numero 2. Sances libro 1. capite 21. numero 17. Aduerte tamen si quis esset amens in aliqua particulari materia, non pertinente ad Missam; sed circa illam Missam habeat vsum rationis, peccat nisi Missæ intersit.

DIFFICVLTAS.

An esse extra locum proprij domicilij, ipsum peregrinum vel hospitem excuset à legibus & consuetudinibus proprij domicilij, vel illius loci; in quo peregrinus, vel hospes reperitur. Sit.

DO-

DOCVMENTVM I.

Quando quis diuertit ad aliquem locum animo mutandi domicilium, & in illo commorandi; postea non tenetur proprijs & peculiaribus legibus proprij domicilij, quod reliquit, sed tantùm posterioris.

RAtio est, quia efficitur subditus tantùm posterioris loci. Aduerte autem constituto domicilio in aliquo loco, tunc per solam mutationem animi habitandi illic, & recedendi illinc, non desinit obligari legibus illius loci; sed tantùm desinit obligari vnà cum illa mutatione animi reipsà recedit. Ratio est, quia domicilium semel acquisitum non amittitur solo animo recedendi; sed etiam requiritur ipse recessus. Lessius lib.4. cap.2. dubitatione 7. nu.46. Sances lib. 3. de Matrimonio disput. 23. num. 2.

DOCVMENVVM II.

Vagi, qui nullibi habent certam, vel fixam sedem; sed hinc indè vagantur, tenentur omninò legibus, & consuetudinibus solius loci, in quo etiam obiter reperiuntur.

RAtio est, quia cùm nullum peculiare domicilium habeant, domicilium quò ad omnia sortiuntur in loco, in quo reperiuntur. Sotus in 4. dist. 18. quæst.4.art.2. Sances lib. 1. in Decalogum cap.12. num.23. est contra Lessium lib.4. cap.2. dubitatione 7. num. 49. vbi docet idem dicendum esse de vagis, & de peregrinis habentibus alicubi domicilium; ac proindè retenta sententia dicente peregrinos non teneri loci transitus, vel hospitij ad breue tempus, de vagis idem sentiendum esset.

Monitum: Pristinum domicilium deserentes, nauigantes, aut iter facientes, quærentes vbi sedem collocent, siuè nondùm destinauerint, & nondum illuc peruenerint; tenentur legibus ac consuetudinibus loci, in quo reperiuntur. Ratio est eadem. Sances loco citato, & lib.4. de Matrimonio disput. 25. num.1.2.& 3.

DOCVMENTVM III.

Quando quis est extra proprium domicilium, & transit per aliquem locum, in quo sunt eædem leges, siuè consuetudines, quæ sunt in loco proprij domicilij; ille tenetur seruare leges illas, siuè consuetudines.

Constat ex vsu, siuè consuetudine inducta quasi communi jure gentium, & communi consensu omnium fidelium Principum, & Pastorum: ità omnes Doctores. Aduerte tamen si quis iam impleuisset in loco sui domicilij aliquod huiusmodi præceptum, vel legem non tenetur ampliùs ad illud seruandum in loco, vbi est hospes, vel peregrinus; ac proindè si quis ratione noui Kalendarij recepti in loco sui domicilij expleuerit ieiunium quadragesimale, & posteà tanquàm peregrinus transeat per locum, vbi nondum illud sit expletum iuxta nouum Kalendarium ibi receptum, non tenetur ampliùs ieiunare, vel de nouo explere ieiunium quadragesimale. Ratio est, quia talia præcepta solùm obligant ad semel explendum; cùm sint omninò eadem vbique, Lessius lib.8.cap.2. dubitatione 7. num.12. Sances lib.1. in Decalogum cap.12. num.22.

DOCVMENTVM IV.

Peregrini, cessante scandalo, non tenentur peculiaribus legibus vel consuetudinibus loci proprij, & domicilij; quando nimirùm ipsi sunt extra locum proprij domicilij.

Ratio est, quia leges & consuetudines locales respiciunt per se & directè territoriũ, & ibi morantes, & illi sunt affixæ; & ideò non obligant personas subditas, nisi dum existunt intra limites eiusdem territorij. Sairus in Claui regia lib. 7. cap. 3. num. 11. & 12. Suares tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 14. num. 25. & numero hoc vltimo. Lessius lib. 4. cap. 2. dubitatione 8. num. 54. Assorius tom. 1. lib. 7. cap. 30. Emanuel Sà verbo, *quæstum*, num. 9. Sances lib. 3. de Matrimonio disp. 18. num. 17.

Monitum: hæc vera sunt; etiamsi, qui sunt extra locum proprij domicilij, ad illum sint reuersuri nocte sequenti. Ratio est, quia cùm leges & consuetudines locales sint terminis talis

lis loci adstrictæ, ad exemptionem illarum non spectat duratio absentiæ à proprio territorio; sed præcisè absentia. Suares loco cit. num. 25. Lessius etiam loco cit. num. 55. Sances lib. 1. in Decalogum. cap. 12. num. 27.

Aduerte deniquè doctrinam traditam esse veram, etiam si leges in proprio territorio peregrinorum vel hospitum obligantes, sint juris communis; quando enim hi perueniunt ad locum, in quo per contrariam consuetudinem leges illæ sunt abrogatæ, non ligantur huiusmodi legibus. Ratio est, quia relaxatio juris communis per contrariam consuetudinem inducta in illo loco, introduxit priuilegium quasi locale, quo vti possunt omnes, qui reperiuntur in illo loco. Suares tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 14. in fine, Rebellus part. 2. lib. 2. quæst. 7. sect. 3. num. 15.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

Hispani, Itali, & alij exteri possunt Matrimoniū absque Parocho & testibus contrahere in loco, vbi Concilium Tridentinum non est receptum. Ità Auctores superiùs citati.

COROLARIVM II.

Galli v. g. transeuntes per Regnum Castiliæ possunt ibi die Sabbathi comedere intestina animalium, etiamsi jure communi hoc sit vetitum in Gallia. Ratio est, quia illud jus commune per contrariam consuetudinem abrogatum est in Hispania. Ità ijdem Doctores.

COROLARIVM III.

Alienigenæ possunt Mediolani comedere carnes duobus primis diebus Quadragesimæ, duobus verò sequentibus oua & lacticinia, quo in loco tales cibi comeduntur dictis illis diebus. Hoc verum est, etiamsi alienigenæ id non possint facere suis in territorijs propter jus commune ibi vigens, si prohibetur talia comedere. Ratio est eadem. Lessius loco cit. nu. 59. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 12.

COROLARIVM IV.

Infertur, quòd si nondùm transacta Quadragesima in aliquo territorio, aliquis illius Oppi-

Oppidi vel territorij se conferat ad aliquem locum, vbi Quadragesima iam transacta est (vt potest contingere propter nouum Kalendarium, non vbiquè receptum) non tenetur eam complere in hoc posteriori loco; sed potest carnibus vesci. Sic præfati Auctores iam citati.

COROLARIVM V.

Licitum est recedere à loco proprij domicilij, in quo est dies festus, in locum vbi non est festus; recedere (inquam) ad seruilia ibi exercenda. Ratio est, quia præceptum de seruando illo festo, non prohibet seù interdicit exitum à loco, in quo obligat; nec incolas illius loci obligat extra eundem locum. Sairus in Claui regia lib. 7. cap. 3. num. 12. Suares tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 12. num. 6. Emanuel Sa verbo, *festum*, num. 9.

Monitum: Quando festum est in vna Parochia, in altera verò non est; possunt subditi Parochiæ, in qua est festum, exercere seruilia extra illam Parochiā. Lessius lib. 4. cap. 2. dubio 8. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 13.

Petes; an qui è sua Parochia, vel territorium vbi est festum, manè illius diei egreditur ad alium locum, vbi non est festum, teneatur eo die Missam audire. Respondeo, non tenetur ad audiendam Missam, si durante adhuc commoditate eam audiendi, sit futurus extra fines Oppidi aut Parochiæ, in quibus est festum. Ratio est, quia in proprio Oppido vsque ad tempus discessus, poterat auditionem Missæ differre; quando autem peruenit ad alium locum, vbi non est obligatio audiendi Missam, iam est deobligatus omninò ab illo præcepto. Sances lib. 3. de Matrimonio disput. 18. num. 21. & lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 32. Idem censet probabile esse Lessius lib. 4. cap. 2. dubitatione 8. num. 56. & alij Viri docti neotherici apud Sances loco cit. Est contra Suares tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 15. num. penult. Sairum ac Emanuel Sā suprà cit. Horum opinio est probabilis.

Monitum: Tunc quis tenetur præuenire audiendo Missam manè die festo, quando manente vi præcepti & subiectione ad illud pro aliqua temporis parte futurus est impeditus, nimirùm in loco vbi præceptum de audienda Missa obligat; secùs verò quando intra præcepti tempus

ab eodem præcepto, est eximendus.

COROLARIVM VI.

DIscedentes ex Oppido, vbi non ieiunatur, nec esus carnium est prohibitus; possunt ibi licitè carnibus vesci, etiamsi meridie peruenturus sit ad locum proprij domicilij, vbi ieiunatur: in loco tamen sui domicilij ea die non poterit vesci carnibus, siuè in alio loco eas comederit, siuè non; si tamen comederit alibi carnes, poterit in loco sui domicilij quotiès voluerit ibi ea die non prohibitis vesci. Sances loco cit. num.33. Lessius loco etiam citato suprà num.57.

COROLARIVM VII.

DIscedens manè à loco proprij domicilij, & illa die peruenturus ad locum, vbi nec ieiunium seruatur, nec carnes sunt prohibitæ; potest manè ientaculum sumere, non potest tamen comedere carnes, donec sit in loco, vbi comeduntur. Sances loco cit. n.54.

,

DIFFICVLTAS.

An excusetur, qui data opera de vno loco, vbi aliqua lex vel consuetudo obligat ad ieiunium v.g. vel ad Missam, vel ad aliquid aliud transit ad alium locum, vbi non est talis lex vel consuetudo; transit (inquam) vt fugiat onus talis legis vel consuetudinis, vt non teneatur ieiunare vel audire Missam.

REspondeo illum excusari à transgressione talis legis & consuetudinis. Ratio est, quia dum ille à loco, in quo obligat talis lex vel consuetudo, data opera recedit in alium locum, in quo illæ leges non obligant, vtitur jure suo; ac proindè propriè non dicitur fraudem committere, sed fugere obligationem talis præcepti, ad quam fugam habet jus, cùm non sit prohibita per legem solùm obligantem, dum non receditur ab eo loco. Suares tom.1.de Religione lib.2. cap.13.num.penult. Sances lib.1. in Decalogum cap.12. num. 35. & lib.3. de Matrimonio disp.28. nu. 29. est contra Rebellem part. 1. lib.2.quæst.7.sect.3.num.16.& alios dicentes fore irritum Matrimonium contractum ab Hispano

pano

pano in Gallia absque Parocho & testibus, quando solùm (vt sic contrahere posset) in Galliam se transtulisset.

Ex dictis infertur fugam illam voluntariam præcepti, siuè legis obligantis in vno loco ex se esse indifferentem, ac proindè posse esse bonam, vel malam ex fine adiuncto. Itaquè si quis è loco vbi propter legem, vel consuetudinem eius peculiarem ieiunatur, transeat ad locum vbi non est talis lex vel consuetudo ieiunandi (transeat, inquam, præcisè in hunc finem) non tenetur ieiunare, peccabit tamen venialiter peccato gulæ.

DOCVMENTVM.

Quando aliæ sunt leges, aut consuetudines in proprio territorio, aliæ in loco ad quem peregrini diuertuntur siuè per modum trāsitus, siuè per modum hospitij ad breue tempus non tenentur (cessante scandalo) seruare leges, aut consuetudines, quæ obligant in loco transitus aut hospitij, dum in eo morantur.

Hinc si in loco proprij domicilij, vel territorij non sit dies festiua, aut dies ieiunij; in loco autem transitus vel hospitij sit dies festus, aut ieiunij; peregrinus siuè hospes ibi commorans per modum transitus vel hospitij, non tenetur seruare festum aut ieiunium. Ratio est, quia qui transit, aut breui tempore diuertitur ad alium locum, non dicitur moraliter esse in eo; ac proindè cùm transeuntes non dicantur moraliter esse in illo loco, non est æquum vt astringantur peculiaribus legibus, vel consuetudinibus illius loci, quæ solos in eo loco existentes obligant. Siluester verbo, *ieiunium*, quæst. 2. Antoninus 2. parte, titulo 6. cap. 2. §. 3. Toletus lib. 6. cap. 5. num. vltim. Assorius tom. 1. lib. 7. cap. 30. quæst. vlt. Sances lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 38. & lib. 3. de Matrimonio disp. 18. nu. 6. & alij multi apud ipsum. Est contra Nauarrum cap. 13. nu. 5. & cap. 23. num. 120. Henricum lib. 7. cap. 13. num. 8. Emanuel Sà verbo, *ieiunium*, num. 1. Suares tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 14. & num. 9. ac alios multos, quos habes apud Sances lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 37. & lib. 3. de Matrimonio disput. 18. num. 4.

Oppones contra documentum, quòd consuetudo videtur esse in contrariū. Respondeo negando

gando esse talem consuetudinem obligantem, quia si aliqui se obligatos existimant, aut hoc ex ignorantia prouenit, sicut credunt se ad Missam audiendam teneri ex solo transitu, vel breuissima mora in loco, vbi seruatur festum ex peculiari lege, vel consuetudine, aut si sint viri docti, id existimabunt; quia sequuntur contrariam sententiam, sed econtrà oppositum sentiunt, & docent Auctores nostræ sententiæ, vt benè notauit Sances lib. 1. in Decalogum cap. 12. num. 38.

Monitum: Doctrina à nobis suprà tradita tres patitur exceptiones.

Prima exceptio hæc est: ab omnibus seruanda sunt circa contractum, quæ in loco contractus obligant, excepto tamen contractu doctis, cui peculiare est; vt sit ineundus iuxta leges domicilij, vt rectè ex Iuribus & Auctoribus probat Sances lib. 3. de Matrimonio disp. 18. num. 10. & 11.

Secunda exceptio est, vt peculiares loci ordinationes ad bonum commune illius, quarum legum transgressio cederet in peculiare damnum eiusdem loci, in quo est tanquàm peregrinus vel hospes, etiam ab eo seruentur; vt si lex prohibeat extrahi indè triticum, vel merces, aut si propter bonum commune talis loci prohibeat peregrinos ibi subsistere vltra tale tempus. Ratio autem, cur etiam peregrini & hospites obligentur huiusmodi legibus peculiaribus ordinatis ad bonum commune loci, in quo sunt tanquàm hospites, est; quia communi consuetudine iure communi gentium inducta est ex consensu omnium fidelium Principum & Pastorum recepta, effectum est, vt huiusmodi leges ordinatæ ad bonum commune talis loci, obligent omnes existentes in illo loco. Sances lib. 3. de Matrimonio disp. 18. num. 14. & alij apud ipsum.

Tertia exceptio, quando leges loci, in quo quis est tanquàm peregrinus vel hospes, obligant ex iure communi; quàmuis in proprio domicilio vel loco peregrini, non obligent, eo quòd sint ibi abrogatæ per contrariam consuetudinem, tenetur peregrinus & hospes, quandiù est extra proprium domicilium seruare illas easdem leges, quæ in loco, in quo est, obligant. Ratio est, quia consuetudo Ius commune abrogans est odiosa instar legis corrupto-

riæ; ac proindè cùm in eo solo loco sit, & ibi excuset, non est extendenda, vt sit quasi priuilegium personale, idest consequens personam quòcunque iuerit: sed est potiùs restringenda, vt sit quasi priuilegium locale, quod extra locum non prodest. Henricus lib.9. cap.29. num.20. in Comment. sub littera S. Medina 1.2.quæst.96. artic.5. Sairus in Claui regia lib.3. cap.4. num. 5. Suarez tom.1. de Religione lib.2.cap.14.num.27.& 28. Sances lib.1. in Decalogum cap.12. num.39. qui tamen priùs lib.3.de Matrimonio disput. 18. num. 7. contrarium docuerat vnà cum Palatio.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

Licèt in Castilia non sit prohibitum comedere intestina animalium in die Sabbathi, Castilianus tamen in Lusitania, v.g. vbi Iure communi illud prohibitum est, non poterit illa comedere.

COROLARIVM II.

Quàmuis Mediolani per cōtrariam consuetudinem abrogatum sit Ius commune ieiunandi primis quatuor diebus Quadragesimæ; immò & Ius abstinendi à Carnibus prima & secunda die, & ab ouis atque lacticinijs tertia & quarta die: Mediolanensis tamen transiens per alia loca, in quibus seruatur Ius commune, non poterit edere carnes vel oua & lacticinia, aut omittere ieiunium primis illis quatuor diebus Quadragesimæ.

DIFFICVLTAS.

Quid dicendum sit, si quis habitet æqualiter in duplici Paroecia, in qua vtraque sint diuersæ leges, vel consuetudines.

Respondeo, tenetur seruare leges & consuetudines Parochiæ, in qua præsens fuerit; tenetur (inquam) pro tempore præsentiæ. Ratio est, quia tunc est verè illius incola. Lessius lib.4. cap.2. dubio 7. numero 46.

Monitum: Hoc intelligitur de tempore, quo in illa Paroecia habitat; secùs autem quando habitans in vna Parochia, venerit in aliam tanquàm hospes ad

ad breue tempus, quia tunc non censetur habitatòr illius Parocciæ, in quam venit, cùm ibi ad modicum tempus hospitetur: illæ autem leges, vel consuetudines sunt locales; & ideò non obligant nisi habitantes in eo loco.

DIFFICVLTAS.

Quæ mora in loco hospitij reddat peregrinum, vel hospitem habitatorem, ità vt legibus, vel consuetudinibus eiusdem loci teneatur.

RESpondeo; ad hoc sufficit & exigitur, vt quis incipiat habitare, & habeat animum habitandi ibi maiori anni parte. Ratio est, quia moraliter & prudentis arbitrio, habitaturus dicitur in aliquo loco, qui per maiorem anni partem ibi commoraturus est. Sances lib.3. de Matrimonio disput. 18. num. 9. & alij apud ipsum.

Monitum: Accedens animo habitandi maiori anni parte, tenetur à prima die accessus seruare leges, & consuetudines Oppidi vel loci, ad quem accedit; quia tunc contraxit quasi domicilium, ac proindè ex tunc habet conditiones requisitas, vt ità sit ac dicatur habitator. Suarez tom.1.de Religione lib.2.cap.14. num.1. Lessius lib.4.cap.2.dub.7. num.47.

Monitum: Non desinit obligari, licèt posteà mutato animo decernat se breui recessurum ex illo loco. Ratio est, quia hoc quasi domicilium contractum ex priori animo habitandi ibi maiori anni parte, non potest deperdi per solam illius animi mutationem: sed simul cum illa requiritur recessus ab eodem loco, sicut ad illud quasi domicilium constituendum, exigitur animus ac etiam habitatio. Sances lib. 3. de Matrimonio disput.23.

Notantur nonnulla de actione, vel intentione requisita ad implenda præcepta.

DOCVMENTVM.

Ad implendum præceptum siuè Diuinum, siue naturale requiritur actio humana, qua quis volens efficiat id, quod præceptum iniungit.

RAtio est; quia cùm præceptum imponitur hominibus, humano modo implendum

est. Pandanus in 4. distinct. 15. quæst.5. artic.2. num.24. Sotus lib.2.de Iustitia, quæst.3.artic.9. Assorius tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst.6.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

IDem exigitur in adimpletione votorum, iuramentorum, ac pœnitentiæ Sacramentalis; quia de his omnibus eadem est ratio. Sances lib. 1. in Decalogum cap.13.num.2.

COROLARIVM II.

REcitans Officium sola legendi, vel discendi voluntate, non satisfacit præcepto recitandi Officij: sed tenetur iterùm recitare, quia cùm non habeat voluntatem orandi, non orat; ac proindè non facit id, quod præcepto iniungitur. Nauarrus in capitulum, *quando de consecratione*, distinct. 1. cap. 13. num. 15. Assorius tom. 1. lib. 10. cap.8. quæst. 7. Lessius lib. 2. cap. 37. dubitatione 11. num.67.

COROLARIVM III.

SI quis Diuina contemplans, casu intersit Missæ, non habens animum illam audiendi; tunc nec præcepto, neque voto, nec Iuramento, nec etiam pœnitentiæ Sacramentali satisfacit per talem assistentiam ad Missam. Ratio est, quia hoc non est audire Missam; cùm desit voluntas audiendi. Sances lib. 1.cap.13. num.3.

COROLARIVM IV.

NON satisfacit præcepto, nec voto, nequè Iuramento, nec etiam pœnitentiæ iniunctæ, qui ebrius vel dormiens Officium recitet, aut Sacro intersit, vel rem promissam, aut pœnitentiam iniunctam, exequatur. Nauarrus loco suprà citato.

COROLARIVM V.

PRæceptum de ieiunio non implet, qui omninò inuitus ieiunet; neque satisfacit pœnitentiæ Sacramentali, flagellationis, v.g. qui omninò inuitus vapulet, aut flagelletur; quia hæc non sunt ieiunare, vel se flagellare, sed pati per vim.

Sotus

Sotus lib.2. de Iustitia quæst. 3. artic.9. Medina 1.2. quęst. 100. artic.9.

COROLARIVM VI.

MInimè præceptum implet, qui omninò coactus Missæ interest. Ratio est, quia hoc moraliter, non est audire Missam; cùm desit voluntas audiendi. Suarez tom.1. in tertiam partem disput.88. sessione 3. Sotus, & Medina locis suprà citatis.

Monitum: Hoc non potest verificari de his, qui inuitè recitant Officium. Ratio est, quia lingua humana non potest vlla vi omninò compelli ad recitandum; sed solo metu, qui voluntarium non aufert. Sances lib.1. cap.13. num.5. Est contra Assorium tom.1. lib.10. cap.12. quæst.9.

COROLARIVM VII.

COntra præceptum Iustitiæ peccat interiùs mortaliter, qui omninò inuitus debitum soluere cogitur; quia deest omninò voluntas soluendi: satisfacit tamen debito, nec iterùm tenetur soluere, quia quomodòcùnque pecunia deueniat in manum creditoris, satisfit debito; ità vt cesset obligatio iterùm soluendi. Sotus lib.2. de Iustitia, quęst.3. art.9.

Infertur; metu quantùmuis graui implentem præceptum, votum, Iuramentum, aut pœnitentiam Sacramentalem, satisfacere. Ratio est, quia metus non tollit libertatem; ac proindè talis impletio est actus humanus, & consequenter est sufficiens, vt obligatio illa iterùm implendi cesset. Sances loco suprà citato num.7.

Monitum: qui metu implet præceptum, aut votum; ità vt habeat voluntatem non implendi, si esset in omnimoda sua libertate, peccat mortaliter. Ratio est, quia habet animum faciendi contra præceptum, si per metum liceret; quòd si talem animum non habeat, licèt metu impleat, & Deus videat, quòd ille non impleret, nisi metus insurgeret, non peccat mortaliter. Ex his constat famulos & pueros, qui metu Dominorum, vel Parentum aut Pœdagogorũ assistunt Missæ, non teneri iterùm assistere; licèt habuerint expressum animum non audiendi Missam, si metu non cogerentur. Sances loco cit. num.8.

Petes, an sicut ad præcepti imple-

impletionem requiritur intentio exequendi opus præcepto iniunctum, v.g. audiendi Missam; ità etiam requiratur intentio satisfaciendi præcepto per tale opus. Respondeo, ad implendum præceptum non requiritur intentio satisfaciendi; ac proindè, si quis immemor, obligatus de audienda Missa, aut ignorans esse diem festum, volens intersit Missæ, satisfacit. Ratio est, quia per leges præcipitur libera executio operis externi, non autem vt fiat ex intentione satisfaciendi præcepto. S. Thomas 2. 2. quæst. 104. artic. 3. Ad secundum. Valentia secunda secundæ disp. 6. quæst. 2. punct. vlt. Suarez tom. 3. in tertiam partem disput. 8. sess. 3. Asorius tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 6.

Oppones: Præcepta obligant ad obedientiam, quæ non videtur adesse, vbi non est intentio satisfaciendi præcepto. Respondeo, præcepta non obligant ad obedientiam formalem, sed tantùm ad obedientiam materialem; nimirùm ità vt fiat, quod præcipitur, quantùmuis non fiat eo, quo præceptum sit. Hinc habetur, satisfacere Iuramento, voto, pœnitentiæ Sacramentali, qui exequitur opera promissa, vel etiam pœnitentiam iniunctam; & si non habeat intentionem implendi votum, vel Iuramentum, aut pœnitentiam.

DIFFICVLTAS.

An quando quis facit aliquod opus cum expressa voluntate & intentione non satisfaciendi præcepto per illud opus, adhuc verè satisfaciat, v.g. si quis ex deuotione in die festo Missam audiat, & expressè intendat non satisfacere obligationi per huiusmodi Missam, an verè impleat præceptum.

Respondeo, etiam cum tali intentione satisfacere. Ratio est, quia per præcepta & leges solùm præcipitur libera & humana executio operis externi, non autem vt fiat ex tali intentione satisfaciendi: hinc sicut præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi, ità non violantur per contrariam intentionem nolendi satisfacere, cùm in operantis voluntate non sit præceptis non satisfacere, supposito quòd opera præcepta exequantur; ac proindè cùm in casu proposito, ille actu libero & humano Missam audit; verè præcepto satisfacit, quàmuis nolit satisfacere.

Aragonius 2.2.quæst.83. art.13. Valentia 2.2.disput.6. quæst. 2. puncto vlt. Suarez tom.3.in tertiam partem disput. 82. sess. 3. Vasquez 1.2.quæst.100. artic.9. in expositione textus. Lessius lib.2. de Iustitia cap.37. dub.10. num. 59. Sances lib.1.in Decalogum cap.13. num.13. est contra Palatium in 4. distinct. 15. disput. 10. Nauarrum in capitulum, *quando de consecratione*, distinct.1.cap.13.num,15.27.28. & alijs in locis: Assorium tom.1. lib.7. cap.2.quæst.6. & alios, qui dicunt non satisfacere præcepto quotiescunque adest intentio non faciendi. Horum etiam opinio mihi probabilis.

Monitum: Vt exequens opus præceptum cum intentione non satisfaciendi præcepto, verè satisfaciat eidem præcepto; non requiritur, vt post executionem talis operis deponat illam intentionem intra tempus obligationis præcepti, & velit per opus præcedens, satisfacere præcepto. Ratio est, quia nihil conferre potest ea voluntatis mutatio, cùm efficere nequeat, vt opus præteritum ex obedientia processerit, vel in se vlla ratione varietur; ac proindè si ille credat se non satisfecisse, ad euitandum peccatum sufficit, si eam conscientiam erroneam deponat sciens se satisfecisse, etiam si nullam habeat intentionem satisfaciendi per opus iam factum. Sances lib. 1. cap. 13. num. 14.

DIFFICVLTAS.

Qua ratione peccet implens præceptum cum intentione illi non satisfaciendi.

Dico primò: si habuit animum satisfaciendi per illud opus, v. g. per aliam Missam, & aliam verè audire possit, nulla ratione peccauit habendo intentionem satisfaciendi per auditionem prioris Missæ; nec tenetur posteà habere intentionem non satisfaciendi per illam priorem Missam, nec aliam Missam tenetur audire: sed sufficit, vt sciat se satisfecisse, non obstante contraria intentione non satisfaciendi. Ratio autem, cur non peccauerit, est; quia verè & plenè satisfecit illi præcepto, nec vllum aliud præceptum transgressus est, cùm habuerit intentionem audiendi illam Missam. Sances loco citato numero 15.

Dico secundò: si habuit inten-

tentionem non audiendi aliam Missam, aut certè sciebat vel putabat se non posse audire, peccauit mortaliter; non quidem contrà illud præceptum speciale (v. g. de audienda Missa) quia illud tantùm obligat ad exercendum actu humano tale opus iniunctum: sed contra præceptum naturale Diuinum, quo quis tenetur subiectus esse legi, ac Legislatori; nimirùm non eliciendo actum, quo nolit illis esse subiectus.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

SI quis horas Canonicas recitat cum intentione non satisfaciendi per hanc recitationem, sed per aliam; ille verè satisfacit per primam recitationem, quia intentio illa non satisfaciendi minimè impedit, quominùs præceptum impleatur per eandem primam recitationem. Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 37. dubio 10. num. 59. Sances lib. 1. cap. 13. num. 16.

COROLARIVM II.

VErè impletur obligatio pœnitentiæ Sacramentalis, si opus iniunctum executioni mandetur cum expressa intentione non satisfaciendi illi obligationi, nec opus est, vt ea intentio mutetur in contrarium; sed satis est scire per illud opus iam esse satisfactum illi obligationi. Ratio est, quia cùm pœnitentia ex quodam Confessoris præcepto debeatur, idem de illa dicendum est, quod dicitur de impletione præceptorum reliquorum. Sances ibidem num. 17.

COROLARIVM III.

VOtum & Iuramentum impletur; si quis opus voto, vel Iuramento promissum exequatur etiam cum intentione non satisfaciendi per tale opus, nec tenetur iterùm hoc implere, nec tenetur habere intentionem satisfaciendi per illud opus iam factum. Ratio est, quia cùm votum & Iuramentum instar præceptorum obliget, solùm ad substantiam actus, siuè operis promissi obligat; ac proindè non est in vouentis, vel Iurantis potestate, voto, aut Iuramento non satisfacere, posito quòd opus iam promissum expleatur. Sances loco citato num. 18. Est contra nonnullos negantes, quorum etiam opinio est mihi probabilis.

Notan-

Notantur aliqua de nonnullis alijs pertinentibus ad impletionem præceptorum.

DIFFICVLTAS.

An præcepto satisfieri possit per actum, qui sit peccatum; v.g. an præcepto de ieiunio possit satisfieri ieiunando ob vanam gloriam, vel ob alium malum finem.

RESpondeo, legi & præcepto satisfieri potest etiam per actum, qui sit peccatum. Ratio est, quia leges præcipiunt substantiam actus, non autem modos, nisi modus sit de intrinseca ratione actus præcepti, vt attentio aliqua est de orationis essentia, aut pro vt cadit sub præcepto; ac proindè cùm impleatur substantia actus præcepti, v. g. ieiunium etiam si ordinetur in malum finem, satisfit præcepto: peccabit tamen contra aliud præceptum, nimirùm contra illud, cui malus finis opponitur. Sotus lib.2. de Iustitia quæst.3.art.9.Nauarrus cap.21 0. num.7. Couarruuias in Capitulum, *Alma*, parte 1. §. *Quintò*. Ledesma 2. parte quarti quæst. 16. artic.6. Assorius tom.1.lib.7. cap.7.quæst.1. & alij multi. Est contra Adrianum in 4.in materia Confessionis dubio 4. Minorem in 4. dist.15.quæst.3. Antoninum 2. parte titulo 9. cap.10.§.2.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

ETiam per opus malum, & peccaminosum potest satisfieri pœnitentiæ sacramentali; immò & obligationi voti, & iuramenti. Ratio est, quia cùm votum & juramentum sit quædam lex particularis, quam homo sua sponte sibi imponit, ista obligat instar aliorum præceptorum ad exequendam solam substantiam actus promissi. Sances lib. 1. in Decalogum capit. 14. num.13.

COROLARIVM II.

QVi semel in die ieiunij comedit, curans ità stomachum replere; vt nil prorsus famis patiatur, implet præceptum de ieiunio, licèt defraudet intentionem legis ac præcepti, quæ intentio est macerare carnem aliqua fame. Sances lib.1.cap.14.num.4.

DIFFICVLTAS.

An vnico actu satisfieri possit diuersis praeceptis.

RESpondeo affirmando, v.g. si ieiunium alicuius vigiliæ voueatur, & imponatur in pœnitentia à Confessore, vnico satisfieri potest voto ac pœnitentiæ sacramentali, nec non præcepto ieiunij. Similiter si quis ratione ordinis & beneficij teneatur recitare horas Canonicas, vnica recitatione potest satisfacere vtrique obligationi. Ratio est, quia hæc est differentia inter debita realia iustitiæ commutatiuæ & debita legalia, vt ibi, legis ac pœnitentiæ iniunctæ, quòd in illis debitis attenditur æqualitas rei ad rem; & ideò cùm vna satisfactio non possit esse æqualis pluribus debitis, nec vnica solutione pluribus debitis potest satisfieri: ecõtrà verò cùm debita legalia pendeant ab intentione Legislatoris, fieri potest; vt intentio legis, voti & pœnitentiæ tendat in vnum & idem opus. Aduerte autem regulariter, & vt plurimùm vnico actu potest satisfieri pluribus præceptis quando plura illa præcepta imponuntur pro eadem re, vt est; si festum alicuius Sancti incidat in diem Dominicam, vnica Missa satisfit vtrique obligationi.

DIFFICVLTAS.

An quando alicui absolutè imponitur aliquid, v.g. ieiunium in pænitentia Sacramentali; tunc per ieiunium aliàs debitum, voto, aut præcepto possit ille satisfacere pænitentiæ Sacramentali.

RESpondeo; si ex mente Confessoris aliud non colligatur, ille veræ pœnitentiæ Sacramentali non satisfacit per ieiunium alio titulo debitum. Ratio est, quia intentio Confessoris communiter intelligitur de opere voluntario, ac proindè etiam in dubio mens Confessarij de eodem opere voluntario intelligenda est. Assorius tom. 1. lib. 1. cap. 14. quæst. 1. Sairus in Claui regia lib. 6. capite 3. numero 22. Suares 4. tomo in tertiam partem disputat. 38. sess. 6. numero 5. & alij.

DIF-

DIFFICVLTAS.

An quando omittitur opus duplici præcepto iniunctum, sit duplex peccatum.

RESpondeo: interdum est duplex peccatum, interdũ vnum, v. g. si omittatur ieiunium vigiliæ incidentis in Quadragesima, aut omittatur Missa in incidente festo in die Dominico, non erit duplex peccatum; quia hæc præcepta sunt de eadem materia ob idem motiuum virtutis, ac proindè nec circumstantia illa duplicis præcepti, erit explicanda in Confessione.

Econtrà verò si præcepta pertineant ad diuersas virtutes, & sint de eadem; contrà verò si præcepta pertineant ad diuersas virtutes, & sint de eadem materia, vel de eodem opere, si tale opus omittatur erit duplex peccatum, v.g. si omittatur Missa debita ex die festo, & ex pœnitentia Sacramentali: similiter erit duplex peccatum, si omittatur opus debitum ex diuersis præceptis pertinentibus ad eandem virtutem, sed habentibus diuersa motiua; vt si omittatur Missa debita ratione festi & voti, vel ratione voti & iuramenti. Assorius tom.1.lib.4. cap.2. q.6. Sairus in Claui regia lib.2.cap.5. num.14. & 15. Sances lib.1.cap. 14.num.7. Hinc habes nec multiplicationem eiusdem obligationis, v. g. eiusdem voti aut iuramenti sufficere, vt illius transgressio sit duplex peccatum, vel talis transgressio confitenda; atque hoc etiam verum est, etiam si repetens votum intendat sibi imponere nouam obligationem. Ratio est, quia voluntas vouentis non est satis ad multiplicandas obligationes diuersas; quando materia, circa quam versatur, est vna & pertinet ad vnam virtutem, & voluntas fertur ex vno motiuo in eandem obligationem. Aliàs si quis repetendo idem omninò votum posset sibi opponere diuersas obligationes, posset etiam vnica vice vouendo imponere sibi mille obligationes, quod est falsum. Sances lib.1.cap.14.num.10.

DIFFICVLTAS.

An & qua ratione eodem tempore possit quis diuersis actibus satisfacere diuersis.

RESpondeo: potest quis diuersis actibus vno, & eo-

dem tempore satisfacere duplici præcepto; quando nimirùm satisfacere vni præcepto, non impedit quominùs simul alteri satisfaciat. Ratio est, quia tunc non præcipitur vt diuersis temporibus satisfiat illis præceptis, ac proindè potest quis eo tempore, quo Missam audit in die festo recitare horas Canonicas & quascumque alias preces, ad quas teneatur ratione Ordinis, voti, iuramenti, aut pœnitentiæ sacramentalis. Caietanus verbo, *festorum violatio*, Sotus in 4. dist. 19. quæst. 2. artic. 1. Nauarrus cap. 21. num. 8. Assorius tom. 1. lib. 10. cap. 12. quæst. 10. Suares 4. tom. in tertiam partem dist. 38. sect. 6. num. 5. videtur esse contra Angelum verbo, *feria*, nu. 46. & alios.

Oppones: Non potest quis simul attendere ad Missam, & horas Canonicas, igitur non potest quis simul & eodem tempore satisfacere præcepto de audienda Missa, & præcepto de recitandis Horis: quia si attendat ad verba Missæ, satisfaceret quidem præcepto de Missa audienda; non tamen præcepto de recitandis Horis, vel econtrà.

Respondeo; ad hoc vt quis satisfaciat illis duobus præceptis simul, non est necesse, vt attendatur etiam ad verba Missæ: sed sufficit, si attendat ad Deum, vel res Diuinas; atque ità vna & eadem actione satisfaceret præcepto de audienda Missa, & præcepto de recitandis Horis Canonicis. Ratio est, quia Missa auditur, vt animus ad Deum excitetur: Item Horæ Canonicæ recitantur, vt animus Deo præstetur intentus; ac proindè si quis dum recitat Horam, & Missam audit, cogitet aliquid de Deo, vel rebus Diuinis attendat, verè vtrique debito & vtrique præcepto satisfacit. Assorius tom. 1. lib. 7. quæst. 3. & 4. Sances lib. 1. cap. 14. num. 11.

Aduerte tamen quàmuis perdifficile sit attendere simul ad verba Missæ, & ad verba Officij; si quis tamen sit adeò capax, vt verè ad verba vtriusque attendat, vtrumque præceptum implet etiam absque peccato veniali. Ratio est, quia talis attentio est sufficiens ad satisfaciendum singulis illorum præceptis, nec est vlla necessitas implendi eadem præcepta diuerso tempore. Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 5. Assorius lib. 7. cap. 50. quæst. 3. Nauarrus capit. 21. numer. 8.

DIF-

DIFFICVLTAS.

Qua ratione peccet, qui absque necessitate, & magna vtilitate admittit impedimentum, quo præceptũ implere non potest.

RESpondeo; ad dignoscendum, an admittens tale impedimentum peccet mortaliter: consideranda est vis & rigor præcepti, quædam enim non adeò strictè obligant, & minoribus causis excusantibus indigent; alia verò præcepta obligant fortiùs & arctiùs ac rigidiùs, requiruntque grauiores causas necessitatis, vel vtilitatis, vt admittens impedimentum seruandi illa, excusetur.

Rursùs perpendendum est, an impedimentum, quod admittitur proximè, vel remotè obstet impletioni præcepti: denique videndum est, an tale impedimentum per se & intrinsecè pertineat ad rei præceptæ materiam, vt Breuiarium pertinet ad recitandum officium Canonicũ; vel per accidens, vt bona valetudo se habet respectu eiusdem. His autem computatis, diuersimodè in singulis iudicandum erit de amissione impedimenti obstantis obseruationi præcepti. Sances in Decalogum lib. 1. cap. 15. num. 14. vbi rectè monet certiorem regulam assignari non posse.

COROLARIA.

COROLARIVM I.

PRoijciens Breuiarium, ex qua proiectione fit impotens ad recitandum officium, peccat mortaliter; quia Breuiarium per se pertinet, ad illud recitandum.

COROLARIVM II.

QVI manducat nimium, aut nociuum cibum, præuidens ob morbum se omissurum Missam, Horas Canonicas, & ieiunium; non peccat contra hæc præcepta dando causam omissionis illorum, nisi hoc faceret in fraudem præcepti. Ratio est, quia huiusmodi præcepta obligant solos sanos, nec obligant ad conseruandam sanitatem illis implendis necessariam. Henriquez lib. 9. capite 21. numer. 11. in Comment. sub lit. P.

COROLARIVM III.

CVm quis facilè excommunicationis abſolutionem conſequi poteſt, non tenetur ad illam procurandam, vt poſſit audire Miſſam in die feſto; eſt res certa, & ferè communis apud omnes. His omnibus præmiſſis, reuertamur ad ſolutionem diſputationis, vndè ſit.

PROPOSITIO I.

Adam potuit primò peccare venialiter.

PRobatur: nam ex D.Thoma tertia parte quæſt. 41. articulo 4.in corpore; Diabolus, non ſtatim tentat hominem ſpiritualem de grauibus, ſed paulatim à leuioribus incipit, vt poſtmodùm ad grauiora perducat. Ibidem notat Angelicus Doctor, quòd cùm tentationis ordinem ſeruauit Diabolus, quando tentauit Chriſtum Dominum in deſerto, & quando tentauit Adam in ſtatu innocentiæ; ſubinfero, ergo Adam potuit peccare venialiter in ſtatu innocentiæ.Conſequentia indè facili negotio liqueſcit, quia nunquàm Diabolus priùs tentaſſet Adam in ſtatu innocentiæ de leuioribus, niſi certus extitiſſet potuiſſe cadere Adam in leuiora peccata. Ad quid perditio illa (tentationis videlicet de leuioribus) ſi ſciuiſset Dæmon (ſicut ſine vlla controuerſia ſciuiſſet) perfectionis ſtatus innocentiæ incompoſſibilia extitiſſe leuiora peccata? Accedat altera ratio, pro cuius intelligentia notamus,quòd peccatum veniale potuit contingere tunc; nedum ex eo quòd omiſſiuè, & commiſſiuè inordinari potuiſſet circa illa, quæ ex genere ſuo non ſunt mortalia,ſicut ſunt vtilia tantùm ad ſalutem (videlicèt opera forſam ſupererogationis) ſed etiam circa opera præcepta, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia: non tantùm tranſgrediendo præceptum ſecundũ omnem ipſorum latitudinem, includendo videlicet etiam vltimum illorum gradum, in cuius tranſgreſſione conſiſtit lethalitas, ſed infra gradum ſupernum, vbi ſtat venialitas dumtaxat. Exempli gratia, ſi tota latitudo præcepti obſeruandi ſit vt octo,nunquàm in eius tranſgreſſione reperitur lethalitas, niſi tranſgreſſio ſit eius vt octo; ſi enim eſſet vt ſeptem, eſſet venialitas. Cur igitur Adam ex libertate ſua nequiuiſset remiſsè agere circa

præ-

præceptum occurrens, & transgredi illud vt vnum, & duo, & non vt octo? Quantò fuisset Adam hoc modo liberior, & Deus cur ipso indulgentior quàm restringere, & limitare illum ad mortaliter dumtaxat peccandũ. Cur necessariò deliberatio debuit esse plenaria; nonnè ex libertate sua potuisset semiplenè deliberare? Et estò quòd plenarissimè deliberasset; vndè (quæso) sequitur, quòd plenum etiam debuit præstare consensum, quando in potestate sua erat præstare nullum? aliàs primum peccatum non potuisset esse omissionis; sicut ergo potuit non præstare consensum, ità potuit præstare tantum vel tantum, & ità peccare venialiter.

Dico ergo, quòd primum peccatum Adæ poterat esse veniale saltem ex obiecto: Ita Scotus in 2. dist. 21. quæst. 1. Probatur primò, quia Eua cùm primò locuta est serpenti, non videtur mortaliter peccasse; ergo videtur venialiter peccasse. Consequentia patet, quia illa locutio non fuit actus indifferens, nec mortaliter malus: tenebatur enim Eua aduertere, quòd serpens fortè ad eam decipiendam alloquebatur, ac proindè tenebatur quærere virum, vt eam defenderet, vel non admittere colloquium. Vrgetur ratio; quia se exponens periculo peccandi mortaliter, peccat ad minùs venialiter. Facit ad hoc, quòd Adam poterat iure optimo arguere Euam, quòd locuta erat cum serpente; ergo illa locutio erat mala, non mortaliter, ergo venialiter. Item Adamus potuit habere hoc iudicium; dicere mendacium iocosum est malum, non tamen auertens à Deo, & hoc iudicio stante potuit Adam dicere mendacium iocosum.

Dices Deum hoc non permissurum: contrà, Adam liber erat, & non ostenditur reuelatio; quòd vti non posset sua libertate ad veniale, sicut ad mortale. Item iustitia originalis non potuit efficere, quòd Adam non peccaret mortaliter, quod est maius; ergo nec quòd non venialiter, quod est minus. Item Augustinus & glossa in Timotheum secundò aiunt Adamum fuisse deceptum, quòd putauit commissum peccatum fuisse veniale; ergo Adam putauit se posse venialiter peccare.

Respondet D. Thomas sumi veniale pro peccato facilè remissibili, licèt sit mortale: Contrà, violenta glossa est explicare

re

re veniale, scilicet mortale. Item ex eo quòd Adam putauit peccatum Euæ fuisse leue, ipse consensit in peccatum; ergo putauit suum peccatum ità leue, quòd non redderet ipsum miserum, & Dei hostem: aliàs enim non incitaretur ad peccandum ex leuitate peccati. Item Augustinus 14. de Ciuit. ait primos homines permansuros in fœlicitate, si non commisissent iniquitatem, qua damnationem acciperent; ergo supponit iniquitatem committi potuisse, quæ non damnaret, ac proindè potuit primum Adæ peccatum esse veniale.

Sit altera ratio: Adam merebatur abstinendo à venialibus; ergo veniale potuit committi. Consequentia patet; quia nemo meretur, nec demeretur omittendo illud, quod facere nequit. Antecedens probatur, quia quando demeritum est in commissione, meritum est in omissione opposita; & econtrà.

Respondet Zumel, quòd prędeterminatio, quæ tunc interueniret, hoc impediret nec læderet libertatem. Contra hoc totum gratis dicitur, quis enim hoc illi reuelauit?

Respondet Salaz, quòd Adam non mereretur abstinendo à venialibus, nec id debet videri inconueniens; quia nec Christus meruit præcisè abstinendo à peccato (non enim potuit non abstinere) licèt meruerit voluntate positiua, quia voluit abstinere à peccato. Contrà primò; ergo Christus non meruit eliciendo actus bonos. Consequētia patet, quia non potuit non abstinere ab eis, sicut non potuit non abstinere à peccato. Item datur pura omissio mala; ergo & pura omissio bona. Consequentia patet, quia non potuit non abstinere ab eis, sicut non potuit non abstinere à peccato. Item datur pura omissio mala; ergo & pura omissio bona.

Respondet Vasquez aliquem mereri posse abstinendo à malo (vt patet in Christo) licèt non possit facere malum; quia necessitas, quæ interuenit, est consequens, quæ libertatem non lędit. Contra quod nisi Vasques ostendat reuelationem sibi factam de non permittendo peccato veniali in Adamo, semper voluntariè loquitur; non enim quærimus, quid potuisset fieri de potentia Dei absoluta; sed disputamus de facto, vndè discursus Vasquesius nil habet contra nostram Propositionem. Item cum gratia sanctificante de facto com-

compatitur peccatum veniale; ergo etiam compati poterat cum gratia originali. Probatur consequentia; quia excessus, quem habet Iustitia originalis, in ordine ad gratiam non consistit in hoc, quòd cum ista possit simul stare peccatum veniale, non autem cum illa. Respondet Vasquez totam rationem repugnātiæ prouenire ab extrinseco, scilicet ex speciali Diuina prouidentia vel lege, qua ordinatum fuit; quòd si primus Parens à Iustitia originali non excideret, teneretur Deus ab omni alio peccato eum protegere.

Contrà, quia si status innocentiæ non expostulauit protegi à lethali aduersitate peccati statum illum fœlicissimum destruētis; cum magis expostulauit protegi à culpis venialibus prædictum statum non excludentibus? Huius certè nulla potest assignari disparitas cum fundamento; ergo responsio Vasquez est omninò chimerica.

Respondent alij, peccatum veniale duobus tantùm modis posse contingere. Primo, quia mens auersa est ab vltimo fine. Secundo, quia potentiæ inferiores non perfectè subduntur potentijs superioribus: sed ante peccatum mortale commissum ab Adamo, iustitia perfectè subdebat mentem Deo, vt non posset esse auersa ab vltimo fine, & ex alia parte perfectè quoque subdebat corpus animæ, & vires inferiores rationi; ergo nullo modo potuit in statu innocentiæ esse peccatum veniale.

Contrà est, quia quantum ad primum caput, non erat necesse ad peccandum venialiter, mentem esse auersam à Deo; quia vt ex superioribus constat, stante ordine necessario ad finem, potest destrui ordo non necessarius, sed vtilis tantùm ad finem: sed quàmuis non possit quis auerti à medijs necessarijs ad finem, quin à fine auertatur, benè tamen potest esse auersio à medijs non necessarijs sed vtilibus, quin à fine auertatur; ergo etiam si mens non sit auersa à Deo in statu innocentiæ, adhuc potest ibi esse peccatum veniale. Quantùm ad secundum caput dico, quòd neque concludit, quia tunc solùm probaret, quòd peccatum veniale tantùm foret in parte inferiori, & ratione illius in parte superiori; hoc autem est falsum, quia in parte superiori potest esse immediatè peccatum veniale, vt velle dicere mendacium officiosum.

Respondent alij, quòd ad per-

fectionem illius status pertinebat nil posse hominem velle nisi ex perfecta deliberatione; peccatum autem commissum cum perfecta deliberatione in parte superiori, semper est peccatum mortale, & ità non potuit esse veniale.

Contrà, quia hæc responsio solùm militat contra peccata venialia per accidens ex defectu deliberationis, non autem contra veniale ex genere, quod potest fieri cum perfecta deliberatione, absque eo quòd euadant mortalia. Deindè probandum est contrarijs hominem in illo statu nil posse appetere, nisi ex plena deliberatione, cùm Scotus in 2. dist. 21. *Ad secundum*, id neget his verbis: *Estò verum sit, quòd in inferioribus viribus potuerit esse deordinatio, nisi præfuisset in superiori; tamen dico, quòd non omnis deordinatio in virtute superiori est peccatum mortale: nam leuis motus de opinione aliqua circa articulos fidei est deordinatio in portione superiori, & tamen leuis motus est ibi peccatum tantùm veniale*. Sed adhuc dato non posse esse ibi peccatum veniale ex imperfecta deliberatione; negari tamen nequit dari alium actum inordinatum solùm venialem ex plena deliberatione rationis, vt mendacium officiosum, verbum otiosum &c. cùm talis actus nullo modo repugnet rectitudini illius status ex proximo modo, quo secundum Scotum non repugnat peccatum veniale esse cum summa gratia, vel cum actu maximè meritorio, & excellenti, quem absque repugnantia comitari potest aliqua vana gloria, quæ sit peccatum veniale.

PROPOSITIO II.

Proponuntur motiua aduersariorum.

ANgelicus Magister prima secundæ quæst. 79. art. 3. tenet non potuisse hominem in statu innocentiæ peccare primò venialiter. Idipsum docet etiam de Angelo viatore in subsequenti artic. 4. docet etiam idipsum de homine adulto existente in solo originali. Verùm quàmuis Angelicus Doctor impossibilitatem hanc peccandi primò venialiter vniformiter tribuat Adamo, & Angelo originaliter innocentibus, ac homini etiam adulto, atque solo originali existenti; id tamen non ex eodem, sed ex diuersis principijs, quæ non communia, sed propria sunt illis, deducit.

Ra-

Ratio, cur memoratam impossibilitatem tribuat Adamo originaliter innocenti, est; quia in statu innocentiæ vires inferiores fuissent adeò firmiter, ac infallibiliter subordinatæ in operando supremæ in anima rationi, seu portioni (existenti tamen & contentæ sub Deo, seu Diuinæ voluntatis imperio) vt nunquàm in proprias operationes erumpere potuissent, nisi vt præuentæ, præmotæ, dictæ & regulatæ à prædicta animæ portione suprema. Infallibilem autem firmitatem huiusmodi subordinationis inferiorum iurium ad illum deducit prima parte quæst. 95. artic. 1. in corpore, ex rectitudine in qua in eo statu productus fuit Adam: nullatenùs igitur (inquit) potuit perseuerante in suo esse integritate, & rectitudine illius status contingere deordinatio in iuribus inferioribus, nisi secuta priùs deordinatione in dicta superiori portione; huiusmodi tamen deordinatio, cùm carentiam dicat ordinis, & conformitatis ad Deum eius in anima portionis, quæ summa & suprema in ipsa est, nequit esse nisi lethalis, cuius ratio à priori est secundum ipsum prima secundæ quæst. 74. artic. 10. quia quàmuis memorata portio superior duplicem habeat actum circa obiectum proprium, simplicem alterum, alterum verò deliberatum: secundum simplicem tamen non consulit regulas, & leges æternas, sed secundum deliberatiuum dumtaxat, secundum quem solum per consequens mouet, dirigit, & regulat inferiores vires in proprias earum operationes; & cùm in simplici actu, & intuitu nequeat esse lethalitas, tùm quia vt (Caietanus explicat in 1. 2. quæst. 89. artic. 3.) eadem potentia vt simpliciter operans inferior est sibi ipsi deliberatiuè operans, & per consequens quatenùs subordinata superiori impossibilis deordinari, nisi deordinata Superiore. Tùm quia quantùmuis operari posset sine præmotione superioris, nec esset in simplici eius intuitu lethalitas, quia ex eo quòd subitaneè productus, non esset plenariè voluntarius, cuius tamen oppositum requiritur ad lethalitatem actus. Cùm igitur (inquam) nequeat esse lethalitas in simplici operatione, & vt subordinata potentiæ deliberatiuæ, ad quam solam quatenùs talem spectat consulere regulas, & leges æternas, ac immediatè per consequens vniri, & subordinari Deo

quantum ad plenarium vſum libertatis; ipſa etiam ſola, & ſola ipſius operatio capax eſt lethalitatis, & per conſequens ſi contingat, quòd facta conſultatione de obiecto, de quo facienda eſt ab eo deliberatio, & ferenda finalis ſententia per negationem conformitatis ad regulas, & leges æternas deordinatur, quia talis deordinatio ex vi deliberationis eſſet plenariè voluntaria, neceſsariò etiam eſſet lethalis.

Vis igitur & efficacia præmiſſi diſcurſus, quo D. Thomas contendit probare Adam in ſtatu innocentiæ non potuiſſe peccare primò venialiter, in eo principaliter conſiſtit; quòd ſola deliberans ratio ſit ſuprema portio in anima, & quòd non eſt talis, niſi quatenùs deliberans, & quòd quatenùs dumtaxat deliberans eſt immediatè ſubordinata Deo in operando: ſed quatenùs immediatè ſubordinata Deo firmiter, & inuariabiliter ſubdebat ſibi omnes inferiores vires in operando; ergo ſola ipſa potuit tunc primò deordinari, cuius tamen deordinatio, & quatenùs immediata auerſio à regulis, & legibus æternis, & quatenùs plenariè voluntaria, neceſſariò fuiſſet lethalis.

Impugnant aliqui noſtram Propoſitionem, & probant quòd omne peccatũ tunc fuiſset mortale. Fundamentum eorum eſt, quia ſine ignorantia & paſſione fieret: friuolus diſcurſus; quippè datur veniale ex genere ſuo ſine ignorantia, vel paſſione.

Secundò alij probant; quia tunc omne peccatum expelleret gratiam, & iuſtitiam. Friuola eſt hæc probatio, eſt etiam contra bonitatem Dei, qui iuxta commune axioma punit citra condignum, & præmiat vltra condignum.

Tertiò alij probant, quia tunc non poſset eſse veniale ex imperfectione actus, quia nulla eſſet ſurreptio: nam appetitus & imaginatio in nullo rationem anteuerterent, & non datur deliberatio intellectus ſine defectu in appetitu, vel imaginatione; ità Zumel & alij, ſed contrà, quia quando intellectus à ſomno ſolueretur, poſset aliquid ità imperfectè cognoſcere, quod non eſset deliberatio ſufficiens ad mortale.

Valeat quantum poteſt hæc argumentatio, ſaltem nihil probat de peccato veniali ex obiecto.

Quartò alij probant; quia Deus ſtatuit conſeruare hominem

nem in illo statu sine omni malo ani næ, quandiù ipse statum conseruaret. Suadent hoc: Primò, quia tunc nullum fuisset malum corporis; ergo nec animę. Secundò, quia teste Augustino 14. de Ciuit.cap. 10.& 17. in illo statu, nil pœnale esset. Tertiò, oporteret esse Purgatorium, quo venialia purgarentur.

Consequentiæ istę nil conuincunt contra nostram Propositionem. Ad primam, Patres & Scriptura testantur, quòd non essent mala corporis; tamen de malo animæ nil dicunt. Ad secundam, Augustinus illo capit. 10. ait, quòd ibi non erat mors, nec mala corporis valetudo. Adde, quòd deuitatio illa tranquilla in statu innocentiæ benè potest explicari de peccato mortali; quia hoc tantùm est simpliciter peccatum, vel voluit quòd ibi non erat surreptio ad peccandum, idque colligitur ex sequentibus, vbi ait non fuisse vllam perturbationem. Cap. 17. Augustinus tantùm agit de nuditate primorum Parentum, quā ipsi viderant post lapsum. Ad tertiam, nego necessitatem Purgatorij pro eo statu, remitterentur enim venialia per actus bonos, sicut fortè modò ante mortem remittuntur.

Obijcies: si potuit Adam in statu innocentiæ venialiter peccare; sequeretur, quòd potuisset habere errorem iuxta illud: *Errant, qui operantur iniquitatem*; sed hoc est falsum, quia error est pœna supponens culpam. Respondetur negando maiorem: sicut enim de facto primus homo peccauit mortaliter absque errore vel ignorantia, sed ex electione; vt docet Scotus in 2. dist. 22. ità etiam potuit ex electione absque errore vel ignorantia, tantùm, peccare venialiter. Ad illud Scripturæ dico, quòd vel loquitur de errore aut ignorantia tantùm consequente, quæ vt sic est pœna peccati, vel quòd sensus est: omnes illos, qui operantur iniquitatem, errare; scilicet deuiare à Diuina lege.

Oppones: si esset veniale in statu innocentiæ sequeretur, quòd ex reiteratione illorum generaretur habitus vitiosus, qui posteà generaret facilitatem ad malum & difficultatem ad bonum: sed perfectissimus status innocentiæ nullam patitur difficultatem ad bonum, quinimmò prorsus includit facilitatem. Respondetur, estò ex peccatis venialibus replicatis posse generari prædictus habitus vitiosus pariens aliquam difficultatem ad

bo-

bonum; quia tamen in statu innocentiæ plures alij ponuntur habitus boni, hinc de facili posset vinci illa difficultas orta ex venialibus replicatis.

PROPOSITIO III.

Peccatum veniale potest reperiri cum solo peccato originali.

SOlutio præsentis difficultatis totaliter pendet ex solutione alterius difficultatis; an scilicet pueri cùm primò perueniunt ad vsum rationis teneantur se conuertere ad Deum vltimum finem; taliter quòd si prædictam conuersionem non habeant per actum dilectionis vltimi finis, peccant mortaliter. His difficultatibus per duas subsequentes conclusiones fiet satis.

Sit prima: nullum datur præceptum obligans adultum ad se conuertendū meritoriè in Deum vltimum finem in primo instanti vsus rationis. Ità P. Vulpes, Felix, Suarez, Vasquez & alij recentiores impugnantes in hoc Angelicum Magistrum asserentem cum suis sectatoribus, puerum primò peruenientem ad vsum rationis esse obligatum sub pœna lethali ad se conuertendum in Deum finem vltimum. Supponit primò: Conclusio per vsum rationis non intelligi nudum intellectum simpliciter intelligentem, nec nudam voluntatem simpliciter volentem; sed intelligi intellectum discurrentem, & discernentem inter bonum honestum, & malum oppositum: Similiter intelligi voluntatem agentem ex electione,& deliberatione,& vtramque potentiam sic sumptam constituere vsum rationis. Supponit secundò prædictum vsum rationis in homine interdum esse ligatum vel impeditum, vt patet in amentibus, dormientibus & in pueris: Huius ratio est, quia cùm intellectus pro hoc statu dependeat à sensibus non solùm quantum ad abstractionem specierum intelligibilium;sed etiam quantum ad intellectum, cùm nil possit intelligere nisi per connexionem ad phantasmata iuxta illud Aristotelis: *Oportet intelligentem phantasmata speculari*. Hinc fit, vt impeditis sensibus interioribus & exterioribus, impeditur etiam vsus intellectus, & voluntatis; & quia in pueris pro nimia humiditate cerebri impeditur perfecta operatio sensuum interiorum: nam ex illa abundante humiditate pueri, vt infirmiter accipiant, species illas re-

retineant, & infirmiter iudicent de his, quæ apprehendunt;hinc quoque sensus interni non habent firmum iudicium de sensibilibus, nec etiam in intellectu & voluntate reperitur perfectus vsus rationis: hinc loquitur conclusio de pueris adultis peruenientibus ad vsum rationis; in illo scilicet primo instanti non habere præceptum conuertendi se ad vltimum finem. Accedant probationes.

Sit prima: quia tale præceptum se conuertendi ad Deum vltimum finem in primo instanti rationis, vel est id præceptum diligendi Deum super omnia, vel distinctum. Si secundum, deberet necessariò in sacra Scriptura reuelari à Deo, ne via salutis sit nobis incerta, & dubia, quia vt docet Scotus in 2.quæst. Prologi in calce, Deus in sacra Scriptura sufficienter nobis reuelauit Mathæi 11. finem vltimum nostrum supernaturalem, & media ipsum consequẽdi iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; & Lucæ 2. *Hoc fac, & viues*. Ergo prædictum præceptum distinctum à præcepto charitatis debuit nobis à Deo reuelari, nè via salutis fuisset nobis dubia, & incerta: at in sacra Scriptura præceptum nobis non reuelatur, cùm multi Viri doctissimi negent prædictũ præceptum reperiri, quia si constaret, hæreticum esset negare; ergo præceptum conuertendi se ad Deum in primo instanti vsus rationis non datur vt aliquod distinctum à præcepto charitatis.

Quod nec præceptum conuertendi se ad Deum, vt est idem præceptum charitatis, obliget pro primo instanti vsus rationis. Probatur, quia præceptum charitatis obligare pro primo instanti rationis, non constat ex sacra Scriptura, quia hoc est in controuersia apud Theologos; ergo non est de fide. Adde, quòd apud Theologos est controuersia in quonam determinato tempore prędictum præceptum obliget, quando quidem aliqui affirmant solùm obligare in mortis articulo. Alij cùm magnum beneficium à Deo recipitur. Alij semel in anno, scilicet in sumptione annuali Eucharistiæ. Alij cum Scoto docent obligare in diebus festiuis, in quibus præcipitur abstinentia à seruilibus, vt mens commodiùs vacare possit Deo, ipsum diligendo super omnia; ergo certò nobis non constat ex Scriptura prædictum præceptum Charitatis obligare pro primo instanti vsus rationis.

Adde,

Adde, quòd ex aliquo solido fundamento colligi non potest; tùm quia de tali præcepto nullus distinctam cognitionem habet; tùm quia nullus Pastor animarum, vel Parens est, qui de tali præcepto admoneat suos: Nullus etiam timoratæ consciẽtiæ, qui de transgressione talis præcepti confessus sit, neque Confessarius de prædicta ratione inquiret. Adde, quòd de facto nullum reperitur præceptum obligans lethaliter vt peccator post peccatum mortale commissum, sine vlla mora temporis teneatur se conuertere ad Deum; quia vt docet Scotus in 4. dist. 17. artic. 2. supra G. præceptum recuperandi gratiam est affirmatiuum, & consequenter non obligat pro omni tempore; ergo nequit dari præceptum obligans puerum adultum in primo instanti vsus rationis ad se conuertendum ad vltimum finem. Consequentia patet, quia non videtur maior necessitas in secundo casu, quàm in primo; cùm in vtroque casu intelligatur auersio ab vltimo fine.

P. Aluarez negat paritatem: Primò, quia Ecclesia in C. *Omnis vtriusque sexus &c.* declarat præceptum affirmatiuum pœnitentiæ obligare solùm semel in anno, non autem declarat vel determinat tempus adimplendi præceptum conuertendi se ad Deum. Secundò, quia nulla videtur necessitas obligans adultum post peccatum commissum, statim se conuertere ad Deum; reperitur tamen maxima necessitas in primo instanti vsus rationis, in quo tenetur homo sub mortali deliberare se, cùm sit agens propter finem, & ità tenetur se ordinare ad debitum finem.

Sed contrà insurget noster Vulpes; quia quò ad primum quòd dicit Aluarez, malè ipse confundit præceptum annualis confessionis cum præcepto contritionis, & ità non sequitur: Ecclesia in cap. citato obligat ad annualem confessionem; ergo similiter ad præceptum contritionis. Quò ad secundum, malè docet Aluarez nullam reperiri necessitatem obligantem ad pœnam post peccatum commissum; quia quæ maior necessitas, quàm carere Diuina gratia, & subire reatum mortis æternæ? Nec valet disparitas secundò assignata; quia si tenetur homo primo instanti vsus rationis se dirigere ad debitum finem, viuere secundum rationem, acceptare legem euangelicam, illi subiacere &c.

à for-

à fortiori tenetur ad prædicta etiam post peccatum mortale commissum. Patet, quia in vtroque casu, est agens propter finem; ergo in vtroque casu tenetur ad suum debitum finem homo redire, ergo disparitas assignata non valet.

PROPOSITIO IV.

Declaratur perfectio status innocentiæ.

STatus ille erat non omnium, sicut & status gloriæ, sed multorum bonorum aggregatione perfectus; inter alia, quæ præcipuè includebat, erat innocentia, idest interruptio acceptę Iustitiæ, & Sanctitatis, seu continuatio, & perseuerantia in ea: hoc enim est id, quod propriè, & formaliter importat innocentia. Quo fit, vt idem sit dicere nos amisisse in Adam statum innocentiæ, vel innocentiam illius status, ac dicere nos incurrisse priuationem continuationis Sanctitatis, & Iustitiæ acceptæ in ipso: Sanctitatis inquam, non quæ sanctificantem gratiam dicit; sed quæ negationem cadendi ab ea, importat.

Dices, communiter secundum Theologos: Sanctitas importat habitum sanctificantem; ergo falsum est, quòd dicat permanentiam, & perseuerantiam in ea. Confirmatur, quia originalis innocentia dicit habitum, vt patet; ergo etiam & actualis.

Ad hanc instantiam respondetur, quòd & si verum sit Sanctitatem significare, & importare habitum sanctificantem, non tamen præcisè; quia importat aliqua alia, & per consequens primò dicit excellentiam omnium heroicarum virtutum, vel virtutes omnes theologicas, & morales in suo gradu heroico, & ipsarum concursus, ac splendorem in hominem ipsis insignito, vt dicit ac explicat Mayronius in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. Mirum igitur non sit, si dicamus; quòd in citato loco Concilium sess. 5. in decreto de peccato originali, canon. 1. & 2. accipitur pro negatione cadendi ab ea, vel affirmatione permanendi & perseuerandi in ipsa; eò vel maximè, quia ex Tridentino sess. 6. cap. 1. idem est, quòd innocentia quæ ex formali ac primario significato importat negationem interruptionis acceptæ Iustitiæ, & Sanctitatis; eò vel maximè insuper, quia Sanctitas opponitur per se, & formaliter peccabilitati, sicut Sanctus peccatori; ergo

go quemadmodùm peccatum non solùm dicitur formaliter culpam, sed interruptionem etiã Sanctitatis, à quo homo qui pec. cat, per peccatum cadit: ità e-contrà Sanctitas non solùm dicit formaliter Iustitiam; sed interruptionem etiam, seu continuationem illius, vel existentiam atque permanentiam in ea. Vndè quando Adam peccauit cum eo, quod amisit habitum Iustitiæ ori. ginalis, & habitum gratiæ sanctificantis, amisit simul innocentiam, idest vtriusque habitus continuationem, seu permanentiam & perseuerantiam in illis.

Certum est in omnium sententia; quòd innocentia (idest numquàm cecidisse in peccatum) maximum est Dei beneficium, & longè maius quàm sit pœnitentia. Hæc de mente Scoti in 4. dist. 22. quæst. vnic. sub lit. N. singularem ponit & dicit in Deipara Virgine gloriam, & ornatum.

Hanc innocentiam sibi, & nobis perdidit Adam, ea tamen ratione, & lege; vt in huiusmodi innocentiæ amissione perdiderit sibi originalis, simul & Iustitiæ sanctificantis gratiæ habitum, nobis verò originalis, Iustitiæ dumtaxat.

Dices: amisit nobis habitum originalis Iustitiæ; ergo etiam & gratiæ sanctificantis. Consequentia patet, quia nulla potest assignari ratio; cur magis illius, quàm illius habitum nobis amiserit.

Ad huius instantiæ dissolutionem, & euidentiam notandum est; quòd Adam non perdidit nobis nisi ea, respectu quorum constitutus fuit à Deo morale caput & fideiussor pro nobis: fuit autem constitutus fideiussor pro nobis respectu totius status innocentiæ, respectu (inquam) illius status totius non quantum ad omnia simpliciter; quæ in eo Deus præstit in Adamo; sed respectu illorum dumtaxat, quæ veluti propria, & connaturalia illius status exhibuit ipsi. Ea verò quæ propria, & connaturalia fuère status illius, sunt originalis Iustitia, & omnes effectus illius, videlicet immortalitas, impassibilitas, perfecta tranquillitas in omnibus potentijs animæ, quæ consistit in subordinatione rationis, & voluntatis ad Deum, & aliarum inferiorum potentiarum ad ipsas impeccabilitas; posse nempè non peccare, & innocentia, interruptio videlicet acceptæ Iustitiæ, seu permanentia, & perseuerantia in ea.

Hu-

Huiusmodi innocentia, talis (secundum communiorē Theologorū sententiam) ac tanta extitisset in eo statu, vt ferè de facto (hoc sit in gratiam Doctorum probabiliter dictum, siuè præiudicio rationum, quibus probauimus nostram Propositionem) vt nulla penitùs ratione admisisset secum lapsum in veniale peccatum. Hoc ipsum puto posse dici de mente Scoti: nam & si in 2. dist. 21. quæst. 1. mordicùs defendat, potuisse Adam (salua perseuerante innocentia) peccare venialiter; non tamen asserit ipsum de facto lapsurum quandoque in peccatum veniale, salua (inquam) perseuerante innocentia: quia secundum ipsum & secundum veritatem non erat tanta perfectio illius status, vt redderet homines extituros in eo omninò impeccabiles; hoc enim vni, ac soli statui gloriæ competit: & si namque fœlix ille status innocentiæ maximam includeret perfectionem, non tamen omninò possibilem; eam videlicet quam secum trahit, & claudit beatitudo, quæ est comprehensorum status, & terminus: ea siquidem innocentiæ status perfectio non effecisset, quin verè, & propriè status viæ viatorum hominum, videlicet habentium corpora, ab intrinseco, & ab extrinseco passibilia atque corruptibilia, & reipsà obnoxia interioribus, ac naturalibus passionibus causatis ex continua caloris natiui actione in humidum radicale; ad quas passiones de facto vt subsecuta fuisset illorum hominum mors, nisi præuenisset eam è terrestri illo ad cœlestem Paradisum à Deo facta ipsorum translatio. Id ipsum contigisset etiam in actu exteriorum, ac violentum passionum, nisi præuentæ fuissent omnibus illis modis, quos explicat Scotus in 2. dist. 19. quæst. vnica sub lit. A. B. C.

Quantùmuis ergo homines extituri in eo statu, habituri essent corpora impassibilia nec non immortalia; impassibilitas tamen, & immortalitas illa, actus patiendi, & moriendi negationem posuisset in eis: habuissent enim posse non pati ab extrinseco, & posse non mori; non tamen habuissent non posse pati, & non posse mori. Dato etiam quòd ea ipsorum impassibilitas, & immortalitas negationem etiam potentiæ patiendi, & moriendi posuisset in illis; posuisset ad summum negationem proximæ, non autem remotæ, potentiæ patiendi, & moriendi. Indè fa-

ctum est, vt D. Augustinus dixerit corpora hominum futurorum in statu innocentiæ, extitura mortalitati non morti obnoxia: nostra verò corpora mortalitati, & morti; Beatorum autem nec morti, nec mortalitati.

Gloriosum igitur corporum impossibilitas, & immortalitas de mente D. Augustini excludunt ab illis nedum propinquã, sed remotam etiam potentiam ad pati, & corrumpi; à corporibus verò exstituris in statu innocentiæ excludit, propinquam dumtaxat.

Ad huius clariorem notitiam distinguendum est de triplici potentia ad pati, & corrumpi; propinqua, remota & remotissima. Triplex hæc potentia reperitur in corporibus existentibus in hoc miserabili statu, vbi & externis violentibus, ac internis naturalibus obnoxia sunt actionibus. Secunda & prima extitisset in corporibus in statu innocentiæ futuris, prima dumtaxat erit in corporibus gloriosis. Triplicis huius potentiæ distinctio, & ipsius existendi diuersitas in dictis diuersorum statuum corporibus, indè facilè desumitur; quia corpora nostra in præsenti miseriæ statu multiplicibus, & violentis externis ac naturalibus passionibus internis reipsà obnoxia sunt.

Quid ex aeris inclementia, ex temporum iniuria, ex inimicorum inuidia, odio, insidijs &c. Quid ex oppositarum qualitatum in assumptis alimentis diuersis continua pugna, ex perpetua caloris natiui in humidum radicale actione, ex domestica congenitorum venenorum feritate, ex animi iustitiarum sæuitia non patiuntur? Adeò vt verum sit, quod D. inquit Gregorius: *Præsentium hominum vitam nil aliud esse, quàm mortis prolixitatem.*

Corpora verò hominum in statu innocentiæ futurorum, obnoxia quidem extitissent passionibus internis, nedum natiui caloris actiones in humidum radile, & repassionis simul ab ipsa; verùm etiam alijs adinuicem partium organicarum actionibus, & repassionibus, vt Scotus declarat & substinet in 2. distinct. 19. quæst. vnica sub lit. A. Immò potest probabiliter sustineri, quòd etiam tunc aliqua fuissent in eis congenita venena; libera nihilominùs & immunia fuissent ab omnium extrinsecarum passionum violentia, & tandem nec internarum vi actionum morti succumberent, ex terrestri in coele-

cœlestem Paradisum translatione præuenta. Is insuper qui in ipsis ad internas debilitantes, & corrumpentes actiones, & repassiones subsequuntur, esset in eis defectus; statim reparatus fuisset per esum ligni vitæ. Ex his omnibus patet iam, quòd & si innocentium hominum corpora remotam habuissent ad pati & corrumpi potentiam, propinquã tamen omninò à seipsis exclusissent: corpora verò gloriosa nedum, quia nutritione non indigebunt; verùm insuper, quia quatuor subtilitatis videlicet, impassibilitatis, agilitatis, & claritatis dotibus insignientur & decorabuntur, omnem prorsùs & corruptionis vmbram longè abijcient.

Internarum actionum & repassionum cessatio, in ipsis non ponetur in esse, ex eo quòd non assument alimentum: sed ex eo formaliter & adæquatè quòd voluntas Diuina non coaget causis secundis, à quibus pati possent & corrumpi, vti docet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 13. sub lit. D. quod omninò intelligendum est tum de corruptiuis causis intrinsecis, tum etiam extrinsecis; scilicet quòd Deus ne dum intrinsecis, sed extrinsecis etiam corruptiuis causis suum denegabit concursum ingloriosorum corporum corruptionem.

Ex his manifestè liquescit lõgè remotiora futura ab omni passione, & corruptione corpora gloriosa, quàm corpora extitura in statu innocentiæ; nedum quia hæc reipsà obnoxia fuissent actionibus, & repassionibus internis: verùm etiam quia immunitas ipsorum à passionibus extrinsecis non prouenisset ex negatione Diuini concursus cum causis secundis in ipsorum corruptionem, sicut continget, & fiet cum corporibus gloriosis; sed tantummodò ex negatione applicationis & approximationis corrumpentium causarum ad illa, vt Scotus explicat in citato loco 2. dist. 19. quæst. vnica sub lit. C. & D. quibus si reipsà applicatæ & approximatæ fuissent, infallibiliter corrupissent ea: supposito ex alio capite, quòd Deus non denegasset illis causis proprium concursum; stante tamen Diuino beneplacito de non exhibendo illum causis secundis ad gloriosorum corporum corruptionem, quantùmuis scilicet causæ corruptiuæ approximentur, & applicentur ipsis: nunquàm tamen ne minima quidem læsio sequeretur in illis, sicut contigit tribus pueris positis in ca-

camino ignis ardentis,qui quantùmuis vndique igne circumdati extitissent intentissimis flammis; quia tamen decreuerat Deus suũ denegare concursum in ipsorum combustionem, nullam penitùs ex comburente igne læsionem traxère.

Satis superque nunc elucescet corpora gloriosa,nedum propinqua sicut corpora extitura in statu innocentiæ; verùm etiam & remotam potentiam ad pati, & corrumpi ex seipsis abiectura. Retinebunt nihilominùs remotissimam potentiam ad vtramque, illam videlicet, quæ consueuit desumi ex contradictionis potentia,quam materia quomodolibet perfectissima, sub forma existat, inuoluit; vti Scotus demonstrat in 2. distinct. 14. quæst.1.per totum. Et licet Scotus in 3. dist.16.quæst.1.§. *Rationes ista &c.* videtur respuere rationem hanc desumptam ex potentia contradictionis, & priuatione materiæ;non tamen respuit illam absolutè, sed arguendo dumtaxat ad hominem contrà opinantem, vt Sole limpidiùs patet ibidem. Retinebunt etiam dictam potentiam remotissimam, quia certum est nullum ipsa dictura repugnantiam ad pati & corrumpi; cùm posset Deus subtrahere ab illis manutenentiam, & statum miseriæ, vel ad nihilum etiam reuocare & red gere illa.

Dices: Scotus in citato loco quarti dist. 49. quæst.13. sub lit. D. inquit: *Dico ergo, quòd causa impassibilitatis & voluntas Diuina non coagens causæ secundæ corruptiuæ; & per hoc est illud impassibile, non potentia remota, sed propinqua &c.* ergo omninò falsum est, quòd corpora gloriosa excludent à se remotam potentiam ad pati & corrumpi.

Ad apparentem hanc instantiam respondetur primò; quòd quando diximus corpora gloriosa abiectura esse à se remotam potentiam ad pati, & corrumpi, intelligendum est non absolutè, sed relatè ad corpora extitura in statu innocentiæ, sicut suprà probatum est ex eo; quòd corpora gloriosa longè remotiora erunt ab actione causarum corrumpentium, quàm extitura in statu innocentiæ, longè etiam remotiorem retinent ipsa potentiam ad pati & corrumpi, quàm illa.

Secundò respondetur, quòd Scotus in citato loco quarti per potentiam propinquam intelligit remotam, & per remotam remotissimam; sicut nos vtramquè

què superiùs explicauimus, & hoc quia subintelligenda est ibi de mente Scoti ante propinquā, potentia proxima ad pati & corrumpi. Nos ordinauimus tres prædictas potentias incipiendo à prima, scilicet propinqua: Scotus verò incipiendo à proxima, ad quam contexuit propinquam & remotam. Hæc explicatio non parùm habet fundamentum in eodem Scoto in 3. dist. 16. q. 1. sub lit. A. vbi hæc habet formalia verba: *Primo modo, comparando verbum assumens ad naturam gloriosam assumendam; quia potuit accepisse naturam simpliciter gloriosam, & illa nullo modo habuisset causam simpliciter corruptionis &c.* Ponderanda illa verba, *ly nullo modo*, & *ly simpliciter*.

Oppones nobis contra asserta de possibilitate, & mortalitate primorum Parentum in statu innocentiæ. Molinam in tractatu de Opere sex dierum disp. 28. conclus. 3. & 4. existimantem mortalitatem illam prouenturam à quodam habituali dono diffuso per totum corpus humanum, ratione cuius redderetur homo expers mortis & aliarum molestiarum. Probat primò, quia impossibilitas & immortalitas in statu innocentiæ non forent miraculosè, aut ad breue tempus; ergo non prouenirent à solo Deo, sed ab alia causa secunda: Probatur consequentia, quia huiusmodi diuturna opera non consueuit Deus facere sine interuentu causæ secundæ. Secundò probat; quia in appetitu sentiente habebant primi Parentes qualitatem, qua redderentur immortales. Tertiò probat, quia Beati reddentur immortales & impassibiles media qualitate supernaturali corporibus inhærente: hæc enim erit vna ex quatuor dotibus corporis gloriosi, & prę-tereà damnatis confert Deus qualitatem, qua nequeant mori, pati tamen possint; ergo etiam potuit Deus conferre homini in statu innocentiæ qualitatem corpoream, qua corpus efficeretur incapax actionis afflictiuæ, aut destructiuæ. Quartò denique probat, quia in statu innocentiæ mulieres pariturę erant sine dolore, & salua integritate virginali; ergo in corpore mulieris erat qualitas, qua cùm opus esset, sese relaxaret ad conceptum & partum sine vllo dolore, ergo etiam erat, vt esset impassibilis.

Hic tamen dicendi modus non est amplectendus: Primò, quia in statu innocentiæ homo exercet actus facultatis nutrientis;

tis; ergo non poterat habere qualitatem corpori inhærentem, à qua proueniret immortalitas ac impassibilitas. Antecedens est omninò certum, quia in eo statu comederet; cùm ad eum finem creauerit Deus arborum fructus, ipsa sacra Scriptura testante. Et posteri eius non aliter, quàm per nutritionem augerentur, & debitam magnitudinem attingerent: consequentia verò probatur, quia dum homo nutritur, sicut partes alimenti conuertuntur in substantiam alibi, & acquiruntur; ità partes præexistentes paulatim alterantur ab ipso cibo, & naturali calore deperduntur, quod quidem adeò verum est, vt post annorum numerum deperdi soleat, immò secundum alios tota quantitas primogenitæ substantiæ.

Ex hoc autem planè deducitur non fuisse in corpore primorum Parentum corpòream qualitatem, qua immortale, & impassibile redderetur: nam partes, quibus inhærebat, alterabantur; ac proindè patiebantur, & paulatim deperdebantur, vitamque amittebant: non enim habebant qualitatem, quæ morti, & passibilitati obstaret. Vrgetur ratio ex Scoto in 2. dist.19. quia homo constitutus est partibus, qualitates contrarias habentibus, quæ in se necessariò agerent; etenim calor naturalis ageret in humidum radicale. Præterea deberet homo nutriri in illo statu iuxta illud Genesis: *De omni ligno Paradisi comedes*; & hoc fit per deperditionem partium aliti, earumque restaurationem per vim nutritiuam, quæ agendo paulatim debilitaretur per repassionem; nec constat, quòd Deus statuerit miraculosè impedire actiones, & passiones huiusmodi. Hinc dicebamus ad eum statum sufficere, quòd Deus transferret eos ante mortem ad Paradisum, quo sensu forent immortales.

Dices: quòd virtus ligni vitæ redderet homines illius status omninò incorruptibiles non potentes mori, quod adeò verum est; vt etiam si post peccatum esus ligni vitæ permitteretur, manerent, omninò immortales: ità videntur sensisse Ioannes lib. 3. cap.26. Augustinus 6. de Genesi cap.23. & 13. cap.23. Huic sententiæ votum dat Durandus: facit etiam pro hac sententia illud Genesis 3. *Ne fortè mittat manum suam, & etiam sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*. Respondetur tamen Patres tan-

tùm

tùm voluisse immortalitatem conuenire illi statui nō ex natura rei, sed sed ex ligno vitæ & Deo simul prouidente nè morerentur.

Præterea euidens est; quòd lignum non posset eos tueri ab extrinsecis corruptionibus. Propter hoc alij dicunt virtutem illam esse supernaturalem; sed mera fictio est hæc: vndè talis reuelatio? Quinimmò tale supernaturale repugnat, vt suprà probauimus. Dices virtutem naturalem ligni supernaturaliter eleuari ad illos effectus.

Contrà: eleuatio talis si est moralis, idem est ac Deum decreuisse homines illæsos conseruare interuentu fructus illius ligni; sicut decreuit dare gratiam per Sacramenti susceptionem. Si verò dicitur fructum eleuari, ità vt phisicè causet illos effectus, id putamus impossibile; sicut etiam docuimus in materia de Sacramentis in genere, esse impossibile aquam eleuari ad causandum gratiam phisicè.

Ad illud ex cap. 3. Genesis; respondetur verba illa sicut & præcedentia: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*, ironicè esse dicta: certum est enim Adam non fuisse factum similem Deo esu pomi, quinimmò ab eo potiùs amotum. Hinc patet solutio ad ea, quæ nobis opponi solent, & sic restant soluta argumenta Molinæ. Ad quartum ipsius addendum est, licèt mulier in statu innocentiæ paritura esset sine dolore; non esse certum illæsam mansuram, quò ad virginalem integritatem. Et quidem Thomas, Sances lib. 7. de Matrimonio disput. 14. numer. 1. & disp. 113. num. 10. ex sententia Medicorum contendit, quid sit claustrum, seu signaculum virginale; an scilicet sit quædam membrana pellis, quæ per coitum scinditur, seu rumpitur: an potiùs naturalis quædam angustia, seu constrictio.

S. Thomas 1. part. quæst. 98. artic. 2. *Ad quartum*, cum S. Augustino sentire videtur non amittendam in eo statu virginitatem; estò per copulam naturalem filij gignerentur. Valentia disput. 7. quæst. 5. part. 1. *Ad secundum*; non corrumperetur (inquit) claustrum virginale; sed solùm fatetur laxandas & dilatandas illas corporis partes.

Alij autem non solùm sentiunt amittendam virginitatem, vt Molina de Opere sex dierum disput. 29. circa secundum, & Vasquez 3. part. tom. 2. disput. 121. cap. 3. sed etiam non man-

 suram

secundum Deum creatus est, quemque nouiter renati per Baptismaa induunt per Christum, efficit eosdem renatos innocentes immaculatos, puros innoxios, atque Deo dilectos; hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi, ità vt nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur &c. Ità decreuit idem Concilium sessione 5. in decreto de peccato originali: sed non videtur probabile, quòd ea Iustitia, quam Tridentinum asserit Adamum perdidisse sibi & nobis, insigniri posse re & nomine primæ stolæ; quia non videtur continuisse in se omnes effectus, quos vbi suprà Concilium emunerat, vt ex Scoto etiam colligitur in 2. dist.29. quæst.vnica, vbi ponit differentiam inter gratiam sanctificantem, & Iustitiam originalem.

Notandum est insuper Concilium in citato loco sess. 6. cap. 7. non asserere Adamum perdidisse nobis dumtaxat Iustitiam illam, pro qua in Baptismate tribuitur nobis prima stola: sed asserit perdidisse illam sibi & nobis, vt declararet non loqui de Iustitia veluti diuersa, sed velut omninò eadem in Adamo & nobis; atque adeò in decreto de peccato originali per Sanctitatem, & Iustitiam explicuit nobis Iustitiam, seu innocentiam illam, quæ Adamo & nobis fuisset communis secundum eam tamen specialem rationem communitatis, qua accipiens illam Adamus pro nobis, nos etiam accepimus illam in ipso, & cum ipso.

Secunda responsio est; quòd si Sanctitas, & Iustitia non sunt nomina sinonima; sed asseratur Concilium intellexisse per Sanctitatem gratiam sanctificantem; & per Iustitiã, Iustitiã originalem: tunc ante omnia examinandum erit, & inquirendum quando fieri possit vt relatiuum, quo Tridentinum in citato loco sess.5.in decreto de peccato originali bis vtitur, non æquè referatur ad Sanctitatem & Iustitiam; dùm primò inquit: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus; statim Sanctitatem & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse &c.* Secundò, si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo Sanctitatem & Iustitiam, quam perdidit sibi soli & non nobis, etiam eum perdidisse &c. Libenter fateor meã ignorantiam in hoc, cùm ex tenui-

mittendum est in Angelis simile donum, vt Scotus probabiliter sustinet in 2. dist.32. in responsione ad secundum principale 2. Immò primus status ipsorum excessit in perfectione primum statum Adami, quia de mente Scoti in 2.dist.3.quæst. 9. sub lit.H. & indè, ac præcipuè sub lit. O. fuit illis concreata species distinctè repræsentans essentiam Diuinam, in cuius speciei virtute nedum naturaliter, sed supernaturaliter etiam fuerunt beati; eo tamen pacto, quo talis beatitudo afsequi potest in via. Videas, quid dicat in eodem 2. dist. 4. quæst. 1. proponendo primum argumentum principale de naturali Angelorum beatitudine per hanc speciem.

Ex hac doctrina colligitur euidenter bonos Angelos retinere nunc bonum illud naturalis rectitudinis; atque adeò excedere in eo omnem puram animam quantùmuis beatam, excepta Deiparæ anima, cui probabilissimum est collatum fuisse originalis Iustititiæ donum in primo suæ conceptionis instanti.

Citatũ ex Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali testimonium, non dissimulandam subministrat nobis difficultatem; ex eo quòd inquit Adam perdidisse sibi, & nobis Sanctitatem & Iustitiam, in qua constitutus fuerat: si per Sanctitatem, importetur gratia sanctificans; & per Iustitiam, Iustitiam originalem, & ratio difficultatis est:nam & si Adam extiterit morale caput posterorum suorum, quantùm ad rationem, vel conseruandi, siuè perdendi ipsis originalem Iustitiam; non tamen institutus fuit caput morale illorum, quantùm ad rationem conseruandi, vel amittendi sibi & posteris gratiam gratumfacientem: quia quantùmuis accepe-rit pro se, & pro filijs naturaliter ex ipso propagandis Iustitiam originalem; minimè tamen accepit etiam pro posteris suis gratiam sanctificantem: tùm quia Theologorum est nemo, qui id asserat, nisi fortè illi si consequẽter loqui velint, qui nullam admittunt distinctionem realem inter gratiam gratumfacientem, & Iustitiam originalem: nec etiam est, qui asserit nos accepisse in Adam gratiam Sanctificantem, sed Iustitiam dumtaxat originalem; aliàs nasceremus debitores non tantùm originalis Iustitiæ, sed gratiæ insuper gratumfacientis, & per consequens originale pec-

men hoc ea sibi lege præstitum fuit, vt præmissis omnibus positis & concurrentibus, omninò liber & indifferens remanserit ad vtrumlibet operandi videlicet, vel non operandi bonum.

Adam igitur fuit sufficientissimè constitutus in actu primo, nedum ad vitanda omnia peccata, verùm etiam ad semper operandum bonum; ea tamen oppositi conditione, si vellet: in huiusmodi namquè perfectissima sui constitutione in actu primo, relictus fuit à Deo in manu consilij sui, & in plenaria libertate faciendi, quod ipsi magis placuisset.

MONITVM.

Nota, quòd & si ex communi Scholasticorum sẽtentia ij, qui extituri fuissent in statu innocentiæ, cofirmandi erant in gratia post deuictam primam tentationem; quo fit, vt post adeptam victoriam, pacatum obtinuisset Christus Regnũ in eis, quantùm ad exclusionem proxima potentiæ peccãdi mortaliter, non autem venialiter: ex qua doctrina deducitur manifestè duplex intercessisse dissidium inter Deiparam, & extituros in statu innocentiæ quantùm ad gratiam. Primum; quia gratia, præstita Deiparæ ab initio, confirmauit eam in ipsa: gratia verò, quam habuissent homines futuri in statu innocentiæ, non confirmasset eos in illa; nisi post deuictam primam tentationem. Secundum, quia gratia Virginis Deiparæ adeò immobilitauit eam in illa; vt omnem excluserit ab ipsa proximam potentiam peccandi mortaliter, & venialiter: gratia verò futurorum in statu innocentiæ, non exclusisset potentiam peccandi venialiter.

Ex eo etiam capite perfectiùs regnauit Christus in Virgine, quàm in Angelis viatoribus, ac in hominibus futuris in statu innocentiæ; quia probabile est, vt Scotus sustinet in 2. dist. 5. quest. 1. sub lit. G. & quæst. 2. sub lit. N. Angelos fuisse creatos in puris naturalibus, & probabile est etiam de mente Scoti, vt ex testimonio secundo loco citato patet, Angelos malos nunquàm assecutos fuisse gratiam: de primis verò Parentibus maius dubium est, quia Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali, inquit Adamnm perdidisse sibi & nobis Sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fue-

morula, posset fieri quæstio: An ea dispositio habuerit rationem meriti de congruo, an verò de condigno. Quòd habuerit rationem meriti de congruo patet; quia supponitur elicita sine gratia gratum faciente, à qua dimanat, & refunditur in actum omnis condignitas. Contrà tamen est, quia tunc nulla intercederet differentia inter meritum, quo homo peccator contritus mereretur gratiam sanctificantem, & Angeli in puris naturalibus creatum, qui per præstitum sibi tunc speciale auxilium disposuit se ad eiusdem inhærentis gratiæ receptionem; quod tamen videtur omninò falsum: nam sicuti latissima est differentia per habitudinem ad Deum inter hominem peccatorem attritum, & Angelum in præmisso statu productũ & constitutum; ità etiam latissima debet esse inter ipsos differentia in ratione merendi gratiam sanctificantem. Antecedens patet manifestè, quia homo attritus, vt præcisè & formaliter talis, ante videlicet sanctificantis gratiæ infusionem in ipsum, spectatus est Deo inimicus; & indè fit, vt de congruo dumtaxat sanctificantem gratiam mereatur: de congruo inquam, quia quantùmuis summam habeat attritionem, semper gratia sanctificans indebita est ipsi titulo iustitiæ (quia in probabili sententia inter Deum, & creaturam nulla datur Iustitia) licèt sit debita illi titulo fidelitatis, Diuinæ videlicet promissionis, qua misericorditer dũtaxat voluit Deus certiores reddere peccatores, quòd si Diuino adiuti auxilio sufficienter de proprijs ipsorum peccatis attererentur, protinùs sanctificantem infunderet ipsis gratiam. Angelus verò in suis naturalibus creatus, gratumfacientem dumtaxat gratiam excludentibus, includentibus nihilominùs nedum pura ac nuda ipsius naturalia: verùm etiam illa omnia gratuita, seu gratis data, quæ perfecto naturalis Angelicæ vel humanæ rectitudinis statui debentur, inter quæ connumerari potest originalis Iustitia, quæ debita fuit homini in statu naturæ integræ, seu in statu innocentiæ posito; & æquiualens etiam alius habitus integritati naturæ vel innocentiæ, seu primæuæ naturalique Angelorum rectitudini debitus. Veritatem hanc non obscurè Diuina Scriptura expressit de homine producto ac constituto in statu innocentiæ, dum dixit: *Ab initio fecit Deus hominem rectum &c.*

rectitudine importante integritatem dumtaxat naturæ; verùm etiam concursum & concomitantiam reliquorum omniū gratis datorum ad naturalem illius status perfectionem attinentium. Hoc ipsum à fortiori asserendum est de nobiliori natura Angelica; quòd videlicet ab initio produxerit illam Deus rectam vtraquè præmissa rectitudine: Angelus igitur in huiusmodi status perfectione conceptus, & si non sit adhuc filius Regni; non est tamen filius perditionis, sicut homo attritus ante infusionem gratiæ spectatus. Est etiam in eo statu Angelus, negatiuè saltem, amicus & gratus Deo: immò verò (saluo semper meliori iudicio) dici potest, quòd virtute illius doni sibi in sui creatione præstiti æquiualentis originali Iustitiæ & perfectè illius potentias subdentis imperio Diuinæ voluntatis sit Angelus aliquo pacto positiuè gratus & amicus Deo, nedum vt authori naturæ; quia, vt sic est ipsi adæquatè amicus & gratus: verùm etiam & vt authori gratiæ; quoniam primæua huiusmodi Iustitia communiter asseritur à Scholasticis esse donum supernaturale. Nec valet si dicas quòd cùm id nequeant præstare fides & spes, quæ sunt habitus longè supernaturaliores, quàm sit originalis Iustitia; longè minùs id præstare poterit ipsa Iustitia. Consequentia patet, nec non antecedens; quia illæ perficiunt & ordinant habentem ad Deum finem supernaturalem, & supernaturaliter attingendum: & rigorosè propterea ipsæ dumtaxat supremam perficiunt animæ portionem, vt docet Scotus in 3. dist. 26. quæst. vnica sub lit. G. Non valet inquam, si hoc dicas: quia, qui per mortale peccatum amittit gratiam sanctificantem; fit statim filius perditionis, & positiuè Deo inimicus; & per consequens fides & spes, non concurrente cum eis charitate, non habent vndè seipsis reddant aliquo pacto subiectum, in quo sunt, Deo amicum & gratum. Oppositum tamen secundum aliquam rationem videtur dicendum de Angelo, secundum superiùs dicta, creato: nam & si primæua illa Iustitia & rectitudo, non sit forma rigosè supernaturalis, sed secundum aliquam dumtaxat rationem sit talis, vt de Angelica specie distinctè repræsentantem Diuinam essentiam, inquit Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. sub lit. D. existens nihilominùs in subiecto non inui-

so

so & ingrato ; immò naturaliter benè viso gratoque, & in subiecto insuper immediatè disposito ad receptionem gratiæ sanctificantis facit cum eo compositum sic Deo dilectum, vt gratiam sanctificantem in secunda morula, vel in subsequenti instanti ei communicandam, merito longè altioris ordinis, quàm sit meritum merè ac purè de congruo assequatur.

Non est cur reuocari possit in dubium præmissorum meritorũ diuersitas, meriti videlicet de congruo, quo peccator perfectè attritus sanctificantem obtinet gratiam; & meriti, quo Angelus cum ea dumtaxat rectitudinis excellentia creatus, quæ perfectione status innocentiæ Angelorum debetur sanctificantem gratiam, mox post primum instans creationis ipsi exhibendam, assequitur: præfatus enim discursus manifestiùs probat, posterius hoc Angelicum meritum maximoperè merito peccatoris attriti. His tamen non obstantibus non est explicatu facile, in quo propriè & formaliter cõsistat ipsorum diuersitas: nam quantùm memoratur Angelicum meritum longè nobilius sit, quàm meritum peccatoris attriti; quia tamen non ponitur processisse à voluntate, informata charitate, nullatenùs igitur tribui potest ipsi ratio meriti de condigno, ergo non excedit sphæram meriti de congruo. Consequentia patet, quia meritum in communi prima sui diuisione adæquatè diuiditur in meritum de condigno & meritum de congruo: cùm non detur, nec excogitatum sit adhuc aliud meritum ab vtroque præmisso distinctum; ergo non apparet, in quo prædeclaratum Angeli meritum nobilitate præstet merito peccatoris attriti, si formalis vtriusque ratio spectetur, cùm ambo vnius eiusdemque speciei specialissimæ sint: non enim facilis erit negotij distinctionem effingere specierum in meritis de congruo; cùm non appareat, vndè dessumi posset specificarum in eis differentiarum diuersitas: nam si recurrimus ad eos, qui merentur; aut ad illos, de quibus merentur non aliud indè in actus meritorum de congruo refundi reperiemus, quàm vel habitudinum, aut extrinsecarum denominationum diuersitatem: semper tamen inuariata manente, & perseuerante intrinseca ratione meriti de congruo, quæ in eo formaliter consistit, vt condescentiæ dumtaxat ponat in ip-

ſo debitum reſpectu præmij exhibendi; penes quam condeſcentiam ſpecificè contradiſtinguitur à merito de condigno, cui ex Iuſtitia correſpondet, & debetur præmium. Et ſi enim vtrũque meritum debitum importet ad præmium, debitum, tamen, quod ad illud trahit ſecum meritum de congruo, ſecundum quid dicitur: debitum verò quod ad præmij redditionem inuoluit meritum de condigno, ſimpliciter eſt; ſed quod merito de condigno ex Iuſtitia debeatur præmium, non ex eo prouenit, quod debeatur illi ex lege, quia tunc etiam deberetur ex Iuſtititia merito de congruo peccatoris attriti: cùm infinitiès ferè expreſſerit Deus in ſacra Scriptura legem promiſſionis de admittentendo & iuſtificando peccatorem ſufficienter attritum; ſed prouenit ex eo, quòd ex liberali Dei donatione conſtituitur homo iuſtus verè proprietarius, & Dominus ſuorum actuum. Vndè fit, vt is qui opus efficit de condigno meritorum vitæ æternæ, aliquid de bonis proprijs tribuat Deo, cuius intuitu econtrà ex Iuſtitia tenetur Deus retribuere illi vt mercedem & coronam, vitam æternam, iuxta illud 1. ad Tim.4. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus Iudex &c.* Iuſtitiam hanc, Dominium ac proprietatem, quam ſecum trahit & inuoluit meritum de condigno deſertis verbis ex epiſtola Cœleſt. 1. cap. 12. docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. capit. 16. vbi ſic inquit: *Cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona &c.* Clariùs id ipſum definit can. 32. Dominium, ac proprietatem huiuſmodi excludens meritum de congruo, excludit etiam præmij retributionem ex Iuſtitia.

Verùm cur meritum de condigno includat, meritum verò de congruo excludat memoratum Dominium, & in promptu poterit eſſe ratio; quia videlicet homo juſtus ex vi gratiæ ſanctificantis, nedum admittitur ad Dei amicitiam: verùm etiam ad eius hæreditatem, cohæreditatem autem Chriſti, & per conſequens tribuitur ipſi eiuſdem hæreditatis dominium, & proprietas; quia hæres verè Dominus, & proprietarius eſt paternorum bonorum. Contrà verò accidit homini peccatori, qui quantùmuis ſit attritus, nunquàm ante ſanctificantis gratiæ in-

infusionem intelligitur admissus ad amicitiam & hæreditatem Diuinam: & per consequens nullum tunc intelligitur assecutus Dominium & proprietatem propriorum actuum, & per consequens non exhibet tunc Deo acceptum, qui sit proprium eius meritum; ergo non exhibet tunc Deo aliquid, quod sit ei ratio merendi ex Iustitia, ergo nec etiam quod sit illi ratio merendi de condigno gratiam sanctificantem. Iustus demùm operatur vt amicus, & viuum Christi Domini membrum; peccator verò attritus antecedenter ad sanctificantis gratiæ infusionem, operatur adhuc vt inimicus, ac veluti mortuum Christi Domini membrum.

Examinandum est nihilominùs, qui sunt qui mereantur, & pro quibus mereantur; quatenùs hinc elucescat aliquid ampliùs quæ, qualisuè sit inter sese meritorum diuersitas.

Primo loco ponitur Christus Dominus, qui est finis & scaturigio omnium gratiarum, & meritorum. Secundò Deipara Virgo. Tertiò comprehensores. Quartò Viatores iusti, & hoc vel Iustitia seu rectitudine naturali, si defendatur sentententia, quæ asserit nec Angelos neque primos Parentes fuisse creatos & productos in gratia; vel Iustitia, & gratia sanctificante. Quintò viatores peccatores. De Christo Domino verissimum est, quòd quidquid meruit pro seipso & pro alijs, siuè Angelis, siuè hominibus rigorosè de condigno meruit. Virgo Deipara de condigno etiam meruit quidquid pro se ipsa meruit, etiamsi inter ea, quæ meruit, connumeratur Maternitas Diuina, supposito quòd fuerit concepta in gratia; habuit igitur in primo conceptionis instanti principium merendi de condigno, ergo quidquid pro seipsa meruit, de condigno meruit. Sed an pro alijs meruerit aliquid de condigno, dubium est, ratio autem dubitandi in promptu est; quia si de condigno meruit pro alijs, hoc non potuit esse, nisi intuitu & virtute principij merendi de condigno, nempè gratiæ sanctificantis: sed hoc ipsum principium habent in se omnes iusti, siuè comprehensores, siuè viatores sint; ergo omnes iusti de condigno etiam merentur pro alijs. Consequentia falsa est, ergo aliqua præmissarum; non minor, ergo maior: ergo non ideò mereri potuit de condigno pro alijs; quia habebat in se gra-

gratiam sanctificantem. Contra tamen est, quia cùm certum sit condignitatem meriti non posse præcisè reuocari ad personam operantem secundum inclinationem gratiæ sanctificantis, quam habet; aliàs omnes iusti de condigno mererentur pro se, & pro alijs: cùm etiam quando pro alijs orant secundum inclinationem sanctificantis gratiæ, quam secum habent, Deum exorent; ergo necessariò reuocari debet ad aliquod aliud etiam principium, ad Diuinam videlicet voluntatem, quæ decreuit vt habens gratiam sanctificantem, & operans secundum inclinationem illius mereri possit, & mereatur pro se ipso de condigno, minimè verò pro alijs, nisi de congruo. Consequentia patet, quia huiusmodi diuersitas merendi de condigno & de congruo in homine iusto; de condigno pro se, & de congruo pro alijs, non potest penitùs reuocari ad aliud caput, quàm ad voluntatem Diuinam; si homo iustus ex vi vnius & eiusdem gratiæ sanctificantis meretur pro se, & meretur pro alijs; patet etiam, quia ad idem omninò principium reuocatur, quòd Beati mereri possint pro alijs de congruo pro seipsis, tamen nullatenùs nec de condigno, nec de congruo: Scotus enim sustinet probabiliter in 3. dist. 18. quæst. vnica Christum Dominum meruisse nedum per actus partis sensitiuæ, verùm etiam & partis intellectiuæ, & hoc secundum actus vtriusque portionis inferioris & superioris; idest etiam secundum actum beatificum, quod ad nullum penitùs aliud caput reuocari potest, quàm ad beneplacitum Diuinæ voluntatis: sed nulla potest alia assignari ratio, cur voluntas Diuina deuenerit, vt Christus Dominus per omnes ipsius actus meruerit, etiam superioris portionis partis intellectiuæ, nisi quia persona merens erat infinitè dilecta; ergo ex isto eodem capite, quia videlicet persona Virginis Deiparæ & si non infinitè, erat tamen summè dilecta, rationabiliter potuit Deus decernere, vt Virgo Deipara mereretur de condigno etiā pro alijs. Minor subsumpta patet: consequentia etiam patet; tùm quia Virgo Deipara nedum est summè dilecta intensiuè, id. est longè plusquàm quæuis alia creatura: verùm etiam extensiuè, idest longè plusquàm omnes aliæ creaturæ simul; tùm quia secundum probabilissimam sententiam longè plus meruit ipsa

sola,

sola, quàm vniuersæ aliæ creaturæ simul: tùm demùm, quia secundum communiter SS. Patres ipsa est collum corporis mystici totius Ecclesiæ, per quod omnes & singulæ gratiæ dimanantes à Capite Christo transeunt, & transmittuntur in omnia & singula eiusdem corporis membra. Beati, cùm sint in termino & perfectissimè coniuncti vltimo fini, sunt extra statum merendi pro se; non tamen pro viatoribus, vt in confesso est apud omnes Catholicos, & docet Scotus in 4. dist.45. quæst. 4. in responsione ad vltimum principale, dicens: *Oratio enim Beati est dispositio de congruo, vt propter eam Deus concedat illud, quod impetrat illi, cui petit; & istud est meritum non istius pro se, sed pro illo, cui redditur &c.*

Iusti verò viatores merentur pro se de condigno, vel vt Concilium Tridentinum inquit, ac definit sess.6.cap.16.& canon.32. *Verè augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ; si tamen in gratia decesserint consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum &c.* Pro alijs autem non nisi de congruo mereatur, sicut etiam Angeli & primi Parentes in primo eorũ creationis & productionis instanti, si creati & producti fuère in rectitudine naturali dumtaxat, de congruo meruerunt sanctificantem gratiam in subsequenti instanti ipsis præstandam.

Dices in homine iusto merente pro alijs concurrant omnes conditiones necessariò requisitæ ad meritum de condigno, ergo non de congruo; sed de condigno merentur pro illis. Consequentia patet; antecedens etiam patet ex Tridentino vbi suprà sess.6. can.32. vbi docet atque diffinit; *Ideò hominem iustificatum verè, hoc est de condigno mereri per bona opera augmentum gratiæ, vitam æternam &c.* Quia procedunt à voluntate informata charitate & secundum inclinationem charitatis, & dependenter ex influentia meritorum Christi Domini, sed istæ eædem conditiones concurrunt in homine iusto merente pro alijs; ergò iustus de condigno meretur pro alijs. Maior patet ex Tridentino: minor etiam patet; quia certum est, quòd quando iustus orat pro alio ex motiuo, & inclinatione charitatis orat pro illo concurrente semper cum ipsius ratione Christi Domini meritorum influentia. Iste idem discursus à fortiori concludit de comprehensore orante, & intercedente

dente pro alijs: & licet in neutro concluderet condignitatem meriti pro alijs, si actu in mortali existant, quia in eo causa indignitas subiecti excluderet eam ab oratione iusti, nequit tamen id dici; si mereatur pro alio iusto; à quò nedùm omnis semouetur obex: verùm etiam immediata ponitur dispositio ad recipiendum effectum meriti hominis iusti orantis pro ipso. Præterquàm quod puto, quòd si verum esset hominem justum de condigno mereri pro alijs, quantùm esset ex se, & ex parte sua mereretur de condigno etiã pro homine existẽte in peccato mortali; quia & si indignitas eius impediret receptionem memorati effectus, non tamen tolleret de medio illam merendi facultatem, quam ex præfatis causis secum clauderet iustus. Aptum sumi potest exemplum ad hoc declarandum ex virtute producendi gratia, quam Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ secum claudit: nam quantùmuis non causet illam in homine, obicem ponente; & per consequens non dicatur causans gratiam, nihil minùs dicitur, quantum est ex se causatiuum illius ex opere operato.

Nec valet, si dicas; quòd ideò justus non meretur de condigno pro alio iusto; quia susceptio effectus meriti de condigno debet esse voluntaria, quod tamen non contingeret in homine iusto, personaliter distincto à iusto merente, quia iustus personaliter distinctus à iusto merente inuincibilem haberet ignorantiam alterius iusti merentis pro se: nihil (inquam) valet, si dicas hoc; tùm quia si ratio voluntarij necessaria est ex parte suscipientis effectum alterius de condigno merentis pro ipso, erit etiam necessaria ex parte suscipientis effectum alterius de congruo merentis pro eo: quia non est maior ratio de illo, quàm de isto; ergo meritum de condigno, & de congruo non diuersificantur à se inuicem. Consequens est falsum; ergo & antecedens: falsitas consequentis patet, consequentia probatur; quia si condignitas meriti ponetur compleri per voluntariam susceptionem effectus prouenientis ab eo, qui de condigno meretur pro alio: cùm per rationis paritatem, non minùs necessaria sit voluntaria susceptio ex parte vnius; quàm ex parte alterius, pro quibus iustus meretur. Tùm quia & si verum sit, quòd multotiès contingat, iustum; pro quo

alius iustus meretur inuincibilem habere ignorantiam illius iusti, qui meretur pro ipso:benè tamen contingere potest, sicut pluriès reipsà contingit, vt certam habeat notitiam; quòd iste, vel alius iustus orat pro eo. Tum denique quia reipsà datur in aliquibus susceptio effectus meriti de condigno, quæ tamen nullatenùs voluntaria est in ipsis suscipientibus illum, vt manifestè patet in infantibus recipientibus Sacramentum Baptismi, quibus Christus Dominus de condigno meruit & Baptismi, & baptismalis gratiæ communicationem.

Sed quòd iustus orans pro alio iusto non mereatur pro illo de condigno, ad nullum aliud caput reuocari potest, quàm ad Diuinam voluntatem, quæ decreuit puram creaturam non posse mereri de condigno pro alijs; sed pro seipsa dumtaxat. Verùm vbi in sacro eloquio expressum sit huiusmodi decretum non difficulter occurret, eò vel maximè quia cum non obscurè reperitur expressum in Tridentino sess.6.cap.16.& can.32.omninò dicendum est expressum etiã reperiri debere in sacro eloquio; certissimum siquidem est, sacrosanctum Synodum ex Verbo, & ex Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus Catholicas hausisse, ac deprõpsisse veritates, quas declarat atque definit. Veritatem hanc Catholicam, quòd videlicet Dominus meritoriorum actuum Deus ex sua beneuolentia & liberalitate constituerit iustos, quatenùs bonis eorum operibus verè ac propriè de Iustitia retribui debet ęternæ glorię pręmium ex sacris paginis deprompsit, ex illo præcipuè Apostoli testimonio 1.ad Tim. 4. vbi inquit Apostolus: *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidẽ seruaui; in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa iustus Iudex &c.* Conciliũ liquidem tractans vbi supra c. 16. de fructu iustificationis, seu de merito bonorum operum monet, ac statuit proponi debere iustificatis hominibus Apostoli verba 1.Cor.15.& Hebr.6.& 10. *Abundate in omni opere bono scientes, quòd labor non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius &c. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem &c.* Quatenùs de infallibili præmij retributione certiores effecti, frequentiori bonorum operum exercitio incumbant.

DISPVTATIO IV.

De virtutibus hominis in ſtatu innocentiæ.



VIRES humanas, quales erant in ſtatu innocentiæ, per peccatum imminutas eſſe ac debilitatas; veritas indubitata eſt apud Theologos. Probaturque auctoritate D. Auguſtini ſuper illud Pſalmi 50. *Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi &c.* Subinfert Auguſtinus: *Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, atque vitiatum?* Ex Chriſoſtomo Homelia 30. ad Populum Antiochenum; *Ex peccatis duplicia ſunt mala, vnum quidem quòd offendimus; ſecundum verò quòd peiores euadimus.* Idem aſſerunt duo Concilia; Arauſicanum videlicet, & Tridentinum. In Arauſicano c. 1. dicitur; *Si quis per offenſam præuaricationis Adæ non totum; ideſt ſecundum corpus, & animam in deterius dicit hominem &c. Pelagij errore deceptus, aduerſatur ſcripturæ dicenti &c.* In Tridentino ſeſſ. 5. can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam cùm mandatum Dei primum in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim Sanctitatem & Iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe &c. totumque Adam per illam præuaricationis offenſam ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.* Fuerunt ergo vires humanæ per peccatum gratuitis ſpoliatæ. Veritas hæc ſatis probatur, meminendo Conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. definire, quòd Iuſtitia originalis erat perfectio ſupernaturalis, donum gratuitum & excellentia ſuperaddita perfectioni naturali hominis; quemadmodum dicimus diuitias & fœlicitates hominis ſani facere ad tuẽdam valetudinem, & ad præſtantiorem benè viuendi rationem. Pro hac re facit id Lucæ 10. de homine deſcedente ab Ieruſalem in Ierico, incidit enim

in latrones, hoc est in Dœmones, vt Ambrosius ibi exponit; qui etiam expoliauerunt eum bonis gratuitis, Ambrosio dicente: *Hi* (subaudi Dęmones) *ante despoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueuerunt; caue ergo nè antè nuderis, sicut Adam nudatus est, & sic lethale vulnus accepit.*

Maximum propter Adami peccatum incurrit homo damnum, quia originalis Iustitiæ fræno, & gubernaculo priuatus, nedum rationi rebelles habet vires inferiores; verùm etiam veluti naturali impetu propriæ complectionis sequitur impulsum, & motum; vndè fit vt secundum complectionis diuersitatem, alius sit inclinatus ad luxuriam, alius ad superbiam &c. Hominis igitur motus primò primi saltem incipiunt deordinari, & accedente voluntatis consensu reipsà deordinantur tùm ex inferiorum virium inobedientia & rebelliones ad superiores; tùm etiam ex sequela seu potius conformitate ipsorum ad complectionem, vel ad luxuriam inclinantem: Videas ad hoc Scotum in 2. dist. 6. quęst. 2. sub lit. E. In præsenti Disputatione nostrum est explicare vires humanas in statu innocentiæ. Rem claram dabimus beneficio nonnullarum Propositionum, pro quarum clariori intelligentia præmittimus.

DOCVMENTVM.

Varij sunt hominis status.

MAgnus Pater Diuus Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 3. tres status naturæ humanæ solummodò numerauit; scilicet in quo natura humana condita fuit à Deo, in quem incidit per peccatum, & in quem restituitur per gratiam Christi; Caietanns art. 2. & Sotus 1. de natura & gratia cap. 1. & 2. docent in sex statibus hominem considerari posse. Primus est hominis in puris naturalibus, sine peccato scilicet & sine gratia & sine alio dono supernaturali, hunc statum nunquam homo habuit, nec vnquàm habebit: Philosophi tamen naturales crediderunt in eo hominem esse conditum, nec aliud sine Diuina reuelatione intelligere potuerunt. Secundus status est naturæ integræ, qui est status consonus rationi cum vigore scilicet rationis ad vires inferiores continendas sub ipsa ratione. Tertius status est Iustitiæ ori-

originalis, in quo credimus hominem fuisse conditum, qui etiam appellatur status innocentiæ. Quartus est status naturæ lapsæ, in quo homo consideratur per peccatum iam prolapsũ. Quintus est status gratiæ, per quam iustificamur in Christo Saluatore nostro. Sextus est status beatitudinis in Patria.

Status definitur à Scoto in primo dist.3.quæst.3.§.*Sed restat vnum dubium*, quòd sit *stabilis permanentia legibus Diuinæ sapiẽtiæ firmata*; retenta hac status definitione, triplex tantùm humanæ naturæ status fuit. Primus innocentiæ, in quo fuit creata. Secundus peccati & pœnalis, ad quem per peccatum primi hominis deuenit. Tertius est gloriæ, seu termini. Quartus imaginari potest status naturæ puræ cum integritate tamen naturali sine ordine ad supernaturalem finem, siuè intrinseca per eleuationem gratiæ, siuè extrinseca per Dei propositum & electionem. Hic status præter vniuersalem Dei prouidentiam & facultatem naturalem, includit etiam dona naturalis ordinis, vt species & habitus naturales, tàm speculatiuos, quàm morales, subiectionem fomitis, siuè per manutenentiam Dei, siuè per donum intrinsecum, & reliqua omnia quæ collata sunt primo homini, & Angelo præter merum esse supernaturale gratiæ & ordinationis ad gloriam. Quintus status potest esse hominis in pura natura creati cum solis facultatibus naturalibus cōsequentibus eius essentiam, sine alijs donis gratuitis, & sine peccato.

PROPOSITIO I.

Vires humanæ si fierent in puris naturalibus, perspicaciores essent, quàm post peccatum.

CAietanus & Scotus vbi suprà, & Medina in introductione ad tertiam partem D. Thomæ nullam esse differentiam dicunt in ipsis viribus secundum rem, sed tantùm secundum rationem, habereque se sicut se habet homo nudus ab initio, & spoliatus vestibus, quibus erat ornatus, & se defendebat à temporis iniurijs; sicut ergo non est magis nudus, qui est nudus ab initio, quàm qui est expoliatus: ità non est magis destituta natura quò ad potentias naturales post peccatum, quàm si esset in puris merisque naturalibus.

Pro-

Probat Caietanus hanc sententiam, quia destitutio hæc quò ad potentias naturales solùm est effectus per accidens expoliationis & priuationis Iustitiæ originalis sicut remouentis prohibens, de quo dicit Aristoteles 8. Phisicorum cap. 4. quòd est causa per accidens. Sublato autem remouente non solet sequi maior effectus: non enim mouetur graue velociùs, quàm sit eius principium extrinsecum propter hoc, quòd remoueatur prohibens. Confirmat Caietanus, quia manifestum est, quòd corpus post peccatum, non est magis corruptibile in puris merisque naturalibus: certissimum etiam est peccatum non fuisse per se causam mortis corporalis nec rebellionis carnis aduersus spiritum, nec aliorum defectuum corporalium; sed per accidens, sicut remouens prohibens est causa descensus lapidis: quia enim originalis Iustitia impediebat huiusmodi effectus, ideò peccatum primi Parentis per quod ipsa amissa fuit, sublata est causa per accidens istorum effectuum; causa verò per se est contrarietas appetituum sensitiui, scilicet & rationalis: causa autem per se mortis naturalis est resolutio continua, quæ fit ex vi caloris naturalis, qua tandem consumitur humidum radicale, vt docet Galenus lib. 1. de sanitate tuenda cap. 1. circa finem.

Differunt ergo, homo in puris naturalibus, & in statu naturæ lapsæ secundum rationem; quia in puris naturalibus dicta destitutio tantùm est negatio ordinis & rectitudinis potentiarum: post peccatum verò est priuatio, & itá habet rationem pœnæ, sicut ignorantia Theologiæ in eo, qui tenetur illam scire, differt à nescientia Theologiæ in alio, qui eam scire non tenetur, & illa habet rationem culpæ; hæc verò non, quia talis destitutio in natura lapsa, dicitur vulnus naturæ iuxta illud Bedæ super Lucam cap. 10. ab omnibus receptum. *Homo per peccatum spoliatus est gratuitis, & vulneratus in naturalibus.*

Veritas tamen nostræ Propositionis probatur primo auctoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 85. artic. 1. vbi cùm quæsisset, vtrùm peccatum diminuat bonum naturæ; respondet affimatiuè, & dicit: Bonum naturæ humanæ potest tripliciter dici. Primo ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ sicut poten-

tentiæ animæ, & alia huiusmodi. Secundo; quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturę. Tertio modo potest dici bonum naturæ donum originalis Iustitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti naturæ; primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec diminuitur per peccatum: tertium verò bonum naturæ, scilicet ipsa inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum; per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus, oportet autem per hoc quod aliquod inclinatur ad vnum contrarium virtuti ex hoc ipso, quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem.

Concordat in hoc discursu S. Thomæ Alexander de Ales parte 2. quæst. 94. membro 5. articulo 4. in corpore, dicens; quoddam est bonum naturæ, quod potest minui vel tolli per malum culpæ vel pœnæ, & huic bono aduersatur diminuendo vel tollendo: cùm autem diminuit, aliquid est quod remanet, & in illo dicitur esse sicut in subiecto; v. g. anima habet aliquod bonum naturæ, quo est anima, & habet bonum naturæ, scilicet habitudinem quandam naturalem ad bonum moris, vel gratiæ. Nec D. Bonauentura ab his discordat in 2. sent. dist. 30. art. 1. quæst. 1. vbi quærit, an corruptio humanæ naturæ insit à sui conditione, an ex peccati merito? Respondet, quòd non ex sui conditione; sed ex peccati merito, quia à summa æquitate, & Iustitia nulla procedit curuitas, vel obliquitas: sed humana natura non solùm corrupta est corruptione pœnalitatis, verùm etiam corruptione carnis, quæ est corruptio culpabilis; quia videmus homines ex corruptione sibi indita inclinari ad malum &c. Et quæst. 2. ibidem ostendens quòd humana natura meritò trinæ transgressionis fuerit pœnaliter & culpabiliter corrupta, inter alias rationes inquit: *Erubescentia etiam rationis hoc manifestat, nullus enim rationabiliter erubescit de his actionibus; quas habet à natura nisi insit ei per aliquam culpam; sed omnis homo naturaliter erubescit ex genitalium membrorum motu.*

Scotus ipse quoque pluribus in locis nostræ adhæret doctrinę. Accedant rationes ad Propositionem nostram stabiliendam: Diuus Augustinus 15. de Trinitate cap. vltimo inquirens causam,

sam, cur pro statu isto nequeat intellectus videre lucem ipsam acie fixa, vel vt Scotus exponit in 1. dist.3. quæst.3. sub lit.G.& in 2. dist.3. quæst.8. sub lit.I. inquirens causam cur intellectus noster pro statu isto nequeat immediatè, sed solùm dependenter à phantasmatibus intelligere vniuersalia, & sinceras veritates, inquit loquens in se ipso: *Quæ causa cur ipsam lucem acie fixa videre non possis, nisi vtique infirmitas; & quæ causa infirmitatis, nisi iniquitas?* Ex quibus verbis euidenter deducitur, hominem constitutum in puris naturalibus, vel ex mero beneplacito Diuino priuatum originali Iustitia; posse acie fixa videre ipsam lucem, & cognoscere sinceras veritates speculatiuas & practicas naturales, ad quarum cognitionem concludit ipse Scotus contra Henricum in 1. dist.3. quæst.4. non requiri specialem illustrationem; sed sufficere solam generalem influentiam; quia neuter ipsorum eam habere subordinationem & dependentiam, quam pro statu isto experimur in co gnoscendo naturales veritates, quæ dependentia ortum ducit ex illa infirmitate, quam nobis adduxit iniquitas; immò verò sine vlla dependentia & cum communi libertate à phantasmatibus immediatè cognosceret, & fixa & neutiquàm palpitante acie lucem ipsam, hoc est sinceras veritates cognosceret, aliter non sustineret id quod inquit Augustinus: infirmitatem illam in cognoscendo ex iniquitate Adami inuectam esse in posteros eius, & licet Scotus in præcitatis locis videatur reuocare infirmitatem illam, etiam ad ordinem & concordiam potentiarũ; inquit tamen ordinem talem non competere potentijs, nisi pro statu naturæ lapsæ.

Et si dicas, quòd etiam homo existens in puris naturalibus, vel alius ex mero beneplacito Diuino priuatus originali Iustitia, tandem aliquando peccaret, vt patet; ergo tunc essent æquales in concupiscendo immoderatè cum naturali filio Adæ. Ad hec breuiter respondetur, negando in primis antecedens, quia si probabiliter sustinetur posse hominem in statu naturæ lapsæ ex naturalibus suis seruare omnia præcepta naturalia; quantò magis id asserendum esset de homine constituto in puris naturalibus, si verum est id quod suprà de ipso conclusum fuit ad mentem D. Augustini? Respondetur deindè negando consequentiam:

tiam: nam dato quòd homo existens in puris naturalibus, tandem aliquando peccaret, non tamen colligeretur indè æqualitas concupiscentiæ in ipso & in naturali filio Adæ: Tùm quia naturalis filius Adæ habet in instanti suæ conceptionis, quando trahit originem peccatum, causam suæ imbecillitatis in cognoscendo, & homo existens in puris naturalibus nonnisi postquàm perueniret ad annos discretionis, quando posset peccare actualiter, & forsan post multum temporis spatium à puncto discretionis; quia posset, licèt non semper saltem per aliquod tempus conseruare se immunem ab omni præceptorum transgressione. Tùm quia peccatum hominis existens in puris naturalibus non concluderet theologicam, sed solùm moralem malitiam, quando quidem non esset transgressio impositæ, sed naturalis legis dumtaxat; & per consequens non incurreret incommoda, damna, & pœnas illas, quas per peccatum (quod fuit Diuini præcepti transgressio) Adamum incurrisse declarat Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali canon. 1. dicens: *Ipsum vltra Sanctitatem & Iustitiam amissam, incurrisse insuper per offensam præuaricationis iram & indignationem Dei, mortem, captiuitatem sub potestate Diaboli, ac tandem secundum se totum in deteriùs iuisse.* Homo namque in puris naturalibus constitutus nullam amitteret Sāctitatem & Iustitiam, & cùm nullum impositum transgrederetur præceptum, quantùmuis naturalia non seruaret, non incurreret iram & indignationem Diuinam; & licèt mors necessariò sibi cōtingeret vt corruptibilis naturæ conditio, non autem vt pœna contingeret sibi. Nullam etiam incurreret sub potestate Diaboli actiuitatem, quam ex transgressione impositi præcepti Diuini Adamum incurrisse declarat, decernitque Concilium in loco citato; quo fit vt homo existens in puris naturalibus omninò immunis, & liber simul existeret ab vniuersis tentationibus Diaboli, quibus non solùm sollicitari, sed etiam impelli multoties consueuit naturalis hominis pronitas & concupiscentia, quam habet ad appetendum immoderatè delectabilia: immò insuper concupiscentia in puris naturalibus, quia ex peccato non esset, non diceretur ad agonem relicta, quemadmodum in citato loco fatetur Con-

Concilium Tridentinum relinqui in posteris Adam, nec etiam ad peccatum inclinare sub ijs rationibus, quas intendit Concilium ibi; quia non inclinaret ad peccatum, vt sollicita diabolicis tentationibus, & per consequens remissiùs, nec inclinaret ad peccatum, quod esset inductiuum damnorum, quæ canone 1. enumerat Concilium Tridentinum ibidem.

Nec demum homo existens in puris naturalibus, diceretur & secundum corpus & animam in deteriùs commutari, saltem sub ijs rationibus, sub quibus ex præuaricatione sua Adamum commutatum fuisset, fatetur Cõcilium vbi suprà. Quantum ad animæ, vel potiùs quantùm ad potentiarum eius determinationem patet; & primo respectu actuum naturalium, quia vt suprà probatum de mente Augustini, hominem existentem in puris naturalibus non habere in cognoscendo naturales veritates speculatiuas & practicas, dependentiam & subordinationem illam ad phantasmata, quam habet pro statu isto naturalis filius Adæ: Sole limpidiùs lucescit longè perfectiorem, & sublimiorem esse statum animæ hominis existentis in puritate naturæ, quàm hominis existentis in statu destitutæ naturæ, & consequenter esse longè remissiorem facultatem & vsum concupiscentiæ hominis illius, quàm hominis istius: eò vel maximè, quia cùm pronitas appetitus intellectiui non haberet in illo, sicut in isto coniunctionem & connexionem illam cum appetitu sensitiuo, quam peccatum induxit; non haberet tunc, vndè intellectiuus appetitus natus esset condelectari appetitui sensitiuo, sicut natus condelectari sibi pro statu isto, vt pluribus in locis fatetur Scotus: & per consequens nec quasi necessariò pateretur tot titillationes & stimulationes ad actus inordinatos, quod ex vi prædictæ connexionis & colligantiæ cum appetitu sensitiuo sentit & patitur pro statu isto; & per consequens pronitas eius ad concupiscendum immoderatè delectabilia, non esset ità frequens, nec etiam ità vehemens, sicut modò est. Respectu verò actuum supernaturalium puto, quòd non rectè possunt adinuicem comparari; quia cùm homo existens in puris naturalibus, ex vi proprij status nullum diceret ordinem, & habitudinem ad actus supernaturales, nullum etiam supernaturale tribueretur

ſibi auxilium ad illorum productionem : & per conſequens ex vi proprij ſtatus eſſet ſimpliciter impotens ad attingendam ſupernaturalium actuum productionem, ac per conſequens licèt eſſet omni ſupernaturali auxilio deſtitutus, non tamen diceretur quantùm ad hoc commutatus in deterius; quia nec vnquàm fuiſſet, nec ſuppoſito (quòd producendus eſſet in puris naturalibus ſuis) potuiſſet in alio ſtatu, à cuius perfectione dideceretur feciſſe tranſitum in defectum & prauitatem alterius, ſicut contingit Adamo & poſteris eius, licèt poſteri non trāſeant: quemadmodùm tranſiuit Adamus è ſtatu inſtitutæ in ſtatum deſtitutæ naturæ, adhuc poteſt etiam de ipſis propriè verificari, non tranſitus qui reipsà fiat; ſed ſtatus, qui præuenitur ex peccato, quod ſecum ex vtero materno deducunt.

Hinc fit, quòd licèt de nobis optimè verificetur id, quòd ſeſſ. 6. cap. 1. decernit Concilium Tridentinum, hominis videlicet arbitrium eſſe ex vi peccati viribus attenuatum, & inclinatum; quod intelligendum eſt non ſolùm de viribus ſupernaturalibus, & præcipuè de dono originalis Iuſtitiæ, ſed etiam de viribus naturalibus : nulla tamen ratione poſſet illud verificari de homine conſtituto in puris naturalibus; quia cum ex vi proprij ſtatus nullum diceret ordinem ad actus, & ad auxilia ſupernaturalia, non propriè dici poſſet attenuatus, ac diminutus, ſeu inclinatus quantùm ad naturales vires, niſi accipiendo diminutionem, vt coincidit cum ſimplici negatione.

Patet etiam quomodò naturalis filius Adæ, eſſet indè longè deterior quantùm ad potentias corporales homine conſtituto in puris naturalibus, quia puto ego hominem conſtitutum in puris naturalibus non fore ſubijciendum omnibus his incommodis & afflictionibus, quas pro ſtatu iſto patitur, ac ſuſtinet in corpore ſuo naturalis filius Adæ. Ratio eſt, quia omnia incommoda, & cuncta pœnalia fuerunt inflicta Adamo & poſteris eius propter Diuini præcepti tranſgreſſionem, & propter idem commiſſum peccatum fuit etiam eiectus de Paradiſo terreſtri, vt euidenter patet Geneſis cap. 3. vndè non obſcurè colligitur; quòd ſi produceretur homo in puris naturalibus, non deberet habere communem cum poſteris Adami vallem hanc lachryma-

marum, in qua sumus propter primi Parentis peccatum: qua enim ratione deberentur homini constituto in puris naturalibus pœnæ præsentis status, si nullo modo haberet in se culpam illam, cuius intuitu & motiuo huic lachrymarum valli mancipauit Deus Adamum & posteros eius? Omninò dicendum est igitur, quòd homini constituto in puris naturalibus, alius diuersus competeret status ab eo, in quo nunc collocantur descendentes ab Adamo: quòd si verum esset, sicut probatum est, tunc consequenter asserendum foret corpus hominis constituti in puris naturalibus non futurum obnoxium tot violentis passionibus, quot nunc subduntur corpora posterorum Adami; & per consequens longè perfectiores essent in illo corporales potentiæ ac vsus ipsarum, quàm essent in istis, quia non remitterentur, & impedirentur sicut nunc ex violentia extrinsecarum potentiarum: quò fit, vt posteri Adami veluti obrutius violentarum passionum frequentia non possint nunc ità expeditè, sicut posset constitutus in puris naturalibus vti corporalibus potentijs suis & retrahere illas à proprijs delectabilibus. Immò hinc deducitur insuper, quòd etiam si constitutus in puris naturalibus haberet rationales potentias connexas & subordinatas in operando potentijs sensitiuis, sicut habent eas posteri Adæ; adhuc haberet illas expeditiores & validiores, quàm habeant eas posteri Adæ: & ratio est, quia cùm anima rationalis in illo,&in istis penderet in operando à potentijs sensitiuis; eò esset in operationibus intellectiuis expeditior, & validior in illo quàm in istis, quò sensitiuæ potentiæ essent perfectiores & expeditiores in illo, quàm in istis: sed ità esset de facto, sicut probatum est; ergo &c.

Confirmatur, quòd homini constituto in puris naturalibus diuersus competeret status ab eo, qui nunc de facto datus est posteris Adæ; quia data hypothesi, quòd Deus ex beneplacito suo, nullo præcedente demerito, priuasset Adamum originali Iustitia, licèt tunc non fuisset Adamus in eo innocentiæ & perfectionis status, in quo extitisset antecedenter ad ablationem originalis Iustitiæ: non tamen debuisset exui eiusdem ablationis gratis inflictæ, expelli de Paradiso terrestri, & per consequens nec subijci incommodis

ac passionibus, quibus subditus fuit ex vi suæ præuaricationis post eiectionem è Paradiso terrestri; ergo à simili cùm nulla præexisteret culpa in homine constituto in puris naturalibus, quantùmuis denudatus esset originali Iustitia, alius sibi deberet competere status ab illo, qui nunc ex peccato Adami competit posteris eius.

Et si dicas qualis posset sibi competere status, si nec status naturæ destitutæ, nec Iustitiæ naturæ sibi congrueret? Respondendum est, debere sibi congruere statum medium, inter statum institutæ, & destitutæ naturæ, sicut mediam haberet existentiam hominis innocentis & hominis lapsi. Quis tamen & qualis esset medius ille status, Deus nouit; qui nouit etiã quis, & qualis esset homo producendus in puris naturalibus.

Oppones nobis, probãdo quòd vires puræ naturæ non forent fortiores viribus eiusdem naturæ post peccatum. Primò, obedientia carnis ad spiritum fuit in primo homine supernaturalis & gratuita; ergo dempta Iustitia originali, vires humanæ æqualiter fuissent infirmæ, sicut modò. Respondetur dari gradus in obedientia, & quòd plena obedientia carnis ad spiritum, idest sine difficultate mentis regulantis, & sine reluctantia obedientis, fuit gratuita; non tamen obedientia quędam inferior ad hanc, & superior ad obediendientiam præsentis status: sicut enim in corporalibus, qui nunquàm laborauit ex pedibus robustior est ad deambulandum, quàm qui euasit ab ægritudine; ità mens humana antequàm errasset, fuisset perspicacior ad intelligendum, quàm post errores, & voluntas ante electionem mali promptior, fuisset perspicacior ad electionem boni.

Oppones secundò, inordinati motus fuissent in homine, nisi donum supernaturale habuisset; ergo vires humanæ forent ęquales. Respondetur, quòd non fuissent adeò vehementes; sunt autem actiones & vehementiores post peccatum.

Oppones; quis negauit tunc non futuram concupiscentiam transcendentem limites rationis? quis etiam negabit modò concupiscentiam transcendere limites rationis, ità vt captiuari se sentiat voluntas in lege peccati? Respondetur concedendo totum. Addimus tamen, quòd tunc non ità distractus fuisset sensus, vt modò à concupiscentia

tia abstractus & illectus.

Oppones ex nostra doctrina sequi, quòd vigor humanarum virium posset ità minui, vt nihil remaneret de eo, & tunc sequeretur error Lutheri; nempè quòd liberum arbitrium esset de solo titulo, aut etiam titulus sine re. Respondeo, quòd huiusmodi vigor non minuitur per amissionem perfectionis naturalis; sed per appositionem contrarij, sicut vigor vini minuitur per appositionem aquæ. Aduerte, nè hanc similitudinem iuxta limites sine latitudine accipias: aqua enim sufficiens est ad corrumpendum vinum, & non vigorem vini tantùm &c.

Si hoc non placet, dicas inclinationem minui per appositionem impedimenti, sicut inclinatio ad videndum minuitur per appositionem prohibentis lucem: salua tamen naturali energia oculorum.

DIFFICVLTAS.

Vtrùm pueri in statu innocentiæ habuissent in primo animationis momento vsum rationis?

NOta, an nasciturі homines in statu innocentiæ habuissent in ipso animationis momento rationis vsum. Ratio dubitandi est, quia etiam in eo statu habuissent infantuli magnam cerebri humiditatem, & consequenter phantasiam non expeditam ad rationis vsum, & discursum. Hæc ratio adeò conuincit D. Thomam, vt ex ea colligat; quòd immediatè post natiuitatem ex vtero habuissent infantuli rationis vsum, & discursum. Contra tamen est, quia dicta D. Thomæ ratio videtur supponere, quòd in statu innocentiæ notitia intellectiua non poterit haberi nisi per conuersionem ad phantasmata: hoc suppositum, seu fundamentum non est satis certum omnibus Scholasticis, præsertim Scoto in quæstionibus de anima; ergo si esset verum, quòd exstituri in statu innocentiæ non necessariò habuissent notitiam intellectiuam per conuersionem ad phantasmata, esset etiam verum quòd non obstante organorum indispositione, statim in ipso eorum animationis instanti perfectum habuissent rationis vsum, & discursum.

Prætereà D. Augustinus, vt refert Scotus, videtur reducere impotentiam cognoscendi sinceras veritates ad infirmitatem ex pec-

peccato in nobis ſubſecutam;ergo non exiſtente Adami peccato, propagandi tunc ex ipſo nullam incurriſſent infirmitatem, & nullam per conſequens incurriſſent impotentiam cognoſcendi ſinceras veritates : hoc eſt, vt Scotus declarat in primo diſt. 3. quæſt.4. non inuolutas phantaſmatum caligine ex impuritate; ergo independenter à phantaſmatibus, ergo non per conuerſionem ad illa.

Dices, quòd hoc verum eſt poſt adeptum vſum rationis; cuius tamen adeptio contigiſſet determinato tempore poſt natiuitatem ex vtero.

Contra hoc eſt, qua pueruli tunc accedentes ad tempus vel inſtans, in quo perfectum aſſecuti fuiſſent rationis vſum; vel habuiſſent imperfectas illas intellectiuas notitias, per conuerſionem ad phantaſmata, vel non. Si dicatur primum; tunc non poterit aſſignari ratio, cur perfecta notitia intellectiua non debuit eſſe per conuerſionem ad phantaſmata : imperfecta verò ſic, eò vel maximè, quia nec ſtatus perfectio id admiſiſſet;nec explicari poteſt, quo pacto fieri potuerit tranſitus à cognoſcendo obiecta per conuerſionem ad phantaſmata, ad cognoſcendum illa immediatè independẽter per conuerſionem ad phantaſmata.

Præterea primi Parentes in ipſo primo eorum productionis inſtanti habuerunt perfectiſſimũ rationis vſum; ergo etiam & poſteri eorum habere debuerunt in primo ipſorum animationis inſtanti perfectum rationis vſum. Conſequentia patet, tùm quia non poteſt aſſignari diſparitatis ratio: tùm quia ſi ideò à Scholaſticis communiter dicitur, quòd idcircò filij non debuerunt naſci confirmati in ſua Iuſtitia; quia non fuiſſet rationi congruum, vt plus beneficij præſtitum fuerit poſteris in primo ipſorum animationis, quàm Parentibus in primo illorum productionis inſtanti.

Præterea poſteri etiam in primo ipſorum animationis inſtanti tanquàm ij, qui concepti fuiſſent in originali Iuſtitia, & probabiliſſimè in gratia etiam ab eodem primo animationis inſtanti extitiſſent ſine vlla penitùs præcedente ingratitudine, Deo grati & accepti; ergo videtur rationabiliter dictum, quòd tunc cœperint mereri &c.

PRO-

PROPOSITIO II.

Docens in quo differat status Iustitiæ originalis à statu gratiæ gratum facientis.

IDem sonat, ac si diceremus: vtrùm Iustitia originalis sit donum distinctum realiter à gratia gratum faciente. Nos suprà iam examinauimus in propria Disputatione hunc punctum; de nouo tamen reuertimur ad illud punctum, vt respondeamus argumentis aduersariorum.

Prima igitur opinio, quam Sotus lib. de natura & gratia cap.5.dicit esse D.Thomæ 1.par. quæst.95. artic. 1. (licèt oppositum sentiat Caietanus) asserit Iustitiam originalem & gratiam sanctificantem idem esse realiter. Motiua huius sententiæ hæc sunt.

Primò, quia non est ponenda pluralitas sine necessitate, sed non est necesse ponere Iustitiam originalem realiter distinctam à gratia sanctificante; ergo &c. Minor probatur, quia per habitum gratiæ poterat Deus subdere vires inferiores rationi, & rationem Deo; ergo &c. Secundò habitus infusi à Deo in statu innocentiæ sunt infusi iuxta conditionem naturæ humanæ eleuatæ ad finem supernaturalem; ergo Iustitia originalis verificabat in ordine ad Deum finem supernaturalem: sed habitus rectificans in ordine ad finem supernaturalem est gratia. Antecedens probatur, quia natura humana non fuit condita in ratione humanæ naturæ tantùm, sed vt Deo frueretur; ergo omnes habitus infusi fuerunt in ordine ad istum finem. Patet consequentia, quia omne agens agit propter finem; sed finis naturæ eleuatæ fuit ipse Deus, vt finis supernaturalis; ergo habitus omnes omnes fuerũt infusi in ordine ad istum finẽ supernaturalem, atque adeò Iustitia originalis rectificabat animam & corpus in ordine ad Deum finem supernaturalem, qui effectus est gratiæ gratum facientis, ergo distinguitur. Tertiò Iustitia originalis secundum Scotum in 2. dist. 29. quæst. vnica artic. 1. in fine, erat donum supernaturale, ergo non erat distinctum à gratia: si enim esset distinctum; maximè quia illud non erat ratio merendi, vt docet Scotus ibidem in solutione ad quartum; sed solùm erat ratio, vt per illud donum delectabiliter adhæreret Deo voluntas magis quàm alicui sensibili, sed hęc ra-

ratio est nulla, ergo &c. Minor probatur, quia habitus rectificans voluntatem tantùm vt sic, non est supernaturalis, sed naturalis; ergo vel Iustitia originalis non est supernaturalis, quod est contra Scotum: vel si est supernaturalis vltra prædicta debet coniungere hominem cum Deo fine supernaturali; qui est effectus gratiæ gratum facientis. Confirmatur, quia illa forma est supernaturalis, quæ attingit Deum, pro vt in se est: sed Iustitia originalis, quæ secundum Scotum est donum supernaturale vltra hoc, quod est rectificare vires inferiores in ordine ad rationem, & ratione in ordine ad Deum, debet attingere ipsum Deum, pro vt est finis supernaturalis; sed hoc est munus gratiæ gratum facientis, ergo &c.

Verior tamen est sententia Scoti in 2. dist. 29. quæst. vnica ad quartum, vbi expresè asserit Iùstitiam originalem fuisse habitum realiter distinctum à gratia sanctificante, quod etiam sustinet Caietanus quæst. 99. & cum eo debent tenere omnes Theologi affirmantes cum Magistro in 2. dist. 24. hominem fuisse creatum cum Iustitia originali dumtaxat, & deindè consecutum fuisse gratiam. Pro sententia Scoti intelligenda aduertendum est.

Primò secundum omnes Catholicos Prothoparentem nostrū habuisse Iustitiam originalem, nec in hoc est aliqua difficultas; nec etiam inquirimus, an illa Magistri sententia, quam retulimus, sit vera. Item notandum quòd gratia præstantior est, quàm Iustitia originalis, quia perfectiùs nos Deo coniungit, vt ait Scotus vbi suprà, & Gabriel in 2. quæst. 2. quia Iustitia originalis frænabat sensualitatem, & coniungebat Deo vt fini conuenienti & delectabili, sicut dicimus hominem perfectiorem Leone, quàmuis Leo excedat in fortitudine ipsum hominem: itá quàmuis Iustitia originalis in frænando sensualitatem, præstaret gratiæ; quia tamen gratia excedit ipsam in præstantiori proprietate, quia coniungit nos fini vltimo & summè honesto, propter se summè diligendo; ideò gratia præstantior est Iustitia; immò etiam certum est, quòd plus ad bonum inclinat & excitat, quàm Iustitia originalis; quapropter præstantiores & fortiores sunt isti Diuina gratia muniti, quàm fuit Adamus, cùm consideratur sola Iustitia originali

nali exornatus. Item aduertendum, quòd cùm finis Iustitiæ originalis & gratiæ sint diuersi, necessariò ipsi habitus debent esse diuersi: gratia enim ordinat hominem ad finem supernaturalem, Iustitia verò originalis solùm ad naturalem finem; & ideò illa est ad actus supernaturales, hæc verò ad naturales tantùm. Duplex enim defectus in natura humana nuda reperitur, primus, quo homo patiebatur magnam difficultatem in ordine ad suum finem commensuratum; alter, quo nullum opus naturale quodcunque illud esset, poterat gratiam & gloriam promereri: contra priorem defectum, data est Iustitia originalis; contra posteriorem verò gratia. Vt meliùs hoc intelligas.

Moneo vltimò; primum defectum hominis conditi in puris naturalibus sic esset explicandum, quòd scilicet in operando secundum rationem haberet difficultatem, tùm propter infirmum & imbecille corpus, & defatigationem in exercitio virtutum: tùm etiam propter concupiscentiam, & appetitum sensitiuum, quia licet ex natura sua non feratur absolutè in malum, sed in bonum sibi conueniens; tamen quando aliqua de causa illud quod sibi conuenit, non conuenit secundum rationem, ideò dicitur quòd appetitus inclinat ad malum, vt contingit in comedendo carnes: idem appetitus, qui inclinat ad esum carnis in die Iouis, est qui inclinat ad comedendas illas die Veneris; tamen die Iouis non inclinat ad malum, sed in die Veneris. Cùm ergo appetitus sic insurget contra rationem, homo in illo statu difficulter operabatur secundum rationem.

Primus defectus est, quòd per nullum opus potest in illo statu mereri gratiã & gloriam; in statu verò naturæ integræ & benè institutę, in vtroque erat rectificata natura & ad operandum secundum rationem, & ad promerendam vitam æternam; quos duos effectus D. Thomas tribuit eidem habitui, qui simul erat Iustitia originalis & gratia: Iustitia quidem quatenùs rectificabat eã in ordine ad finem naturalem, gratia verò quatenùs rectificabat ipsam ad finem supernaturalem; atque adeò secundum D. Thomam ille habitus appellandus erat simpliciter donum supernaturale.

At verò secundum Scotum munus originalis Iustitiæ tantùm

erat rectificare corpus & animam, ac appetitum sensitiuum ad rationem, & rationem ad Deum finem naturalem; vndè sensibilitas tunc nullam molestiam inferret rationi, nec membra hominum fatigarentur, posseque homo vti illis quoties, & quando vellet, & quia hæc Iustitia concessa Adæ, erat transferenda in posteros; indè originalis dicebatur, quæ cùm tantùm sit ad reformandos defectus naturales, naturale donum & non supernaturale censendum est distinctum à gratia gratum faciente. Accedant rationes pro hac parte: illarum prima sit. Iustitia originalis non erat principium meriti sicut gratia, quæ principium meriti est; ergo erat distincta realiter ab ipsa gratia. Secundò potentiæ distinguntur per actus; ergo actus plusquàm specie distincti, requirunt habitus specie distinctos: sed actus naturales & supernaturales plusquàm specie differunt; ergo & habitus. Tertia ratio desumitur ex Genesi 3. cap. ex quo colligitur hæc dona fuisse realiter sperata, & vnum post aliud in Eua, vt notauit Angles in suis floribus Theologicarum quæstionum super 2. tomum dist. 29. difficult. 4. vbi hac sola ratione Scoti placitum amplectitur, quia Eua statim amissa gratia post peccatum, non continuò amisit Iustitiam originalem; non enim statim sensit inobedientiam, sed amisit illam quando peccauit Adamus, cui fuit donata ratione totius naturæ: dicit enim textus; *edisse, & apertos fuisse oculos eorum &c.* Quartò probatur, quia Iustitia originalis erat habitus rectificans hominẽ in ordine ad Deum finem naturalem: gratia verò rectificans illum in ordine ad supernaturalem finem; ergo non erat idem habitus. Antecedens patet: nam vt optimè docet noster P. Vega lib. 2. de Iustificatione cap. 11. Iustitia originalis data est ad reformandum defectus naturales, & ob id donum naturæ censetur, & quæ ab ipsa in homine fuissent, dicuntur naturalia: nam gratuita ea dumtaxat vocantur, quæ perficiebant in ordine ad supernaturalia, vt gratia & virtutes infusæ. Tandem confirmatur, quia Adamus per pœnitentiam recuperauit gratiã; non tamen recuperauit Iustitiam originalem, ergo non sunt idem habitus, sed alius & alius. Legatur prima Disputatio huius tractatus, in qua opulentissimè de hac re disputo. Descendamus ad solutionem argumẽtorũ.

Ad primum negatur minor, nam Iustitia originalis necessaria est ad rectificandum naturam in suo esse naturali; gratia verò necessaria est ad esse supernaturale, & ad operationem meritoriam. Ad secundum dico, quòd habitus infusi in statu innocentiæ infunduntur iuxta conditionem naturæ eleuatæ suo modo: nam cùm rectitudo supernaturalis supponat rectitutiden naturalem, etiam habitus rectificantes in ordine ad esse supernaturale supponunt habitus rectificantes ad esse naturale, sicut gratia presupponit naturam. Ad tertium dico, quòd loquendo de supernaturalitate in ordine ad agens, & quantum ad modum, sicut oculus ceco restitutus licet sit supernaturaliter, naturalis tàm in se, quam in ordine ad operationem & potentiam passiuam: est tamen supernaturalis quò ad modum, quia à nullo agente nisi supernaturali potuit restitui; ità donum gratiæ originalis simpliciter erat naturale, & donum naturæ secundum se, quia scilicet non attingebat Deum, pro vt in se est, quàm secundum operationem, quia non eleuabat naturam in ordine ad actum meritorium & supdrnaturale, immò etiam erat naturale in ordine ad subiectum, in quo recipiebatur.

Doctrinam hanc explicabam Disputatione prima ex doctrina Scoti in 2. dist.29. vbi quia Iustitia originalis non est principium merendi, vt Scotus ipse docet ibidem, computatur inter perfectiones naturales, non autem naturales: quasi verò consequantur necessariò naturam eorum, quibus exhibentur, vel quòd viribus naturæ valeant obtineri, sed naturales; tùm quia dicuntur congruere toti naturæ, seu speciei; tùm quia exhibentur in ipsa productione omnium, & singulorum indiuiduorum talis naturæ seu speciei. Claram reddet hanc doctrinam id, quod habet Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *Ad quæstionem &c.* vbi examinans, an species essentiam Diuinam distinctè repræsentans, quã asserit præstitam fuisse omnibus & singulis Angelis in primo instanti creationis ipsorum, dici debeat naturalis, an supernaturalis, hæc habet formalia verba: *Et istam speciem repræsentantem essentiam Diuinam intellectui Angelico, non videtur inconueniens ponere intellectui Angeli inditam esse à principio; ità quòd licèt ipsa non sit naturalis intellectui hoc modo, quòd iste intellectus possit ex naturalibus suis eam acquirere,*

nec etiam quòd possit eam habere ex actione alicuius obiecti agentis naturaliter, quia non potest eam habere præsentialitate alicuius obiecti finiti mouentis, nisi essentia Diuina tantùm, quæ nihil aliud à se causat naturali causatione: tamen sicut perfectiones datæ Angelo in sua prima creatione, licèt non necessariò sequantur naturam eius, dicerentur naturales, distinguendo contra merè supernaturales, scilicet gratiæ & gloriæ; ità ista perfectio data intellectui Angelico, qua essentia Diuina esset ei præsens distinctè, licèt abstractiuè, potest dici naturalis & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere: ità quòd quidquid cognoscit Angelus de Deo, virtute huius speciei aliquo modo cognoscit naturaliter, & aliquo modo non naturaliter; naturaliter in quantùm ista non est principium gratuiti actus, nec gloriosi, non naturaliter in quantùm ad istam non posset pertingere ex naturalibus, nec aliqua actione naturali &c.

Originalis igitur Iustitia, & si donum sit supernaturale; quia nihilominùs non est principium merendi, connumeranda erit inter perfectiones naturales. Patet ergo, quo in sensu ista originalis Iustitia sit donum naturale, & sit donum supernaturale.

His præsuppositis, accedant Propositiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO III.

Adamus in innocentia habuit à Creatore plenitudinem scientiæ naturalis, qua potuit cognoscere omnes cognitiones naturales tàm speculatiuas, quàm practicas.

ITa Scholastici in 2. dist. 23. cum D. Thoma prima parte quæst. 94. artic. 3. Patet ex Genesis 2. *Omne quod vocauit Adã, ipsum est nomen eius*. Item Ecclesiastici 17. *Disciplina intellectus repleuit eos &c.* Fauet ratio, quia Adam non tantùm fuit creatus caput propagationis humanæ, sed etiam principium instructionis & doctrinæ; ergo conditus fuit cum ornamento omnis sciẽtiæ, & doctrinæ practicæ & speculatiuæ: vndè primus Parens habuit omnes septem Artes liberales, quia istæ sunt dignæ homini ingenuo, & valdè nobilitant intellectum & animum recreant. Hinc non placet Caietanus in Genesi 2. ipsi denegans cognitionem elementorum, & Cœlorum: nam si Deus eam contulit Salomoni, vt constat Sapientiæ 7. multò maiori titulo

eam contulit Adamo. Habuit prudentiam, & alias omnes virtutes morales; quia sunt consonæ statui fœlicissimo: habuit artes aliquot mechanicas, non quidem omnes; sed eas quæ fœlicitati illius status erant conuenientes, vt agriculturam, & quæ ministrant instrumenta agriculturæ, aliasque oblectationi seruientes: & similiter concedenda sunt eadem scientiarum ornamenta Euæ, de ea enim pari modo agit Ecclesiasticus 17.

PROPOSITIO IV.

Adamus in innocentia accepit à Deo habitum fidei, & per illum cognoscit multa fidei mysteria, & opera.

PAtet ex Ecclesiast. 17. *Creauit illis scientiam spiritus, & lege vitæ hæreditauit illos; magnalia operum Dei vidit oculus eorum.* Ratio est, quia sine tali notitia non potuit comparare finem supernaturalem, ad quem erat conditus: cognouit autem Deum vt Creatorem, vt trinum (vt ait Athanasius in exordio operis aduersus hæreses) vti sanctificatorem & glorificatorem; cognouit hominem esse ordinatum ad finem Dei gratia consequendũ, cognouit gratiam excitantem & gratum facientem, virtutes Theologicas, & esse necessariam obedientiam Diuinæ legis, cognouit Angelorum ruinam, ex qua non parum humilitatis & timoris poterat haurire (vt ait Caietanus Comentario in Genesim) cognouit Verbi æterni Incarnationem, vt inquit D. Thomas 2.2. quæst.2. art.7.

Difficultas tamen est, an Adam in eo statu habuit fidem Christi vt Auctoris summæ gratiæ tunc receptæ: negat Vasquez tom. 1. in tertiam partem disp. 12. cap. 3. Placet opposita opinio affirmans; quia & si Adã ante peccatum non cognouit Christum Redemptorem sui futuri peccati; cognouit tamen vt Auctorem gratiæ, per quam erat consecuturus beatitudinem. Primò, quia fides Christi erat ipsi necessaria ad salutem. Secundò, quia Adam ante peccatum cognouit Christum vti consummatorem gloriæ, & in eum sic credidit. Tertiò, quia in sopore Adam nouit Incarnationem; ergo habuit Christi fidem & amorem, atque adeò gratiam Christi per tales actus promeritam.

PROPOSITIO V.

Homo in stata innocentiæ eguit generali gratia auxiliante, non verò speciali ad cognoscendum omnes veritates speculatiuas & practicas, etiam supernaturales.

QVia cognitio supernaturalis fidei est ordinis superioris, ergo eget superiori excitatione, saltem generali: quòd hæc sit sufficiens absque superaddito alio auxilio gratiæ, patet; quia in statu innocentiæ intellectus hominis esset informatus excellentissimis principijs naturalibus, & supernaturalibus, quibus posset elicere cognitiones & non haberet impedimenta, quæ modò habet, nempè rebellionem passionum, lassitudinem organorum, & facilitatem errandi: vndè homo in eo statu cum breuitate & facilitate, ac voluptate actuales rerum notitias compararet, & hæc est prærogatiua propria illius status, vndè tunc in eum non caderet error ex speciali Dei protectione. Hanc doctrinam supponit Scotus in 2. dist. 6. quæst. 1. ad tertium, & clariùs dist. 22. quæst. vnica, ostendens errorem fuisse pœna peccati, nec peccasse primum Parentem ex ignorantia. Ratio est, quia error de facto est in pœnam peccati secundum Patres & Theologos; ergo in statu innocentiæ non erat futurus. Quod verò hoc erat ex protectione, seu manutenentia Dei, hoc mihi probabilius.

PROPOSITIO VI.

Homo in pura natura constitutus viribus proprijs potest acquirere veritates naturales rerum, quæ applicarentur suo intellectui.

VEritatem præsentis Propositionis docebunt rationes, quibus inferiùs probabitur hominem in statu naturæ lapsæ posse viribus proprijs acquirere veritates aliquas. Addimus, quòd homo in statu naturæ puræ valeret plures veritates ex proprijs cognoscere viribus, quàm homo in statu naturæ lapsæ. Fundamentum habet veritas ista in doctrina Scoti, qui in 2. dist. 3. quæst. 10. §. *Dico igitur*, agens de cognitione Angelorum (ait) non haberi à nobis certam regulam de intellectu An-

Angelico, nisi quòd non congruat ei attribuere omnes imperfectiones, quas in nostro experimur, nec ei denegare perfectionem debitam, seu non repugnantem intellectui creato. Ad rem nostram applicando, & si necessariò non possumus attribuere humano intellectui in statu puræ naturæ perfectionem Angelicam: non debemus tamen denegare aliquid supra cognitionem inferiorem, qualis est sensus; sensus autem tàm abstractiuè, quàm intuitiuè fertur in suum per se obiectum sub ratione propria, quòd in ipso est perfectionis ex genere potentiæ cognitiuæ. Probatur contra Suares putantem easdem esse vires intellectus nostri in statu naturæ lapsæ, quales sunt in statu naturæ puræ: intellectus in statu puræ naturæ acciperet cognitionem immediatè à rebus ipsis, & non defenderet à sensu; ergo tunc plura perfectiùs intelligeret, quàm in statu naturæ lapsæ. Item omnis potentia non impedita potest ferri in suum per se obiectum applicatum: sed substantia v. g. est tale respectu intellectus in statu puræ naturæ; ergo in statu illo posset cognoscere immediatè in se substantiam, quam tamen pro præsenti statu minimè potest in se attingere. Minor probatur, quia obiectum habitus non excedit obiectum potentiæ: sed Metaphysica respicit substantiam secundum rationem propriam; ergo & intellectus. Item anima in corpore glorioso virtute naturali cognoscit res sub ratione propria; ergo id contingeret in pura natura. Dices hoc conuenire animæ separatæ, vel in corpore glorioso ratione status.

Contrà, status non variat naturam; ergo nec virtutem eius naturalem. Antecedens patet, quia est posterius aduenìens: si autem variaretur natura, non esset eadem natura in diuersis statibus; ergo quòd intelligat anima separata immediatè ex rebus ipsis est naturale potentiæ ex natura potentiæ, non verò status &c. Dices in vno statu posse afferri diuersa impedimenta, qualia sunt in pura natura.

Contrà, vnio ad corpus, & operatio sensuum non statuunt hoc impedimentum, alioquin id fieret in statu glorioso in corpore, nec aliud imaginari potest; ergo &c. Dices esse ipsum corpus mortale.

Contrà, corpus mortale fuit in Christo, & tamen cognoscebat omnia in proprio genere, & in-

independenter à sensu;ergo &c. Item naturalis formæ virtus ad agendum non destruitur per eius esse per se subiectum, sed perficitur; nam quod perficit aliud in entitate,perficit etiam in operatione: sed anima est forma naturalis corporis organici, ad quod etiam habet per se appetitum; ergo corpus non tollit perfectissimum modum intelligendi, & connaturalem animæ, talis est cognoscere res in proprio genere independenter à sensu, ergo &c.

PROPOSITIO VII.

Intellectus in pura natura erraret, & falleret sine Dei protectione speciali sibi relictus.

Ratio est,quia subesset passioni appetitus pertusbantis discursum; vnde circa præsentia errare posset: item etiam circa absentia, quorum non haberet species congenitas, aut acquisitas in se,vel in alijs. Deindè indefectibilitas non debetur intellectui creato ex natura sua, sed ex dono Dei; nec intellectus noster ex natura sua potest componere, & discurrere sine erroris periculo. Adde, quòd in natura pura fuissent morbi, & aliæ necessitates corporeæ; atque aliæ occupationes terrenæ, quæ possent impedire veram cognitionem, terrena inhabitatio reprimeret sensum multa cogitantem; ergo de facili posset intellectus in natura pura errare ac falli sibi relictus, & ei non fauente Dei protectione.

PROPOSITIO VIII.

Homo in statu naturæ lapsæ non potest veritates omnes naturales speculatiuas cognoscere.

Supponimus duplex esse verum, alterum naturale siuè practicum sit, siuè speculatiuum; & hoc est illud, quod non excedit lumen naturale nostri intellectus, & continetur in quidditatibus rerum naturalium, vel in primis principijs moralibus. Alterum est verum supernaturale,siuè practicum sit, siuè speculatiuum; & illud est, quod excedit facultatem intellectus humani, vt Trinitas,Incarnatio &c. Nostra Propositio est contra Caietanum, qui in prima secundæ q.109.art.1.loquendo de ordine ad verum speculatiuum,qui non dicit ordinem, seu respectum ad prudentiam & adpracticum intellectum: sed in sola cognitione

ne consistit; dicit hominem ex suis naturalibus posse in hoc statu omnia vera speculatiua cognoscere. Est tamen nostra Propositio verissima, & communis; intelligenda est tamen de potentia non physica, sed morali: physicus enim abstrahit à difficultatibus, quæ in ipso vsu occurrunt, & solùm respicit obiectum secundum se; vndè licèt veritates omnes speculatiuè, etiam collectiuè sumptæ non superent facultatem intellectus humani physicè considerati: tamen si res secundum omnes circumstantias consideretur & moraliter, pro vt in re contingit, non est possibile hominem sine speciali auxilio Dei omnes cognitiones naturales collectiuè cognoscere. Accedant rationes probantes nostram Propositionem; illarum prima sit: Experientia, quia hactenùs nullus homo fuit, qui veritates omnes naturales attigerit; quod autem nunquàm accidit, in moralibus, deputatur impossibile, igitur &c. Secunda ratio est, quia ad perfectionem intellectus speculatiui pertinet cognitio veritatis, & cognitio rei sine vllo errore: sed ad id requiritur puritas potentiarum ministrantium intellectui; ergo cum phantasia æstimatiua & imaginatiua facili negotio decipiantur, & à passionibus & sensibus concutiantur, sequitur in hoc statu hominem non posse omnes veritates naturales collectiuè cognoscere. Adde, quòd nostra cognitio pro hoc statu dependet ex discursu, in quo non breue tempus insumitur; at ingenium laxatur, ità etiam breuius est, & experimentum fallax; ergo si de potentia morali loquamur, prorsus est impossibile veritates omnes naturaliter cognoscere.

PROPOSITIO IX.

Homo potest quamlibet veritatem naturalem diuisiuè cognoscere sine speciali Dei auxilio.

NOn multùm immoror in his Propositionibus citãdo Doctores, & implicando rationes probantes istas nostras Propositiones; quia de illis opulentissimè egi in tractatu de pœnitentia, de viribus liberi arbitrij.

Probatur ergo nostra Propositio. Primò, quia ex solo Dei generali auxilio omnis creata forma habet efficaciam respectu alicuius effectus; ergo pari ratio-

ne lumen intellectus habet efficaciam ad cognitionem alicuius rei, aliàs non esset sufficiens ad verum cognoscendum. Item omnis potentia viribus suis potest ferri in obiectum sibi proportionatum, & connaturale: sed naturalis veritas est talis respectu nostri intellectus; ergo quamlibet veritatem diuisiuè potest cognoscere, præsertim illas, quæ à sensibilibus ortum habent. Monitos tamen volumus Lectores, quòd cùm dicimus hominem posse quamlibet veritatem naturalem sine gratia cognoscere, non intelligitur respectu cuiuscunque hominis: sũt enim aliqui tàm parui ingenij, vt non attingant, nec possint attingere; quæ plerique alij acutioris & promptioris ingenij. Nec etiam intelligitur de quacunquè veritate ex parte obiecti, quia fortè veritas aliqua reperitur, quam nullus intellectus fuit assecutus.

Oppones contra Propositiones, quòd homo sine gratia potest cognoscere supremum ens, quod est Deus; ergo poterit cognoscere omnia alia, quæ inferiora sunt. Immò de gentibus dicit Paulus: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. Et ad Romanos 1. ait: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Item veritates naturales etiam collectiuè sumptæ non excedunt rationem obiecti naturalis, & multò minùs capacitatem naturalem intellectus humani (cùm quæuis potentia naturalis sit proportionata cum obiecto connaturali.) Cùm ergo post lapsum non amiserit homo naturalia, sequitur posse suis viribus cognoscere omnes veritates speculatiuas naturales. Adde, quòd vnaquæque res per suam formam absque aliquo speciali Dei auxilio potest producere actum suæ naturæ proportionatum: gladius enim absque speciali auxilio Dei scindit, & absquè illo ignis comburit; ergo eadem ratione homo per vires naturales rationis poterit veritates sibi proportionatas cognoscere, nisi hominem velis constituere alijs rebus infœliciorem. Adde, quòd intellectus humanus habet inclinationem ad cognitionem omnium rerum (omnis enim homo, inquit Aristoteles, naturaliter scire desiderat) sed naturalis appetitus frustrà esse non potest; ergo &c.

Solutionem dabimus propositis rationibus, præmissis nonnullis argumẽtis; quorum primũ sit.

Pri-

Primò certũ esse debet non posse lumen naturale intellectus humani inclinare ad falsum, cùm sit immediatè à Deo, aliàs Deus nos deciperet, & ad falsum induceret mediante illo lumine; ergo sicut Deus non potest immediatè infundere habitum inclinantem ad falsum, ità nec producere lumen inclinans ad falsum. Hac enim ratione fidei non potest subesse falsum, quia fides immediatè infunditur à Deo prima veritate, quæ nec fallere, nec falli potest; quòd si dicas etiam lumen naturale est immediatè à prima veritate, ergo erit tam certum & infallibile sicut lumen fidei: ea enim de causa lumen fidei infallibile dicitur, quia immediatè est à veritate prima; quæ nec fallere, nec falli potest. Negatur consequentia, non est enim vtrobique eadem ratio: primò, quia licèt vtrunque lumen certum sit & infallibile, præstat tamen certitudo luminis fidei propter maiores causas suæ certitudinis; quoniam vna veritas, vt constat, maior est & certior alia. Et secundò, quia certitudo luminis fidei nobis apertè constat propter exteriorem regulam infallibilem, scilicet Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis: at de lumine naturæ non ita certè nobis constat; cùm multi arbitrentur se ex illo conclusiones elicere, qui tamen sæpè decipiuntur. Nunc descendamus ad responsiones argumentorum.

Ad primum negatur consequentia, licèt enim intellectus possit supremam veritatem cognoscere: imperfectissimè tamen cognoscitur, vbi nullus effulsit radius Diuini luminis aut reuelationis, & hac ratione etiam, imperfectissimè veritates alię cognosci possunt aliquo modo, sub ratione quadam communi; non tamen particulari exactè, & sine ænigmate.

Ad secundum dico, quòd licèt veritates naturales sint omnes commensuratæ & proportionatæ naturæ; nihilominùs necessarius labor ad earum inuestigationem, non est proportionatus viribus humanis. Rem difficilem reddunt defatigatio, & conuersio ad reliqua sensibilia exteriora, & alia multa. Dicimus ergo argumentum concludere de potentia phisica, non autem de morali iuxta explicationem datam superiùs. Ad aliam dicimus concludere de omni vero naturali diuisiuè sumpto non collectiuè. Ad vltimum respondeo, naturalem

appetitum solùm inclinare ad cognoscendum omne verum, quantùm fieri potest : non tamen inclinare ad omnem collectionem moraliter loquendo, sed ad veritates singulas, qua respicit, & in quas fertur vt in rem sibi possibilem, sicut homo naturaliter semper sibi appetit viuere, & licet videatur appetere impossibile, non ità est; quia in quacunque temporis differentia appetit viuere, & non respicit totius temporis collectionem, quod est impossibile : non enim est inconueniens appetere aliquid, quod totum simul collectiuè consequi est impossibile; alioquin visus frustrà inclinaretur in visibile, & visibile est, quia omne collectiuè non potest percipere, aut substinere.

PROPOSITIO X.

Homo in natura lapsa potest aliquas veritates practicas suis viribus cognoscere.

TAngit nostra Propositio difficultatem de veritatibus practicis & moralibus, quę ad rectam institutionem pertinent; an scilicet possit homo omnes illas sine speciali Dei auxilio cognoscere, & loquitur de homine in natura lapsa.

Non posse hominem intelligere omne verum speculabile propter peccatum, apertissimis verbis docuit Ecclesiastes cap. 1. *Cunctæ res difficiles, nec potest eas homo explicare sermone*. Aliquantò inferiùs dicit; *Ego Ecclesiastes fui & Rex Israel in Ierusalem, & proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub Sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea &c.* Ponderandum hìc, quòd dixit inuestigare de omnibus, minùs, quippè est inuestigare aliquantulum de re, quàm rem totam perscrutari; humanum studium ad quid occupatio dicitur, ad quid pessima? hò, idest laboriosa & molesta, vt exponit Hieronymus. Fauet huic discursui Diuus Thomas parte prima quæst. 101. articul. 1. dicens : *Pueri in statu innocentiæ non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisiuissent inueniendo, vel addiscendo &c.* ergo nunc cum difficultate etiam addiscendo peruenimus ad veritates speculabiles. Diuus etiam Bonauentura in primum sententiarum super Prologum Magistri dubio 5. literali inclinat in hanc partem,

partem; comparat quippe spiritualem visionem corporali, & dicit quòd triplex est causa, quare aliquis non videt visibile: vel quia non vult, aut quia si vult, impeditur propter defectum organi, aut propter absentiam lucis, & applicando ad rem nostram dicit hanc prouenire ab absentia lucis; verba Seraphici Doctoris sunt hæc: *Licet enim lux increata se non substrahat quantùm ad essentiam, vel quantùm ad qualemcunque influentiam; substraxit se tamen homini, cùm peccauit quantùm ad influentiam perfectam, vndè dicitur influxisse ei ignorantiam: vndè sicut oculus in tenebris erat, sic hodiè miser humanus intellectus; cùm autem plenè restituetur in lucem, sicut oculus videre potest omne visibile, sic intelligere omne intelligibile.*

Concordat etiam Scotus, nam in secunda quæstione Prologi cùm argumentatus fuisset sic, cognitio necessaria nunquàm defuit generi humano: sed sacra Scriptura non erat in lege naturæ; ergo non est necessaria. Huic difficultati respondens Scotus dicit ad primum argumentum principale: *Ad minorem respondeo; quòd lex naturæ paucioribus fuit contenta; quæ moraliter ad filios per Patres deuenerunt, illi etiam magis erant prædití naturalibus &c.* Ex hoc vltimo dicto infero, quòd modò propter peccata grauiora & plura, attenuatæ sint vires mentis ad intelligendum; ergo & tunc attenuatæ erant, quàmuis minùs: quia sicut magìs ad magìs, ità simpliciter ad simpliciter; nunc magìs attenuatæ sunt qropter peccatum quàm in lege naturæ, ergo in lege naturæ erant simpliciter attenuatæ.

Nec prætereo hìc, quæ habet Scotus in eadem 2. dist. 33. qu. vnica de paruulis mortuis in solo peccato originali; an passuri sint aliquam pœnam damni, vbi tenet nullam pœnam sensus exterioris, nullamque tristitiam esse passuros. Nullam etiam habebunt pœnam interiorem vt tristitiam, quia si tristarentur de statu suo, & tristitia secundum Augustinum sit de his, quæ nobis inuitis accidunt; ergo ipsi inuoluntariè substinerent statum suum, & vellent oppositum, & ità murmurarent contra dispositionem Dei, & ità haberent inordinatam dispositionem voluntatis, quod videtur absurdum, nam sententia Diuina est disposita: *Quòd vbicunque ceciderit lignum, ibi erit*: Ecclesiast. 11.

Igi-

Igitur cùm isti nullam inordinatam volitionem habuerint in isto statu, sequitur; quod nullā tristitiam interiorem habebunt. Alias rationes si quis desiderat, legat Scotum: vtrùm verò habeant pueri aliquam pœnam in intellectu, & quantùm ad cognitionem; subinfert Scotus: *Et si quæratur de eis quantùm ad cognitionem sine assertione, potest concedi, quòd cùm non habeant intellectum impeditum corpore corruptibili in tantum, quantùm noster intellectus impeditur in isto corpore, nec etiam erit impedimentum per tormenta, sicut habebunt damnati; poterunt habere cognitionem naturalem rerum, & hoc de nouo acquisitam, quia hoc non repugnat immobilitati spiritus eorum: cùm hoc non repugnet etiam immobilitati status Beatorum, quod de nouo intelligat aliqua facta contingentia; igitur à simili non repugnat infirmitati status eorum, quæ est in videndo verum, quòd de nouo intelligant aliquod verum necessarium, & ità possint addiscere aliqua vera necessaria de necessarÿs in genere proprio.* Huc vsquè Scotus &c. Ex his verbis habetur, quòd status illorum erit medius, quò ad vires intellectus, inter statum innocentiæ, & statum nostrum nunc: carebunt enim Iustitia originali, & longè viuent, vndè poterunt proficere; carebunt etiam corruptibili corpore, vt dixit Scotus, nimirùm corpore aggrauante & deprimente, quale est nostrum nunc propter peccatum, patet ergo Scotum non discordare à nostra doctrina.

Notandum vnum pro corolario, quòd mens humana in statu naturæ integræ secluso omni dono speciali non potuisset cognoscere omne verum collectiuè pertinens ad ordinem naturæ; ità vt omnium speculabilium simul in particulari habuisset notitiam, quia omnes veritates speculatiuæ sunt ei proportionatæ diuisim non coniunctim, eò quòd est virtus limitata possibilis diuerti à cognitione vnius propter cognitionem alterius &c. Dixi in particulari; quia methaphisicè & in vniuersali non est, neque impossibile, nec inconueniens, cùm talis cognitio sit alìqualis tantummodò &c. Fatendum est igitur; quòd vires humanæ mentis attenuatæ sunt ad cognoscendum verum speciabile infra ordinem naturaliter speculabilium causa peccati. Redeamus ad nostram Propositionem.

Pro cuius explicatione præmittenda est eadem distinctio,

quam suprà proposuimus. Aliud est cognoscere omnia, quæ ad veritates morales, & earum actus pertinent; quòd scilicet quauis posita earum prosequendum, vel fugiendum sit. Aliud verò vnam, aut aliam veritatem cognoscere, quod alijs verbis dicitur: aliud est cognoscere singulas veritates diuisiuè, aliud verò collectiuè. Monemus de his veritatibus duplicem posse haberi cognitionem, aliam imbecillem & imperfectam permixtam; quæ magis dubitationibus, qualis non est sufficiens ad induendam efficaciter voluntatem erga honesta, nec efficaciter euitandam ab inhonestis. Alia est perfecta, & constans, quæ certò & efficaciter sine dubitatione aliqua indicat de honesto & turpi.

Dicimus ergo quòd homo in natura lapsa potest aliquas veritates practicas suis viribus cognoscere. Primò quia dato opposito, sequeretur quòd intellectus humanus ex peccato primi Parentis non esset infirmatus, sed prorsùs abolitus & extinctus, consequens est absurdum; ergo &c. Sequela patet: nam qui ægrotantur, licèt grauiter; possunt tamen aliquas operationes exercere, soli enim mortui sunt, qui nullam actionem habere possunt. Secundò, quia homo suaptè natura est rationalis & politicus; ergo ex viribus proprijs saltem diuisiuè potest habere sufficientem cognitionem moralem ad instructionem rationis. Item quia etiam in natura lapsa cognoscit homo has veritates; *quod tibi non vis, alteri nè feceris*: bonum est prosequendum, malum verò fugiendum, sed ex his principijs moralibus potest colligere & inferre; ergo modò non est adulterandum, ergo nec alienum retinendum, & sic de reliquis, ergo &c. Item ex opposito nostræ Propositionis sequeretur, quòd homo non peccaret, si nec diuisiuè posset cognoscere veritates morales, hoc ostendo; quia nemo peccat in eo, quod inculpabiliter ignorat: sed homo inculpabiliter ignoraret, quid esset agendum; ergo &c.

Probatur etiam nostra hæc Propositio ex Scripturis. Primus locus est Psalmi 4. *Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; scilicet lumen rationis, vt explicat Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 9.

Secundus locus est Pauli ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei ipsius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiter-*

piterna quoque eius Virtus & Diuinitas, ità vt sint inexcusabiles, quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Vndè sic arguo: Philosophi ex D. Paulo cognouerunt cognitione naturali aliquam veritatem practicam; ergo saltem aliquod verum practicum cognosci potest sine auxilio gratiæ. Antecedens probatur: nam cognouerunt Deum esse glorificandum cognitione naturali; dicit enim Paulus à Creatura Mundi per ea, quæ facta sunt &c. & cognitione practica: dicit etenim Paulus propter hoc esse inexcusabiles; quia scilicet Deum non glorificauerunt, cùm iudicarent esse glorificandum. Datur ergo aliqua cognitio naturalis veri practici.

Tertius locus est ad Romanos 2. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Hæc Paulus; vndè omnes Gentiles naturaliter ea, quæ legis sunt facere, quod saltem debet intelligi quò ad aliqua præcepta legis. Quòd si naturaliter, ergo ex naturali dictamine rationis, quod explicatur magis per verba sequentia; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, & ità explicando explicat Chrisostomus, & Theodoretus hic, S. Cyprianus lib. 5. ad Quintum cap. 19. Augustinus lib. de Spiritu & litera cap. 19. Hieronymus in 3. epistola ad Alganiam & alij.

Monemus tamen nostrum intellectum minùs posse viribus proprijs inquirere veritates practicas, quàm speculatiuas; ac proindè in illis incurrit maius periculum, quàm in istis. Est hoc nostrum monitum conforme doctrinæ Scoti, qui quodlib. 18. docet; quòd bonitas tàm moralis, quàm naturalis est aggregatio omnium, quæ ad talis esse integritatem requiruntur: bonum enim ex integra causa, non est ergo bonitas aliquod simplex (non loquimur de passione entis) sed aggregatio naturalis bonitatis in actu dicit conuenientiam cum efficiente, fine, obiecto & forma. Bonitas moralis dicitur aggregatio eorum, quæ conueniunt actui non absolutè; sed secundum rectam rationem. Legatur ibi Scotus. Accedat Ratio pro hoc nostro asserto: tunc dictamen est simpliciter rectum & verum practicè, quandò completè dictat omnia, quæ faciunt ad integritatem moralem actus hic, & nunc; sic enim erit com-

completa regula operandi ipsi volantati. Si deficiat in vno, non est rectum nec verum ex solis principijs practicis, nec ex Conclusionibus, quarum veritates sunt euidentes intellectui; ergo non est tanta securitas non errandi in practicis, quanta in speculatiuis. Minor probatur, quia prima principia sumuntur à solo fine; intellectus autem solum sillogizatur tantùm à fine ad media, seu ea quæ sunt ad finem, vt rectè Scotus in 2. dist. 6. qu. 1. ad primum, & 3. dist. 36. §. Etiam istud docens prudentiam procedere à fine ad media: sed rectitudo completa moralis non est à fine tantùm, nec ex his quæ sunt ad finem; ergo quantumcunque dictamen possit esse rectum circa finem & media, potest adhuc contingere error circa formam actus circumstans vlteriores &c. Veritates autem speculatiuæ non dependent ab huiusmodi extrinsecis, sed solùm à principijs & terminis ritè dispositis. Adde quod dictamen morale est circa materiam virtutis exercendæ, quæ in arduó consistit, atque difficili repugnantibus concupiscibili & irascibili, ex quarum passione facilè turbatur ratio circa bonum in particulari, atque circumstantias, quæ ex principijs finis non habent euidentiam; ergò potest contingere error ex inconsideratione omnium, quæ ad rectitudinem operis faciunt, ex mutabili conditione tàm operantis, quàm circumstantiarum: vndè oritur varietas, & indè fit, vt ea quæ in vno loco & tempore conueniebant, alijs non conueniant. Nostrum ergo dictum maximè verificatur in prosecutione boni, in fuga autem mali minùs reperitur; quia vndecùmque ostendatur rationali, sufficit vt intellectus sine errore dictet esse abstinendum ab opere simpliciter, quantùmuis aliquæ conditiones eius ignorentur, siuè bonæ, siuè malæ.

Oppones probando hominem pro isto statu non posse sine speciali Dei auxilio aliquam veritatem moralem cognoscere. Primò, quia homo per peccatum traxit ignorantiam rerum agendarum, & non potest eam à se repellere viribus proprijs; ergo indiget speciali Dei auxilio, vt cognoscat quid fugiendum sit, quid verò prosequendum. Consequentia patet: Antecedens verò probatur ex D. Augustino lib. 1. retractationum cap. 9. dicente: *Ad miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantiæ difficultas,*

tas, quam homo patitur ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo quisquã liberatur sine Dei gratia. Idẽ docet lib.6.contra Iulianũ,& lib. de Baptismo paruulorum cap.1. Respondeo infirmitatem naturæ in eo consistere, quòd non omnes veritates collectiuè potest attingere; & ideò petimus à Deo, vt sua gratia supppleat, quòd natura ipsa præstare præcisè nequit. Quare argumentum probat non posse hominem suis viribus sine speciali auxilio certum habere iudicium, & directionem de eo, quid faciendum sit in omni euentu circa mores: Nihilominùs potest homo lapsus diuisiuè verum aliquod morale cognoscere. Ad argumentum dicendũ, quòd loquitur de intellectu pro vt subijcitur prudentiæ, quæ supponit in appetitu virtutes omnes morales: nam virtus huius prudentiæ est fixè se habere ad appetitum rectum, & hæc explicatio est Caietani vt suprà; cùm ergo per peccatum appetitus factus sit rebellis, pariter intellectus ignorantiam incurrit & destitutionem habet cognitione directiua siuè in exequendo & operando: hinc est, quòd non potest aliquando non errare in tali cognitione. Ad pleniorem intelligentiam.

Moneo, quòd homo pro statu naturæ lapsæ non potest sine noua gratia, & noua illustratione Dei habere certam & constantem cognitionem omnium veritatum, quæ ad vitam studiosè dirigendam pertinent. Itàque non potest homo habere directiuum iudicium quid faciendum sit, quid verò fugiendum in omni re ad veritates morales pertinente; atquè adeò non potest omnes illas collectiuè cognoscere. Hanc defendit Durandus, Aegidius, D.Bonauentura. Legatur noster P. Vega super Concilium Tridentinum cap.12. & 13. fauet sacra pagina nostræ doctrinæ, vt euidenter patet ex illo Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ &c.* hoc est nostra iudicia de moralibus rebus agendis sunt nobis incerta & ignota: & reddit continuò rationem, dicens; *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et Ecclesiastes 1. *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* Quibus testimonijs Sapiens apertè dicit iudicia nostra incerta esse & fluctuantia errore & falsitate permixta, ius causa est commercium animę cum corpore, & falsitatis rebellio con-

con-

contra rationem. Fauet ratio, quia ad non errandum indiget homo diligentia non parua, & ordinatione appetitus; & licèt in singulis operibus possit attendere, non tamen omnibus collectiuè: laxatur enim animus, & distrahitur pluribus intentus; ergo moraliter est impossibile, vt homo aliquando non decipiatur, immò hoc est vulnus ignorantiæ, quod incurrit homo per originale peccatum. Confirmatur, quia in hoc differt homo sanus ab ægroto; quòd ille potest suum munus integrè & perfectè exercere, hic verò minimè: sed munus intellectus huiusmodi in vnaquaque re agenda sine errore videre & cognoscere, quid bonum sit aut malum; ergo cùm intellectus pro hoc statu æger sit & infirmus, sequitur quòd per se non potest integrè & perfectè hoc officium exercere, atquè adeò indiget speciali Dei auxilio.

Nec potest homo in statu naturæ corruptæ cognoscere sine auxilio gratiæ omne verum morale, docet Bellarminus tom. 4. lib. 2. de gratia & lib. arbit. cap. 3. in responsione ad quartam rationem. Curiel hìc dub. 2. §. Tertiò. Vt res planè percipiatur.

Suppono totam difficultatem sitam esse in hoc, vt assignetur differentia inter verum speculatiuum & morale: nam cùm vtrumque sit verum naturale, atque adeò intra obiectum potentiæ naturalis non videtur maior ratio, cur potentiæ naturalis possit tendere (in multorum sententia) in omne verum speculatiuum, & non possit in omne verum practicum. Quæ differentia vt assignetur, suppono intellectum practicum dici per ordinem ad praxim, scilicet ad actionem; vndè fit vt à voluntate, cùm obiectum non est euidens, magis inclinetur ad vnam partem, quàm ad aliam: nam quòd voluntas inclinetur ad aliquem finem, aliqualiter trahit etiam intellectum ad assensum; quòd talis finis sit prosequendus. In quo sensus est axioma Aristotelium, qualis quisque est, talis ei finis videtur; scilicet iuxta propriam inclinationem. Iam probetur nostrum dictum.

Iudicium practicum rectum pendet maximè à rectitudine voluntatis, quæ intellectum iuxta propriam inclinationem non deflectat à vero: sed hæc rectitudo voluntatis haberi non potest, saltem in omnibus sine auxilio gratiæ; ergo iudicium pra-

cticum veri non poteſt haberi in omnibus ſine auxilio gratiæ, & ſic patet diſparitas inter verum ſpeculatiuum & practicum: nam primum non pendet à voluntate, & etiam voluntate deuiante ad malum, poteſt intellectus per ſe loquendo verſari circa bonum ſpeculabile, quod parùm refert ad voluntatem; an ità ſe habeat. Contrà verò non poteſt circa omne verum practicum, quia cùm hoc ordinetur ad praxim, ſeu actionem imperandam à voluntate; maximè pendet à bona inclinatione voluntatis, quæ haberi non poteſt in omnibus ſine gratia.

Oppones ſecundò, quòd Sancti petunt à Deo, vt illos illuminet, petuntque huiuſmodi cognitionem iuxta illud Pſalmi 142. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem*. Et 118. *Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua &c.* Et Sapientiæ 9. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam &c.* ergo non poteſt illam viribus naturæ homo cognoſcere, aliàs fruſtrà illam peteret homo. Simili argumento vtitur Auguſtinus contra Pelagium. Reſpondetur eſſe donum ſingulare, quòd Deus ſuo ſpeciali auxilio hominem adiuuet ad cognoſcendas veritates naturales; vt certiùs & expeditiùs, & abſque erroris conſortio veritates omnes cognoſcat. Quapropter S. Thomas 1. par. quæſt. 1. artic. 1. oſtendit fuiſſe neceſſarium, vt aliqua quæ ratione naturali poſſunt cognoſci, nobis proponerentur per fidem credenda, & Diuina nobis reuelatione innoteſcerent; vt certiùs, expeditiùs, & abſque erroris periculo veritates cognoſceremus.

Oppones tertiò, non poteſt homo cogitare ſine ſpeciali auxilio aliquod bonum ſecundum illud Pauli 2. Corinthior. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*. Et ad Romanos 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram; ergo ſine gratia non poſſumus cognoſcere quid volendum, vel nolendum ſit*. Eodem vtitur Auguſtinus lib. de gratia Chriſti, & de peccato originali; & præcipuè confirmatur ex inſigni teſtimonio Auguſtini ad Sixtũ Preſbyterum dicentis: *Rectè velle, rectè ſapere, rectè intelligere nemo poteſt; niſi habuerint ſpiritum ſapientiæ & intellectus*. Reſpondetur teſtimonia illa intelligi debere de veritatibus ſupernaturalibus; videlicet de cognitione, & cogitatione conducente ad finem ſupernaturalem. Vndè Concilium Arauſicanum ait: *Si*

quis

quis dixerit per naturæ vires hominem cognoscere aliquod verum, vel bonum quod pertineat ad vitam æternam, hæretico fallitur spiritu; quia non intelligitur illud Ioan.6. Sine me nihil potestis facere. Et idem nouissimè in Concilio Tridentino sess.6. cap.1.2. & 3. vel possunt etiam intelligi non de cognitione alicuius veri diuisiuè: sed de cognitione totius veri collectiuè, vt patet expresè ex ijsdem Concilijs, & eandem solutionem habet secunda confirmatio ex Diuo Augustino.




DISPVTATIO V.

De productione primorum Parentum.

PROPOSITIO I.

Adam fuit immediatè productus à Deo, ex quadam mixtura terræ, & aqua.



IDETVR colligi ex ipso Genesis textu, vbi leguntur hæc verba: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*; & verisimile foret, quòd vniuersorũ Creator corporis humani simulachrum priùs effecerit, posteà verò sufflauerit in eo spiraculum vitæ, rationalem dumtaxat creando animam; itàque luteum corpus illud priùs extitit carneum, quàm anima fuerit infusa, idque totum in ipso temporis momento. Verisimilius est mihi, quòd Angeli, concursum haud habuerint ad humani corporis efformationẽ, licèt aliquo functi fuerint ministerio; sicut exempli causa terram hinc indè colligendo, veluti quoque continget in carnis resurrectione, cineres nimirùm colligendo vt homines resurgant.

Inferes Adamum eiusdem fuisse speciei reliquis cum hominibus: at homines isti ex quatuor componuntur Elementis; ergo & Adam. Respondetur, Adam etiam in facto esse ex quatuor componi elementis, veluti de facto componuntur homines cæteri, etiamsi in fieri sic minimè fuerit: id verò haud foret necesse, sicut ait Scotus in 2. dist. 18. lit. K. per Diuinam enim virtutem mixtum produci valet vnico ex elemento; itàque solùm ex aqua pisces fuère producti.

E limo terræ fuit æquum formari corpus Adami, quia medium adhibere quoddam cõueniebat ad elationem reprimendam ac superbiam, quam habere poterat Adam ex innumeris naturalibus, nec non superna-

turalibus bonis, quibus à Deo decoratus extitit.

Poteris opponere: si ex nihilo corpus Adæ productum fuisset, in illius productione magis appareret omnipotentia Diuina, quoniam maiori opus est virtute ad productionem rei ex nihilo, quàm ad productionem rei ex præsupposito subiecti; ergo Adami corpus ex nihilo produci magis conueniens erat, quàm ex terræ materia. Antecedenti concesso, consequentia negatur: etenim quàmuis ad productionem corporis Adæ ex nihilo, magis apparet omnipotentia Diuina; quoniam ad maiorem omnipotentiæ Diuinæ manifestationem ex vna parte haud opus erat ex nihilo producere corpus Adæ, cùm sufficienter in animæ rationalis productione satis manifestata fuerit, & congruum fuerit ex altera parte illud fieri ex terræ materia, ergo &c. Inquies cæterorum corporum nobilissimum esse corpus humanum, cùm ad formam ordinatam sit nobilissimam, rationalem videlicet animam; igitur conueniens fuerat ex nobiliori materia fieri, non autem è terræ limo. Antecedens concedendo, negatur sequela; quòd enim ex hac, vel illa materia, corpus componatur, ad maiorem haud conducit perfectionem aut eius nobilitatem, neque ad minorem: nam corporis nobilitas, à materia non prouenit, sed forma; lapis enim & aurum eiusdem rationis habent materiam (siquidem cunctis in sublunaribus eiusdem speciei est materia) & nihilominùs eiusdem non sunt nobilitatis: vndè cùm ex vna parte corpus humanum fieri ex materia corporis cœlestis, ignis, vel alterius corporis perfectioris, ad maiorem illius nobilitatem minimè conducat; ex altera verò parte ad humiliandum hominem, decebat ipsum fieri è limo terræ, licèt perfectissimum sit corpus: magis attamen conueniebat ex ea materia terræ, ipsum efformari, quàm ex alterius perfectioris corporis materia.

PROPOSITIO II.

Congruum erat ex aliqua parte Viri, mulierem fieri.

HVius Propositionis probat veritatem, quia exinde hominis dignitas demonstratur; ergo eapropter congruum fuit. Probatur antecedens ex hoc; quia omnium mulierum prima à

Viro

Viro fuit desumpta, prouenit Virum esse naturæ humanæ principium, nec vllum etiam esse indiuiduum illius, quod ab ipso principiatum non fuerit; veluti verò Dei dignitas apparet in eo, quòd rerum omnium sit principium, quòd etiam nil existat quòd ab ipso minimè proueniat & initium sumat; ità Viri dignitas proportionabiliter apparet in eo, quòd naturæ humanæ sit exordium; ergo congruum fuit, quòd omnium mulierum prima fieret ex aliqua viri parte, manifestandi gratia hominis dignitatem. Addas insuper hoc conducere, vt inter virum ac mulierem faciliùs seruetur mutua dilectio: debet enim homo naturaliter inclinari ad amandum seipsum ac omnem sui partem, cùm verò mulier sit pars à viro desumpta, ad ipsam diligendam naturaliter inclinari debet; mulier etiam reciprocè inclinari debet naturaliter ad virum amandum, cùm sit pars ipsius. Fuit ergo Eua producta ex vna costa Adæ.

Inferes, ergo Adam portentosus homo existit, quòd duplicem habuerit costam. Difficultas vrgetur: sequeretur enim vel quòd Adã plures haberet costas, quàm nos habemus, & ità portentosus foret, aut si vnica solùm fuit illi, deducitur quòd illa deficiente Adam extitit defectuosus. Propter illam difficultatem Caietanus ait: *Aedificauit costam, quam tulit de Adam in mulierem &c.* hoc metaphoricè intelligendum est. Caietani sẽtentia displicet: Primò, quoniam historica est Moysis narratio; ergo propriè sumi debet. Secundò, quia Sancti Patres fatentur vnà cum D. Augustino lib. 9. super Genesim cap. 17. *Fidelitate credimus primam fœminam ex primo viro factam esse.* Difficultati respondetur consequentiã negando, seu Adamum fuisse portentosum: ratio est, quòd Adam censendus non esset velut homo particularis, immò sicut vniuersalis humanæque naturæ Princeps; eapropter ista opus erat illi costa. Vel si gratum non est istud responsum, cùm Catherino aias Adamum plures non habuisse costas; sed pro illa costa à Deo ablata per Euam, aliam ibi ædificasse carneque eam impleuisse iuxta illud: *Et repleuit carnẽ pro ea.*

.

DIF-

DIFFICVLTAS.

Quomodò corpus Euæ ex vna sola costa formatum fuerit.

Respondeo hoc intelligendum esse quantùm ad principaliorem partem fundamentalem: nam deindè Deus totam machinam corporalem Euæ per creationem fortasſis effecit, vel ex alia materia adiungendum oſſa ad oſſa, & carnem ad carnem.

Petes, ad quid Deus Euam ex Adæ costa formauit, cùm ex alia materia poſſet illam formare? Respondeo multis de causis hoc factum: Primò, vt præfiguraret Ecclesiam ex latere Christi in Cruce oriendam iuxta illud ad Ephesios 5. ex verbis Adæ: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; ego autem dico in Christo & Ecclesia*: eò vel maximè quia ex Adamo dormiente fuit formata Eua, sic figurabatur Christus mortuus in Cruce, estò somnus ille non fuerit verus, sed potius extasis; nam vt ait Augustinus: *vigilabat intrinsecè Adam videndo per reuelationem hoc altiſſimum mysterium Ecclesiæ in Christo*. Secundò, fuit Eua formata ex costa Adami, vt ostenderet Deus Euam esse sociam Viro non verò Dominam vel ancillam; quod difficultaretur, si ex capite, vel ex pedibus esset effecta: Tertiò, sic voluit Deus significare mulierem (velut debilioris naturæ) esse debere sub tutela & protectione Viri, sicut costa manet sub tutela brachij. Adde (si placet) non ex dextro, sed sinistro latere fuiſſe formatam Euam; vt cum ex parte cordis producta fuerit, homo ad eam amandam vehementiùs inflammaretur, & sic indiſſolubile fieret Sancti Matrimonij vinculum.

PROPOSITIO III.

Probabilius est corpus Euæ fuiſſe factum ex costa Adæ tanquàm ex subiecto transmutationis, quàm ex ea fuiſſe productum per transsubstantiationem.

Moneo; quòd subiectum seu materiam, ex qua aliquid fit, est in duplici differentia; nam alia est materia partis, & est alia quæ remanet in re producta tanquàm pars eius intrinseca, sicut materia prima in corpore humano. Alia est materia transmutationis, & est illud corpus, quòd corrumpitur

ad productionem alterius, & in cuius materia introducitur noua forma; v.g. quando ex aqua generatur aer, materia transmutationis in productione aeris non est illa materia prima, quæ priùs fuit sub forma aquæ, & quæ remanet sub forma aeris; sed ipsa aqua quæ fuit corrupta, & in aerem transmutata.

Secundò monemus; quòd dum dicimus mulierem esse factam ex costa Adæ, hoc posse intelligi dupliciter. Primò tanquàm ex subiecto, & materia transmutationis. taliter, quòd forma costæ fuerit corrupta, & in eius materiam introducta miraculosè forma corporis humani nullo agente naturali concurrente. Secundò potest intelligi corpus mulieris fuisse formatum ex costa, nempè per transsubstantiationem taliter; quòd costa fuerit transsubstantiata in corpus mulieris, sicut de facto panis in altissimo Eucharistiæ mysterio transsubstantiatur in corpus Christi.

Nunc probatur nostra Propositio: aliquid quod fuit in corpore Adami debuit remanere in Eua, sed si fuisset facta ex costa per transsubstantiationem nihil ex ea in illa remaneret, sicut in mysterio Eucharistiæ nihil panis transsubstantiati remanet in corpore Christi; ergo probabilius est corpus Euæ fuisse formatum ex costa per transmutationem, quàm per transsubstantiationem. Accedat altera ratio, tunc aliquid fit ex aliquo per transmutationem, quando vnum corrumpitur, & materia eius transmutatur ad essendum in alio composito, vt patet quando ex aqua generatur aer, sed cùm conueniens fuerit, vt aliquid Adami in Eua remaneret, probabile est quòd forma costæ, & per consequens totum fuit destructum & materia eius transmutata ad essendum sub forma corporis, vt aliquid Adami in muliere remaneret; ergo probabilius est, quòd Eua fuit facta ex costa per transmutationem, quàm per transsubstantiationem.

Oppones, vt corpus fieret ex costa per transsubstantiationem non erat aliquid inconueniens, quòd illa fuerit minor, vt patet de pane, qui transsubstantiatur in corpore Christi, licèt illo sit minor: sed vt corpus Euæ fieret ex costa per transmutationem, inconueniens erat, quòd illa esset minor; ergo cùm ista fuerit minor corpore mulieris, inconueniens est quòd ex ea fuerit factum.

ctum per transmutationem, & proindè probabilius est fuisse ex ea factum per transsubstantiationem. Minor probatur, maior non potest fieri conuenienter ex minori sine additione: sed costa Adami fuit minor corpore Euæ, & conuenienter non debuit fieri additio materiæ, quia sic non magìs diceretur mulierem fuisse factam ex costa Adami, quàm ex illa materia superaddita; ergo vt corpus mulieris fieret ex costa per transmutationem, erat inconueniens quòd illa fuerit minor, & proindè non est probabile ex ea fuisse factum per transmutationem, sed per transsubstantiationem.

Respondetur concedendo primam maiorem, & negando minorem: nam licèt fuerit minor minusque materiæ habuerit, quàm corpus Euæ exigebat; illa tamen fuit à Deo supernaturaliter creata & multiplicata, vt sufficeret ad formandum illud corpus in quantitate perfecta exigita à virili ætate, sicut panes Euangelici in maninibus Christi fuerunt miraculosè multiplicati.

PROPOSITIO IV.

Adam fuit productus extra Paradisum.

PRæmittimus non conuenire Doctores inter se; an Paradisus terrestris fuerit corporeus? Aliqui dicunt spiritualem, & methaphoricum: alij verò partim corporeum, & partim spiritualem. Communissima Theologorum & SS.Patrum sententia est, quòd etsi Paradisus in sua significatione denotet locum, vbi fœliciter viuitur; & in sacris litteris interdum sumatur spiritualiter iuxta illud: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Et hoc tripliciter: primò pro Paradiso analogico, qualis est Beatorum aggregatio. Secundò allegorico, qualis est status Ecclesiæ militantis. Tertiò pro tropologico seù morali, qualis est amœnitas virtutum in anima, seù bona conscientia; aliquando verò sumitur corporaliter, & hoc dupliciter. Primò pro Paradiso corporali cœlesti, vt est Empireum, sedes beatarum mentium: Secundò pro Paradiso terrestri, de quo modò loquimur, qualis est locus quidam in quo Deus posuit Adam, & hoc re-

reuerà est locus in terra corporeus iuxta illud Genescos 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formauerat, &c. Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum quoque vitæ in medio Paradisi.* Paradisum hunc fuisse corporeum demonstrant verba Sacræ paginæ, quæ quando sub historico sensu possunt accipi, sunt intelligenda secundum propriam & vsitatam significationem, nec est recurrendum ad sensus misticos. Ex rebus autem ibi actis (vt est introductio, & expulsio Adami) colligitur esse locum corporeum, qui ob eximiam bonitatem, amœnitatem, ac fœcunditatem erat hortus quidam amœnissimus, & tanquàm Paradisus.

Oppones, aquæ diluuij quindecim cubitis ascenderunt altiùs quouis monte, & tamen ad Paradisum non attigerunt; ergo spiritualis, & non terrestris. Respondetur, quòd ille aquarum ascensus fuit miraculosus, ad punitionem peccatorum ordinatus; ideò non accesserunt ad Paradisum, in quo non erat peccatum puniendum. Dices, ille terrenalis Paradisus dicitur Paradisus voluptatis: sed voluptas est in mente; ergo Paradisus est mentalis, seu spiritualis. Respondetur, quòd dicitur Paradisus voluptatis effectiuè, pro vt est locus quidam delitiosus, nostris sensibus exterioribus valdè delectabilis. Habebat hic Paradisus pro sua dignitate pulchriora obiecta, & animalia, vt aues benè cantantes, & quadrupedia elegantiora: cætera verò non fuerunt adducta nisi ministerio Angelorum, quando iuxta eorum proprietates Adam eis nomen imposuit, quibus impositis statim fuerunt expulsa.

Si verò petas de modo, quo ab Angelis tot animalia fuerunt adducta in Paradisum terrestrem. Sanctus Augustinus ait lib.9. Genesis cap.14. quòd Angeli posuerunt aliquid in imaginatione ipsorum, per quòd statim cum mansuetudine illuc omnia faciliter veniebant ex omni genere masculus & fœmina. Alij Patres alia excogitant, vt quòd Angeli absque impressione ea conducerent: Alij varia, & diuersa dicunt. Quid nobis probabilius appareat, dicemus in subsequenti discursu, in quo agitur.

De loco & situ Paradisi.

VAriæ extant in hoc senten. tiæ Sanctorum Patrum : aliqui dixerunt Paradisum immenso penè Oceano distare à terra ; vt statim responderent cur hominibus foret inaccessus, & vsque modò à nullo repertus. Alij dixerunt Paradisum esse in loco altissimo & orbi lunari proximo, & hoc propter tres causas: prima ob salubritatem habitationis, locus enim Cœlo vicinus est tranquillissimus, temperatissimus, & ad producendam vitam commodus; quia à nullo extrinseco ortiuo potest infici. Secunda, vt vindicarent Paradisum ab illo exitio vniuersali diluuij, quod operuit omnes montes. Tertia, vt ostendere possent, quomodò quatuor illa flumina irrigant terram nostram : si enim prope Cœlum non essent, non possent flumina illa ità fluere per totum.

Prima opinio nullum habet stabile fundamentum, cùm certum sit non esse tale Oceanum, nec terra infra illud ; eò vel maximè quia Paradisus ponitur in Edon, quæ regio procul distat à Mesopotamia, vel Arabia.

Secunda est incredibilis, nam ille locus est inconuenientissimus habitationi tùm propter vicinitatem Solis ac stellarum, tùm propter elementum ignis. Item dicit Ptolemæus, quòd interuallum inter Cœlum Lunæ, & terræ est ferè septiès ac deciès maius diametro terræ, hoc est ipsius terræ longitudine : quæ distantia computata in ordine ad nostra milliaria, continet milliaria centum millia, &c. ergo si Paradisus culmine suo attingit Cœlum necesse est ipsum habuisse pro basi vniuersæ terræ longitudinem quod est ridiculum. Tostatus ex Alexandro dicit Paradisum esse in tertia aeris regione, vt dicatur excedere terminos huius nostri aeris caliginosi, & turbulenti. Mihi improbabilis opinio ista ob dictas rationes, nulla regio est ineptior habitationi quàm tertia ob nimiam siccitatem, ingentem ardorem; atque vertiginem Cœlorum sphærę ignis, &c. Quod dicunt de montibus altis. Olympo, &c. fabulosa sunt, vel si verum est, patet esse ineptos habitationis propter aeris siccitatem.

Oppones ; si Paradisus non fuit in alto positus, tunc aquis diluuij fuisset perditus : nam excessit

cessit quindecim cubitis altissimos montes. Scotus dicit illam inundationem fuisse miraculosam, ac proindè non debuisse obruere Paradisum, qui immunis mansit, sicut in Iordane & mari rubro.

Seraphicus Bonauentura ait fuisse sub, vel non procul ab æquinoctiali; nam ibi est summa temperies ob æqualitatem dierum, ac noctium. Scotus impugnat, quia illa regio ob vicinitatem zonæ torridæ Solis ardore vehementer infestatur, & in Hyeme est proximior ibi Sol, quàm nobis in summa Aestate, minùsque aptus est locus ille humanæ habitationi.

Concludunt aliqui propter rationes dictas, Paradisum esse, vel fuisse in ijs regionibus, quas Tigris & Eufrates præterlabuntur non longè à Mesopotamia. Scotus ait Paradisum terrestrem esse conuenientissimum locum humanæ habitationi, ex parte sua nimis idoneum ad præseruandum à corruptione. Patet, quia debebat esse voluptuosus cum aere temperatissimo, dulci, ac suaui, nec extremè calidus, neque frigidus, nec summè humidus, neque siccus: quæ sunt qualitates primæ, quæ contemperatæ faciunt optimum temperamentum, non potuit ergo esse sub Aequinoctio.

Immò ille locus adeò conseruatiuus ac nutritiuus est, vt Scotus dixerit Enoch & Eliam non miraculosè, sed naturaliter ibi viuere vsque in fine Mundi: si enim Adam, & Mathusalem extra Paradisum potuerunt tamdiù viuere naturaliter, cur illi non in Paradiso?

De quantitate, scilicet latitudine & longitudine Paradisi; Et quare illum tàm magnificum condidit Deus?

Aliqui dixerunt esse magnum, & amplissimum locum; tum ex parte fluuij, qui eum irrigabat, quem maximum, & amplissimum declarant quatuor illa flumina, quæ indè scaturiunt. Tum quia si Adam non peccasset, debebat esse domicilium omnium hominum illius status; ergo propter tantam multitudinem debebat esse amplissimus. Alij, vt Tostatus, eum valdè angustant, nec longitudine fuisse plus duodecim milliarium; quia non debebant ibi manere, nisi qui nascebantur electi, & isti sunt paucissimi: non enim erat locus bestiarum ad fœcundandam terram, quæ

erat

erat fertilissima. Quidam Ioannes Anglius apud Sibillam dicit habere amplitudinem trium Insularum, Angliæ scilicet, Siciliæ & Sardiniæ: sed cùm res sit omninò incerta, dicant hi, qui sciunt.

Mihi credibile est Paradisum non fuisse locum adeò patentem & spatiosum, cùm appelletur hortus in sacra Scriptura, & collocatum dicat in regione Edon, ad plagam eius orientalem, eiusque in medio fuisse lignum vitæ scientiæ boni ac mali. Nec tam angustum, vt censet Tostatus, sed esse tantæ capacitatis, quanta erat necessaria pro habitatione hominum illius status, qui reuerà fuissent multi, & longam vitam vixissent: sed credendum non est, semper omnes in illo Paradiso habitaturos.

DVBIVM.

Quare paradisum tam magnificum condidit Deus: qui non debebat esse humano vsui nisi per breuissimum tempus?

Varij diuersas assignant rationes: præcisa est, quia omnium Creator non gubernat, & disponit secundum præscientiam, sed secundum exigentiam naturæ & status; quoniam autem status Adami erat perfectissimus, quando fuit sine peccato, ideò debebatur locus ei correspondens secundum exigentiam sic dispositus, ac ordinatus. Quantùmuis ergo Deus præscuerit Adamum peccaturum, ac eo loco priuandum; voluit tamen per illud breuissimum ibi permanere, vt raperetur hinc indè ad contemplandum, quòd si in terris erat aliquid corporeum, & spectabile tàm iucundum: multò fortiùs in Cœli Paradiso esse iucundiorem, ac pulchriorem credo.

CVRIOSA DIFFICVLTAS.

Cùm Paradisus sit corporeus, magnum quid videtur nullo tempore à nemine fuisse inuentum.

Assignant aliqui rationes, quia est extra nostram habitabilem terram, & vltra amplissimum, ac mortalibus innauigabile Oceanum: alij dicunt esse inaccessum propter eius altitudinem, vtpotè qui lunarem orbem tangit. Hæc fabulosa puto.

Dicunt alij, qui magis sobriè loquuntur, tribus de caussis

Paradisum esse inaccessum, & inaccessibilem. Primò propter altissimos, ac insuperabiles montes, qui illum circumeunt: Secundò propter inuias interpositas solitudines, ferocissimis atque cœnenosissimis bestijs repletas; tertiò quia circumcirca quædam sunt loca spiritum exhalantia quendam exitiarum, non solùm hominibus, sed superuolantibus etiam auibus læthalem.

Chrisostomus dicit ante diluuium notam esse Paradisi viam, sed inaccessum propter illam terribilem Cherubini custodiam; post diluuium verò illa inditia, seù viæ aquis abruptæ, & deletæ prorsùs rationem, seu modum illuc perueniendi occultàrunt, ac abstulerunt.

Secundum veritatem, Paradisus terrestris sua natura inaccessibilis est; si enim sua natura inaccessibilis est, ad quid arcere hominem ab eius introitu, & adhibere sic munitam custodiam? Sed cur requisitus, vel non repertus? à quibus, si ab infidelibus nequaquàm; quia omnia ista dicunt esse fabulosa, ergo ad quid quærere si à fidelibus nec etiam: nam ex fide habent tale iter esse hominibus interclusum, ac Paradisi locum adiri non posse; tu ergo, &c.

PROPOSITIO V.

De dominio hominis in statu innocentiæ.

MOnemus, quòd triplici modo potest exagitari quæstio de hominis dominio; respectu innocentiæ, respectu animalium, respectu hominum, & respectu sui. Quantum ad primum dominium satis est notum ex sacra Scriptura hominem illud habere, statim enim post hominis creationem dixit ei Dominus: *Præsit piscibus, & volatilibus Cæli*. Hic notandum est, quòd primo loco posuit pisces; videlicet quòd homini omnium animalium minimè dociles, minimè humani imperij capaces, ac nostræ consuetudinis, atque disciplinæ participes esse videntur; quòd si eis præest homo, quantò magis cæteris animalibus dominari credendum est? Hinc non laudamus sententiam Theodoreti asserentis Cætes, ac Balenas pisces magnos propter homines non esse factos, ac proindè ab hominis dominio prorsùs immunes: nam causa propter quam dicitur homo præ-

præeſſe animalibus eſt prudentia, & mentis ratio, quam non habet minùs reſpectu aliorum piſcium, quàm Cætorum, & Balenarum; & quàmuis non poſuit expreſsè Moyſes, implicitè tamen intellexit ſicut implicitè de cæteris beſtijs terræ locutus eſt: & Iacob tertio habetur, omnem naturam beſtiarum, volucrum, ac ſerpentum, &c.

Hìc primò noto, quòd duplex eſt dominium, ſeù poteſtas: vna in actu primo, quæ vocatur Ius dominij, ac poteſtatis; alia in actu ſecundo, quæ vocatur executio ſeu vſus dominij. De Iure dominij non eſt dubitandum, quin in ſtatu innocentiæ non præfulſerit homo ex locis Scripturæ: non enim alia ratione cunctos animantes ad Adamum adduxit pro impoſitione nominis, niſi quia exprimere volebat Ius dominij, & poteſtatis quod ſuper eas ſibi tradiderat; eò vel maximè quia rectitudo ordinis naturalis, & ratio Diuinæ prouidentiæ id poſtulat, vt quæ imperfectiora ſunt perfectioribus ſubijciantur, & inferiora per ſuperiora regantur.

Poteſtas iſta, ſeu Ius dominij etiam poſt peccatum remanſit in homine; nam ſibi debetur propter rationalis naturæ excellentiam, quam non perdidit homo propter peccatum, quod non deſtruit, nec deſtruere poteſt naturalia dona: patet, quia poſt diluuium dixit Deus; *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*. Accedit, quia ſi per peccatum hoc Iure dominij expoliatus fuiſſet homo, non liceret animalia capere occidere, & ad libitum facere, quod velit.

Tota difficultas eſt de vſu, & executione huius poteſtatis, & imperij, & quidem ante peccatum, & in beato illo ſtatu pleniſſimus erat, & ampliſſimus huius poteſtatis ac dominationis vſus, nec vlla in animalibus repugnantia, minimèque laborioſus aut difficilis; quia nec ex parte hominis erat impedimentum, aut difficultas. Patet, nam omnes Sancti Patres dicunt in illum locum Geneſis ſubiecta fuiſſe animalia homini illo ſtatu, ſicut pars ſenſitiua inferior intellectiuæ: ſed tunc ratio pleniſſimè dominabatur ſenſibus & affectibus, ità vt ſine moleſtia eos retraxiſſet à ſuo delectabili obiecto; ergo ſimiliter animantia ſub perfecto dominio ſibi ſubdebantur. Signum huius dominij viſum eſt quandoque in

Ss San-

Sanctis, vt Daniel imperauit Leonibus, Elisæus Vrsis, noster Seraphicus Franciscus, ac Antonius de Padua piscibus, auibusque, &c.

Verùm hoc interest inter statum hominis ante, & post peccatum, quòd hæc animalium obedientia in illo statu fuisset perpetua, & ordinaria sine vllo miraculo; post peccatum extraordinaria est, sed breue, & particulare tempus non sine miraculo, & respectu quorundam Sanctorum Virorum. Dices, quomodò animalia erant humani imperij capacia in illo statu, & sibi obediebant etiam ferocissima animalia: nec enim in illo statu erant ratione prædita; vt intelligerent, & quid imperaret homo, & quomodò mandata eius exequerentur? Certè animalia erant, sicut modò, substantialiter in suo esse vel ferociæ, vel mansuetudinis.

Ex duplici capite proueniret huius dominij animalium obedientia: Primò ex solertia, sagacitate, industria, & prudentia humana, quam tunc habebat perfectissimam, & noscere poterat ingenium, & vim cuiuscunque animalis; & cognouisset omnes vias ac rationes, quibus animalia etiam ferocissima atque sæuissima mitigari, domari & sub potestate eius subijci posset, & hac ratione homo in illo statu potuisset, immò de facto perfectè imperasset cunctis animantibus.

Moneo quatuor modis effici posse, vt animal quantùmuis sæuum mansuefiat, & sub potestate ac dominio hominis redigetur. Primò per arcanos quosdam modos, qui certis verbis, & carminibus constant, vt sunt incantationes: secundò per commutationem regionis, atque consueti victus variatione; si enim Leones in partes frigidas transferantur, & cibis mollioribus nutriantur, paulatim ferocies Leonum præmittitur. Tertiò per consuetudinem eorum, qui animalia ferocia curant, alunt, educant, & benignè tractant; adeò rabiem, & ferociem suam exuunt, vt illis blandiantur, alijs verberentur, timeant, &c. Quartò arte, industria, & consuetudine non solùm faueant hominibus, sed ad eorum verba, & nutus morem gerant; quia in parte sensitiua potest habitus generari ex frequenti actuum exercitio.

Secundo modo est ratio, quam possumus accipere hanc animalium promptam obedientiam in

statu

statu innocentiæ tota sumitur, & pendet ex singulari quadam erga hominem in illo statu prouidentia, & cura, qua factum est; vt non solùm ei non nocerent, sed parerent ad nutus. Dixerunt aliqui huiusmodi singularem prouidentiam exerceri per Angelos, quorum ministerio fiebat; vt humano imperio cuncta animalia sine impedimento, difficultate, & repugnantia subessent. Dicerem ego, quòd immediatè parebant animalia, quia Deus speciali fauore faciebat; vt animalia non apprehenderent tanquàm eorum inimicum hominem, sed amicum ac benefacientem, vt modò est de cane, &c. Cæterùm post Adami peccatum huiusmodi hominis imperium quantum ad eius vsum, & executionem, licèt non sit totaliter extinctum: tamen in partem diminutum, & angustatum: licèt enim imperet aliquibus animabus, cum labore est, & difficultate. Errauit Vgo de Sancto Victore hominem ex peccato amisisse dominium huiusmodi in duobus præcisè generibus animalium, in maximo vt sunt Leones, Vrsi, Tygres, Pantheræ, &c. vt se intelligeret, hac excellentia dominandi spoliatum respectu excellentium animalium, & in minima vilissimaque animalia vt sunt muscæ, pulices, pediculi, &c. quæ minùs quàm maiora illa & ferocia animalia domari possunt, & imperio nostro submittunt; hinc agnosceret in quantam vtilitatem propter peccatum delapsus & abiectus est homo.

Nota, quòd quantum ad secundum dominium respectu hominum est difficultas; an in eo statu homo homini imperasset? videtur, quòd nonnam loquens Deus de hominis imperio solùm ad animalia restrinxit; ergo non debet dilatari, & extendi. Accedit, quia ea ratione homo cæteris animantibus imperat, quia rationalis, & ad Dei imaginem factus est: sed hoc est æquale in omnibus hominibus; ergo nulla ratio est, cur homo homini imperasset. Item subijci aliorum imperio, & ex alieno iudicio, & voluntate pendere, cùm sit contra hominis inclinationem, non potest esse quin sit inuoluntarium, nolitum, acerbum, & odiosum; quod procul fuisset ab illo fœlicissimo statu. Tandem seruitus nata videtur ex peccato, etenim post peccatum dixit Euæ: *Sub potestate Viri eris, & ipse dominabitur tui*. Fauet

Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 15. *Conditio quippè seruitutis Iure intelligitur imposita peccatori.*

Nihilominùs tamen statuendum est fuisse in illo statu, hominum quorundam in alios homines, imperium. Probatur, nam cùm homo naturaliter appetat societatem, gaudeatque de humana societate: & cùm certum sit tunc homines multiplicatos non in solitudine futuros, sed congregatos, & consociatos; nè qua perturbatio, & præpostera confusio fuisset in tanta hominum multitudine: necesse erat aliquis ordo superiorum, & inferiorum, regentium, & rectorum, & mandata exequentium, & sic consentaneum erat; vt illi præessent, & imperarent istis. Item in Angelis adest huiusmodi ordo hierarchialis, vt alij inferiores, & alij superiores sint: hi mandantes, & illi exequentes; ergo similiter in statu innocentiæ inter homines. Certè negari non potest: Patres in eo statu filijs debuisse imperare, & maritos vxoribus.

Pro solutione argumentorum monemus; quòd duplex est dominium, dispoticum scilicet, & politicum: seu vnum seruile, & aliud ciuile. Primum est respectu Dominorum in seruos, & vtique est coactum & violentum, inuoluntarium, & acerbum: secundum est Patrum in filios, & voluntarium atque iucundum est; quia ad propriam vtilitatem, ac bonum electum, & assumptum est. Primum totum dare respectum ad bonum, & emolumentum dominantis, quapropter non potest non esse onerosum & odiosum subditis: contra enim voluntatem, & inclinationem est laborare, & non in suam, sed in alterius vtilitatem cedere. Secundum imperium non refertur ad bonum dominantis, sed subditorum, & ad bonum publicum, & commune: in illo igitur statu vni præfuissent alijs non præfectura seruili, sed ciuili; quæ nihil violenti, inuoluntarij, & acerbi mixtum habuissent eo modo, quo iusti dicuntur dominari apud Augustinum: non enim iusti dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; neque principiandi superbia, sed prouidendi misericordia. Hoc naturali ordine præscribi ritè, Deus hominem condidit.

Ad rationes in oppositum; ad primam dicimus, quòd Scriptu-

ra non dixit: *Dominamini homi nibus*; quia hoc non est vniuersale omnibus, sed aliquibus sapientibus, & prudentibus. Sed respectu animalium erat ordo vniuersalis imperandi, eo quòd Dei imago: & sic ad secundum, tale dominium non competit homini; quia homo est ad Dei imaginem, sed propter eius prudentiam, potentiam, & excellentiam in gubernando. Ad aliam, patet ex dictis de duplici dominio.

Oppones; cur ergo in pœnam datum est mulieri esse subiectam Viro, si tunc etiam subijceretur illi? Respondetur, quòd tunc propter integritatem naturæ talis subiectio fuisset sibi iucunda & suauis; quia maritus non imperasset nisi bona delectabilia, ad quæ exequenda naturaliter inclinabatur. Modò est molesta, & onerosa, quia non semper mariti bona imperant; & si imperant, cum tristitia & dolore fiunt propter resistentiam appetitus sensitiui, qui ad bona commoda inclinatur.

De tertio dominio hominis respectu sui in statu innocentiæ, multæ tractantur difficultates, & præcipuè; an ità subderetur sibi appetitus sensitiuus, vt absque difficultate, & tristitia potuisset illum retrahere à suo proprio delectabili, nè immoderatè condelectaretur.

Certè donum originalis Iustitiæ, quod decoratus erat homo in illo statu, hoc habebat pro adæquato effectu, scilicet internum bellum partis sensitiuæ aduersus rationem tranquillare; ità quòd non erat sibi nec arduum, nec difficile virtuosè viuere ac Diuinas leges implere: nam hæc iustitia faciebat vt vires inferiores perfectè subderentur rationi, ac per subiectionem ipsius rationis Deo. Probatur, nam in primo homine erat huiusmodi perfecta tranquillitas per illud supernaturale donum sibi exhibitum, quod reddebat Deum delectabiliorem quocunque obiecto sensibili creato, & sic partem superiorem perfectè Deo subijciebat; sicut & potentia inferior perfectæ rationi subijciebatur per id donum, nè immoderatè condelectaretur suo proprio delectabili, & retrahebatur sine tristitia.

***

PRO-

PROPOSITIO VI.

In statu innocentiæ forent tentationes externæ.

PRimos Parentes habuisse Angelos Custodes in statu innocentiæ docet Suarez lib.86. cap.17.num.20.secutus D.Thomam prima parte 113. artic. 4. *Ad secundum*. Ratio est, quia habuerunt impugnatorem; ergo debuerunt habere defensorem.

Hinc, vt animaduertit, Luciferum Deumque ad cuiuscunque hominis custodiam deputasse Angelum: ille ad perdendos homines cuicumque destinauit (Deo permittente) Dœmonem tentatorem præcipuum; iste ad saluandos custodem. Diaboli ministerium esse homines tentare, & quanta mala attingere ea omnia illis inferre varijs Patrum testimonijs ostendit Suarez lib. 8. de Angelis cap. 18. à num.4. Tribus autem modis Dæmon ad tentandum aggreditur, vt cum Angelico Doctore tangit Ouiedo prima secundæ tract. 5. controuer.7. part.7. vel proponendo obiectum, ex cuius cognitione eliciatur voluntas ad cadendum, aut exteriùs persuadendo actum prauum, vel excitando interiùs tales cognitiones; ità vt illis voluntas trahatur, hoc est eliciatur ad peccatum: sic dixit Gregorius Homelía 16. in Euangelia: *Tentatio tribus modis agitur, suggestione, delectatione, & consensu*. Et videndus est D. Augustinus 4. de Trinitate cap. 14. prima tentatio euenit, cùm Dauidi proposuit Dæmon pulchritudinem Bersabeæ, quasi exteriùs excitando per illam pulchritudinem ad luxuriam. Secunda tentatio, cùm Christo suasit Sathanas, vel vt ieiunium frangeret; aut ipsum Diabolum adoraret, vel vt se mitteret deorsum. Tertia tentatio exemplificatur, quando se immisit in cor Iudæ, & ibi excitauit humores per applicationem ad passiua; quorum humorum excitatione insurgunt motus primò primi, ex quibus vel ità efferuescit, vel concupiscentia allicitur. Benè enim verum est iuxta communiorem Theologiam non posse Angelum in intellectu humano creare speciem intelligibilem, vel intellectionem actualem, de quo Scotus in 2.distinct.11.quæst.1. à §. *Ad quæstionem* num. 4. mediatè tamen potest causare illas species applicando actiua passiuis,

vel

vel infundendo tales ſpecies in ſenſu, aut reuoluendo ſenſum communem, & proponendo efficaciùs has aut illas ſpecies.

Nota tentationem eſſe duplicem: vna dicitur probationis, qua experimur quid boni, vel mali, quid ſcientiæ vel quid ignorantiæ, quid virtutis vel vitij occultetur in homine. Altera dicitur tentatio ſeductionis, vel ſubuerſionis ad decipiendum; vel ad inducendum hominem ad malum culpæ. Hinc patet ſolutio multarum auctoritatum Sacræ Scripturæ dicentis nunc Deum, nunc Diabolum: ſed loquendo de tentatione dicendum eſt proprium ac præcipuum malorum Angelorum miniſterium, ſeu occupationem eſſe homines ad peccandum inducere, ſeu tentare; ità quòd ex officio ſolius Dæmonis eſt, licet ex imitatione conueniat etiam hominibus malis, hinc illud: *Inuidia Diaboli mors intrauit, &c. Cur tentauit Sathanas cor tuum, &c.* nam totus conatus Diaboli eſt ædificare Ciuitatem ſuam; ergo non niſi ſuggeſtione ac tentatione. Item, *vos ex Patre Diabolo eſtis*; ſcilicet per imitationem, quia deſideria Patris veſtri vultis facere, inducendo ſcilicet homines ad peccandum; ecce quomodò per imitationem, conuenit etiam hominibus tentare.

Si dicatur, vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, &c. ergo non à Dæmone tanquàm ſit proprium eius officium. Reſpondetur, quòd concupiſcentia ſolùm materialiter inducit hominem ad peccatum propter fomitem illum, qui eſt tyrannus animæ noſtræ; ſed Diabolus formaliter tentat dirigendo tentationem ad peccatum. Si dicatur, tentare eſt officium ignorantis, qui vult periculum facere & experiri vt ſciat, quod ignorat: ſed Dæmon eſt ſapientiſſimus, ſciens quid eſt in homine; ergo non tentat. Reſpondetur, quòd tentatio abſolutè concepta importat periculum facere; non autem indeterminata ſpecie, ad peccata ſcilicet inducendi. Sicut etiam dicitur Deus tentare, non quaſi ignoret (qui omnia ſcit) ſed ad probandum, & præbeat occaſionem coronæ: immò poteſt dici, quòd licet Angelus ſibi dimiſſus perfectiſſimè poſſit noſſe quidquid eſt in homine; de facto tamen regulariter neſcit, & ſic tentat etiam vt ignorans. Dices, tentatio ad peccatum non fit ſine mutatione voluntatis; quia peccatum volun-

luntarium est: sed Dæmon non potest humanam voluntatem immutare; ergo, &c. Respondetur, quòd licèt non possit immediatè immutare, potest mediantibus phantasmatibus illam inflectere, & allicere: immò potest immediatè partialiter obiectiuè immutare intellectum, &c.

Opponcs, omnis potestas à Deo est; ergo Deus dedit potestatem talem Dæmoni: sed hoc alienum est à Diuina bonitate, quòd scilicet dederit ei facultatem inducendi hominem ad peccandum; tunc enim auctor, & particeps esset tanti mali. Respondetur, quòd in Dæmone potest concipi naturalis virtus physicè, & moraliter: physicè est à Deo, & sic non est nisi facultas ad exercendas illas actiones, per quas hominem tentant; nempè virtus immittendi malas cogitationes, vel interiùs phantasmata mouendi, vel exteriùs obiecta sensibilia ad malum incitantia offerendo: & talis facultas conueniebat sibi ex conditione naturæ; nec est peccaminosa, sicut in nobis voluntas peccandi peccaminosa non est. Si concipitur moraliter, adhuc dupliciter, positiuè & negatiuè; positiuè, quasi verò Deus consilium, iuuamen aut obligationem imponat Dæmoni, vt tentet, & hoc falsum: negatiuè, non prohibendo sed permittendo, relinquendo voluntatem liberam, vt possit tentare; & hoc non est dubium, Deum facere.

Si dicatur; cur Deus permisit Angelo malo hanc generalem licentiam tentandi? licèt enim saluari possit, quòd per eam non sit auctor mali; nihilominùs nimis videtur esse alienum à suaui bonitate Dei, constituere humanum genus in tàm euidenti periculo peccandi. Respondetur, quòd summa bonitate hoc factum est, & sapientia: primò vt excellentia Diuinæ gratiæ illustrior fiat, per quam homines Dæmonem superent. Oppones, quòd plerùmque homines superantur; & sic gratia redditur minùs illustris, & efficax. Respondetur, quòd Dæmon non superat ex inefficacia gratiæ; sed ex defectu liberi arbitrij, quòd non vult resistere. Secundò ex parte hominis; vt maior sit eius gloria, quæ resultat ex victoria tentationis. Tertiò ex parte Dæmonis, ad maiorem sui confusionem.

Monemus esse latum discrimen inter esse causam peccandi,

di, & tentandi; quia ista semper præcedit, & licèt Dæmoni conueniat: esse tamen causam nostrorum peccatorum sibi non conuenit vt causa, nec proximè nec remotè; quia non potest efficere in nostra voluntate consensum, ergo, &c. Patet ergo Dæmonem solùm esse causam tentationis: remotissimè quando est occasio seu dispositio valdè remotè, & sic Dæmon concurrit, & est causa omnium tentationum humani generis; patet, quia tentando primos Parentes fuit causa lapsus illorum, ex quo orta sunt omnia peccata, & tentationes, ergo remotissimè à Dæmone tentationes originem trahunt. Proximè concurrit, quando immediatè applicat, vel offert obiectum, à quo tentatio incipit, vt quando offert sensibile obiectum, quod excitet prauam cogitationem, & hoc intrinsecè, vel extrinsecè per locutionem repræsentando prauum obiectum, & suadendo consensum sub apparentia obiecti boni, vel excitando imaginatiuam per solam internam humorum motionem; ex quibus phantasmatibus excitatur sensibilis cogitatio, & corporis alteratio. Remotè tantùm concurrit, seu mediatè, & tunc per accidens; cùm inter propriam Dæmonis actionem tentatiuam, & peccatum semper mediat cogitatio, in qua propriè, & formaliter consistit ipsa tentatio, & sic mediatè attingit illam tentationem.

Petes; an fuerit verus serpens, qui primos Parentes tentauit?

FVerunt, qui negarent eum fuisse verum serpentem; horum duplex ratio videtur. Aliqui existimant Dæmonem serpentis effigiem, ac speciem sumpsisse, quod videtur significare Origenes homelia 6. in Ezechielem; & apertè dixit Franciscus Georgius Venetus in suis problematibus Problem.46. Alij id totum ad allegoriam transferunt, vt nomine serpentis intelligatur voluptas; quod copiosè docet Phillo Iudæus libro de opificio Mundi lib.2. de legis allegorijs, & libro de agricultura. Similis autem est voluptas serpentis: primò, quòd tacitè serpat, & sine pedibus, quod facit serpens; voluptati enim dediti semper humi serpunt, nihil altum sapiunt, nunquàm ad alta feruntur: Secundò

vt ſerpens terra veſcitur, ità voluptuoſi nullum niſi in ſordibus peccatorum delectationis guſtum percipiunt. Tertiò quia ſicut ſerpens veneno occultè necat, ſic voluptas occulto quodam ſuo veneno perimit: ille verò ſerpens humana voce locutus dicitur, quia habet voluptas ſapientes, ac ſtudioſos propugnatores. Quartò deindè quemadmodùm Eua ſeducta facilè in eandem criminis ſocietatem pertraxit Adam, ſic ſenſus à voluptate ſuperatus facilè rationem ad ſceleris conſenſum adducit: voluptas enim ſenſum decipit, ſenſus menti, ac rationi porrigit, qui quemadmodùm ſerpens Euam duxit in fraudem; ità voluptas falſis atque mentitis oblectamentis ſenſum allicit; vnde plerùmque amatores à fallaci, ac mentita ſpecie decipiuntur. Quintò denique de hoc ſerpente putat intelligi illud Geneſis 49. *Fiat Dan & Luber in via, Ceraſtes in ſemita*; nihil enim eſt, quod magis à virtutis via reuocet, quàm voluptas; ideò filij Iſrael ſæpè à voluptate allecti de reditu cogitabant, quod ſerpentum morſu ſignificabatur, contra quos erigitur ſerpens æneus, ſcilicet fortitudo, & temperantia. Itàque ille ſerpens inſipiatur calcaneo reuocans à recto itinere, vt à viris fortibus calcatur: Danis autem ſerpens mordet vngulas equi, ſcilicet vitioſum affectum.

Sed hæc vt ingeniosè dicantur, quemadmodùm & illa quæ indicantur ab Ambroſio libro de Paradiſo, non longè à principio; non tamen ità animum noſtrum occupare debent, vt allegorias ſectantes hiſtoriam negemus. Itàque vt minimum videtur, temerarium aſſerere, fuiſſe verum ſerpentem.

Alij fuerunt in contraria planè ſententia; cùm dicerent fuiſſe verum ſerpentem, qui propria calliditate Euam deceperit, atque ob id vſu humanæ vocis fuiſſe ſpoliatam atque alijs pœnis afflictam. Huius ſententiæ fuit Ioſeph Libro antiquitatum cap. 1. iſta ſententia eſt penitùs falſa, & fabuloſa; nec enim habuit ſerpens vſum humanæ vocis, nec potuit ipſe inuidere, aut tanta præditum eſſe aſtutia, vt Euam falleret. Videantur Chriſoſtomus, & Ambroſius libro de Paradiſo.

Communis ergo ſententia eſt, verum fuiſſe ſerpentem à Dæmo-

Dæmone assumptum vt instrumentum ad fallendum; ità docent Ambrosius libro de Paradiso, Augustinus 11. de Genesi ad literam, Theodoretus in Genesim, Rubertus in Genesim, Chrisostomus ibidem in particulari sermone: iudicat D. Thomas 1.2.quæst.165. artic.2. Hi omnes ostendunt serpentem assumptum à Dæmone incitasse ad peccatum, & facilè probari potest ex sacris literis, quæ docent Diabolum fuisse authorem peccati, Sapientiæ 2. *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem Terrarum*. Apocalypsis 12. dicitur: *Draco magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus*. Idem repetitur cap.20.

Cùm verò dicitur serpens callidior cunctis animantibus, intelligit tunc Augustinus de naturali quadam malitia, tùm de ea quam ei Dæmon instillauerat; ex quibus refellitur Manichæorum Commentum, qui (vt scribit Augustinus de hæresibus cap.48.) dicebant in serpente figurari Christum, qui primos Parentes voluit ab ignorantia liberare. Apparet enim serpentis nomine significari Dæmon, quod ostendit Theodoretus ex illo Isaiæ 27. *Visitauit Dominus in gladio, &c.* de quo loco multa in hanc sententiam adducit Gregorius 4.Moral.11.12. & lib.18.Moralium.

Quod verò spectat ad vocem humanam non est credendum, vt loco citato dixit Iosephus, serpentem propria vi, ac naturali facultate humana voce locutum; nam fabulosum est opinari fuisse aliquando bestijs vsum sermonis concessum.

Nec existimamus (vt alij dixerunt) serpentem sibilis tantùm significasse quod volebat, quomodò bestiæ inter sese suis vocibus significabant suos affectus: nam id quod serpens dixit, ad naturales affectus non pertinebat, neque ijs poterat vocibus significari; loquebatur igitur Dæmon per serpentem eo modo, quo per animal Numeror. 22. locutus est Angelus: cùm tamen, vt ait Augustinus, & Albinus, verborum sonum minimè perciperet. Cur non sit Eua voce humana perterrita, multis videtur mirum: Magister in 2.distinct.25. ait id propterea accidisse, quòd Eua re ignara, atque inexperta existimaret omnes bestias more hominum loqui. Alij dixerunt serpentem fuisse humano vultu ac specie, quòd auctore Beda asserit auctor Scholasticæ historiæ: ali-

qui dicunt eam intellexisse eius orationis auctorem fuisse Dæmonem, atque id fortassè fuisse eius primum peccatum, quòd loquentem Dæmonem audierit. Primum illud repugnat perfectæ scientiæ, qua ante peccatum primi Parentes præditi erant: alterum nec etiam placet, & videtur pertinere ad fabulas Poetarum. Tertium non placet, nisi commoda aliqua ratione explicetur.

Itàque existimaui Dæmonem à recto serpente cœpisse coram Eua curiosè cuncta spectante miris se motibus commouere, & ad mansuetudinem ac placabilitatem inducere, vt eam in admirationem rapuerit: tùm varios edidisse sonos, deindè humanam vocem efformasse; vndè illa penè extra se posita, non modò non territa est; sed magnam etiam cœpit animo voluptatem. Hoc iudicat Robertus in Genesim, &c.

Rectè autem Dæmon aggressus est fœminam, vt minùs cautam ac prudentem Viro; vndè ait Paulus ad Timothæum 2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Quibus verbis Augustinus 14. de Ciuitate cap. 11. existimat Paulum voluisse significare Adamum non ità fuisse seductum; vt ignorârit, quod sibi mulier persuadebat, esse peccatum.

Alij dicunt Euam fuisse seductam eo modo, quo fœmina sperauit scientiam Diuinam; Adam autem cùm sciret id esse falsum, & contra Diuinum præceptum, sibi tamen facilè pœnitentiam pollicebatur.

Petes curiosè, cuius esum pomi Deus interdixerit?

QVidam veteres existimant fuisse ficum, quod affirmant Gregorius Nazianzenus in Cantica, Theodoretus quæst. 28. in Genesim, Isidorus Perusiota apud Lipomanum in Catena Genesis 3. ideòque Christus Math. 21. maledixit ficui, quod alijs non placet; quòd quasi de alia quadam arbore dictum sit; *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.*

Sed quale tandem pomum fuerit, certum est (vt ait Gregorius Nazianzenus loco citato) non fuisse prohibitum; quia aliquid in se immundum contineret; nam Christus dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Idem verò Gregorius

lib.

lib. 1. Philosophiæ cap. 2. ait fuisse in eo pomo vim quandam insitam inferendi cognitionem; itaque eius esum Deum prohibuisse, nè homo suæ naturæ imbecillitate cognita tantam rerum corporearum curam gereret, vt Diuina negligeret: sed hoc videtur repugnare naturæ plantarum, vt in animis hominum scientiam ingenerare possint. Idem lib. 2. de creatione hominis cap. 20. verba illa interpretans: *De omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali nè comedas, &c.* Hanc legem in duas partes distribuit; in prima nomine omnis ligni intelligit lignum vitæ, quo significatur Diuina sapientia, in qua est omnis sincera, & casta voluptas. In secunda prohiberi lignum aliquod contrariæ qualitatis; quod tamen & colore & voluptatum illecebris serpens respexit, vt ad eius esum alliceret eam.

Ambrosius libro de Paradiso cap. 2. existimat in eo pomo fuisse vim aliquam naturalem hominibus nociuam, atque idcircò eius esum fuisse hominibus interdictum. Hoc non multùm mihi probatur: nam eadem ratione debuissent prohiberi multa alia, aliaque venena; Deindè non est verisimile in medio Paradisi hanc arborem nociuam collocasse. Si plura de hac re desideras, consule Doctores, àpud quos multas, nè dicam infinitas, reperies, vel fabulas, vel speculationes.

PROPOSITIO VII.

In statu innocentiæ fuisset generatio cum coitu cum sensuali delectatione.

PRæmittimus certum esse, quòd in statu innocentiæ foret vera generatio naturalis: nam necessarium erat complere illud præceptum à Deo impositum Genes. 1. *Crescite, multiplicamini, & repelete terram*; & licèt illa multiplicatio indiuiduorum pro illo statu non esset necessaria ad conseruationem speciei humanæ, quia saltem ab extrinseco homo esset immortalis, & sic in vno tantùm indiuiduo posset perpetuò conseruari: tamen necessaria erat, & ab auctore naturæ intenta propter tres rationes. Prima, ad communicandum suam bonitatem pluribus indiuiduis eiusdem speciei: Secunda ad restaurandam ruinam Angelorum; nam cùm plurimi Angeli peccando de Cœlo ceci-

ceciderunt, congruum erat quòd plurimi homines generarentur; quòd in eorum loco in Cœlo collocarentur. Tertia ratio eſt, quia omnes à primo Parente debebant contrahere Iuſtitiam originalem, quod fieri non poſset; niſi ab ipſo deſcenderent per naturalem generationem.

Monemus ſecundò probabile eſse ex Scoto in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. quòd cùm mares, & fœminæ haberent vera communia realia, tot eſsent viri quot fœminæ; ità quòd numerus Virorum non excederet numerum fœminarum, nec è conuerſo: ſed vnuſquiſque haberet propriam vxorem, & vir diutiùs viuens tranſita vxore ad ſtatum beatificum, aliam vxorem non duceret; nec è contrario vxor diutiùs viuens marito, alium maritum non duceret: cùm enim ſecundæ nuptiæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ non ſint laudabiles, multò minùs eſsent laudabiles pro illo ſtatu perfectiſſimo, & ab omni imperfectione libero.

Iam probemus noſtram Propoſitionem; paſſio naturalis neceſsariò conſequens ad coitum pro omni ſtatu, debet eum concomitare: ſed eiuſmodi eſt delectatio ſenſibilis reſpectu coitus carnalis; ergo in ſtatu innocentiæ eſset cum ſenſuali delectatione. Monemus tamen, quòd illa delectatio non eſset in illo ſtatu adeò immoderata, nec perturbans vſum rationis, ſicut in ſtatu naturæ lapſæ.

PROPOSITIO VIII.

Soli illi, qui nunc ſunt electi & prædeſtinati in ſtatu innocentiæ fuiſſent nati, & nullo modo reprobi damnandi.

Monemus cum communi conſenſu Theologorum, quòd licèt actus Diuini intellectus, & ſimiliter actus Diuinæ voluntatis ſit vnus ſimpliciſſimus actus; admittit tamen prioritatem, & poſterioritatem naturæ in attingentia obiectorum, ità quòd priùs natura illi actus terminantur ad aliqua obiecta, & poſteriùs ad alia: etenim in primo ſigno naturæ Deus ab æterno cognouit ſeipſum; in ſecundo ſigno ſeipſum amore beatifico amauit. In tertio ſigno ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cognouit omnes creaturas poſſibiles: in quarto ſigno decreuit certum, & determinatum hominum numerum, & Angelorum, quos cognouit poſſibiles, ordinare

nare ad gratiam, & gloriam, negatiuè se habens ad reprobos. nam per illud decretum non determinauit aliquem numerum reproborum fore; nec etiam determinauit non fore. In alio signo posteriori decreuit Adamum procreare, & ab eo descendere totum genus humanum per naturalem generationem illi, omnibusque ab eo descendentibus Iustitiam originalem promisit; dummodò perseuerarent in obseruatione sui præcepti. In alio posteriori signo decreuit permittere lapsum primi Parentis, & totius generis humani; vndè cognoscens ipsum peccaturum, in alio signo decreuit remedia adhibere, vt posset saluari: & postremò decreuit totum numerum futurorum hominum in toto decursu temporis vsque ad extremum diem; inter hos principaliter intellexit illum determinatum numerum electorum, quem in quarto signo prædestinauit, & concomitanter alios, quos pro nullo signo positiuè non elegit, nec positiuè exclusit à gloria.

Hinc habetur reprobos non fuisse futuros antequàm Deus præuidit, & præcognouit lapsum generis humani, & deperditionem innocentiæ & Iustitiæ originalis: etenim non decreuit formaliter totum numerum futurorum hominum, nisi postquàm præuidit lapsum totius generis humani. Quod autem vltimo loco debuit Deus facere decretum de futuritione hominum in actuali existentia pro aliqua differentia temporis constat ex hoc, quòd ordinatè volens (qualis est Deus) primò vult finem, & posteà media ad illum, & inter illa media priùs vult, & intendit illa, quæ sunt proximiora; & posteriùs ea, quæ sunt remotiora à fine, & quæ priùs in executione ponuntur: sicut enim illud, quod est primum in ratione, est vltimum in executione; sic illud, quod est primum in executione, debet esse vltimum in intentione: ac inter illa, quæ Deus exequitur in tota serie, & ordine prædestinationis, & ordinationis hominum ad gloriam; primum est, dare illis actualem existentiam (priùs enim debent actualiter existere, quàm possint recipere actualiter media ad finem consequendum) ergo in illa serie prædestinationis, & ordinationis hominum ad gloriam; vltimum, quod debuerit Deus decernere, & determinare, erat futuritio hominum in actuali existentia.

Iam ergo probemus nostram Propositionem, quæ docebat solos illos, qui nunc sunt electi ac prædestinati; in statu innocentiæ nascituros, & nullo pacto reprobos damnandos. Propositio nostra est Scoti in 2. distinct. 20. quæst. 2. Probatur auctoritate D. Gregorij in Moralibus lib. 4. cap. 22. in fine, vbi nostram Propositionem clarissimis terminis docet. Probatur secundò, quia ex suprà notatis Deus ante præuisionem peccati primi Parentis, ac lapsus totius generis humani determinauit certum numerum electorum, qui necessariò esset complendus in statu innocentiæ; cùm decretum Dei fuerit efficax, & infallibile, & soli illi essent nati, qui de illo numero futuri essent, quia nullus reprobus in illo statu nasceretur: sed illi soli, qui nunc nati sunt electi, potuissent esse de illo numero; ergo illi soli in statu innocentiæ fuissent nati, & non illi qui nunc sunt reprobi: sed qui nunc nati sunt reprobi, nequissent esse de illo numero (nam licèt quilibet reprobus in particulari non necessariò habeat, quòd mereatur excludi à numero electorum; habet tamen quòd illud infallibiliter mereatur) ergo illi soli, qui nunc nati sunt electi, potuissent esse de numero electorum à Deo determinato, ac proindè illi soli in statu innocentiæ essent nati.

Sit altera ratio: Deus non decreuit illos futuros, qui nunc reprobi sunt, nisi postquàm præuidit lapsum generis humani; & tunc decreuit illos futuros, vt si non cooperarentur cum auxilijs, in eis manifestaretur Iustitia punitiua, ergo, &c. Item in statu innocentiæ non essent nati plures homines, quàm forent necessarij ad complendum numerum electorum à Deo determinatum: sed soli illi, qui nunc nati sunt electi forent sufficientes ad complendum illum numerum, & plures non requirerentur; ergo soli illi essent nati, & nullo modo reprobi.

Oppones; in statu innocentiæ sicut nati essent homines, qui nunc nati sunt electi, ità & eorum Patres necessariò essent nati: sed Patres, ex quibus generantur multi electi, sunt reprobi; ergo in illo statu essent etiam reprobi, & non electi tantùm. Respondetur distinguendo maiorem; pro illo essent nati alij Patres eorum, qui nunc nati sunt electi: concedo maio-

maiorem, nati essent Patres reprobi, ex quibus nunc generantur; nego maiorem: illi enim electi, qui nunc nati sunt ex reprobis, in statu innocētiæ ab alijs electis nati essent, & non ab ijsdem numero Patribus, ex quibus nunc generantur; nec hoc est inconueniens: docuimus enim in Physica, quòd causa secunda non est determinata ex natura sua, nec sese determinat ad hunc numero effectum; quin immò illum determinantur à solo Deo, & proindè idē numero effectus, qui producitur ab vna causa, potuit produci ab alia eiusdem rationis: nam Deus potuit aliam causam ad illum numero effectū potiùs, quàm ad alium determinare; & per consequens posset efficere, quòd iidem electi qui nunc sunt nati ex reprobis, in statu innocentiæ nascerentur ex electis.

Opponés secunò. Ex hoc dicimus, quòd in statu innocentiæ essent nati soli illi, qui nunc sunt electi; quia Deus præfiniuit, ac prædeterminauit numerum prædestinatorum ante præuisionem lapsus primorum Parentum, ac totius generis humani: & cùm ille numerus esset tantùm futurus in gloria, & illi tantùm qui nunc nati sunt electi illam adimpleant, illi soli nati essent, sed Deus non præfiniuit numerum prædestinatorum ante præuisionē lapsus primorum Parentū; ergo in statu innòcentiæ non tantùm electi essent nati. Minor probatur, prædestinatio fuit facta ex massa naturæ humanæ iam corruptæ per peccatum originale iuxta illud Apostoli Romanorū 1. cap. 9. *Nonnè habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quoddam vas in honorem, aliud in contumeliam*? ergo prædestinatio nō fuit facta ante prę uisionem lapsus primorum Parētum, nec numerus electorum à Deo præfinitus; Concessa maiori, negatur minor; ad probationem distinguo antecedēs: prædestinatio fuit facta ex massa naturæ humanæ iam corruptæ, quò ad executionem concedo antecedens, quò ad intentionem nego antecedens; & hoc est, quod Apostolus loco citato intendit. Ad pleniorem intelligentiam aduertendum est, quòd prædestinatio quò ad intentionem est illud decretum à Deo factum in quarto signo à nobis suprà assignato āte præuisionem peccati primi Parētis; quò scilicet prædeterminauit certum numerum hominum futurorum in gloria, non determinando hunc, aut illum determi-

natè, & in particulari futurum de tali numero: vndè hæc prædestinatio fuit facta ante præuisionem lapsus primi Parentis, & totius generis humani; prædestinatio autem quò ad executionē est ista, qua Deus ordinauit, & elegit hunc, & illum in particulari ad gloriam, & ad essendum de numero illius, quæ priùs prædeterminauit futurum in gloria; hæc autem prædestinatio fuit facta ex massà iam naturæ corruptæ, quia postquàm Deus pręuidit lapsum generis humani, & decreuit adhibere remedia, & hominibus tribuere auxilia, vt saluarentur; respexit ad eorum opera, & elegit, ac prædestinauit ad gloriam hunc, & illum in particulari, quem præsciuit cooperaturum cum auxilijs, & finaliter perseueraturum in gratia.

PROPOSITIO IX.

Primi Parentes habuerunt species infusas rerum naturalium in vniuersali, seu quò ad earum essentias, & quidditates genericas atquè specificas.

Votum dat Scotus Propositioni in 2. dist.20. quæst. 3. nam ibidem inquirit; an filij ex primis Parētibus naturaliter nascituri in statu innocentiæ creuissent in corpore, & scientia sicut modò: si autem non supponeret primos Parentes habuisse perfectam magnitudinem corporis, ac rerum naturalium cognitionem, & per consequens infusas earum species, sine quibus scientia infusa haberi non potest; frustrà inquireret, an eas habuissent filij ab eis nascituri, nam tamquàm certum deberet supponere filios non futuros in illo statu præfectiores primis Parentibus. Eadē Propsitio colligitur ex eodē Scoto dist.3.quęst.11.vbi asserit Angelos habuisse species infusas rerum omnium intelligibilium, seu cōcreatas; rationes, quibus docet congruū fuisse Angelos accepisse species rerum omnium intelligibilium concreatas; conuincunt congruum fuisse primos Parentes habuisse illas.

Probatur igitur nostra Propositio: scientia infusa non habetur nisi per species infusas, sed primi Parentes habuissent scientiam infusam rerum naturalium quò ad earum essentias, & quidditates genericas, & specificas; ergo habuerunt species infusas earum. Probatur illa maior: nam ipsæ species intelligibles infusæ rerū

sunt

sunt ipsa scientia infusa habitualis,quia scientia seu cognitio habitualis nil aliud est, quàm qualitas intellectui adhærens,& constituens ipsum in actu primo potentem actualiter cognoscere obiectum,seu habere cognitionem de illo,sed species intelligibiles, infusę sunt qualitates intellectus adhęrentes,& ipsum constituentes in actu primo potentem habere cognitionem actualem de illis obiectis quorũ sunt species; ergo sine specibus infusis nequit haberi scientia infusa.Minor prioris syllogismi probatur ex capite 15. Ecclesiastici, vbi de primis Parentibus asseritur Deum illos scientiam impleuisse :probatur etiam ex cap.2. Genesis, vbi narratur Adamum omnibus animantibus terræ , & vniuersis volatilibus Cœli congrua suis naturis nomina imposuisse ; quod fieri non posset; nisi haberet cognitionem , & scientiam de illorum naturis , & quidditatibus: sed illa scientia non erat acquisita , siquidem animantibus nomina imposuit prima die,qua fuit creatus , & antequàm fuit à Paradiso expulsus. Nec est credibile, quòd in tam breui spatio temporis possit acquiri scientia de illis; ergo illa scientia erat infusa , & cum ipso concreata , est per consequens primi Parentes habuerunt scientiam, & species infusas rerum naturalium quò ad eorum essentias , & quidditates genericas , & specificas .

Oppones primò ex tertio Genesis ; vbi dicitur de primis Parentibus,post esum fructuis prohibiti aperti sunt oculi amborũ , quod nihil aliud est, quàm dicere eorum intellectus fuisse illuminatos ad cognoscendum ea , quæ priùs ipsis fuerunt ignota: nam ibidem non est sermo de oculis corporis (cùm non fuerint primi Parentes procreati cæci) sed de oculis mentis , nempe intellectus; ergo aliqua fuerunt ipsis ignota in statu innocentiæ , & proindè non habuerunt scientiã infusam omnium rerum naturalium . Concesso antecedente , negatur consequentia : quippè verba sacræ Scripturę solùm insinuant apertos fuisse oculos primorum Parentum ; hoc est illuminatos fuisse eorum intellectus ad cognosendum turpitudinem peccati ab ipsis cõmissi in particulari, quam licèt anteà non cognouerint: tamen indè non consequitur , quòd non habuerint scientiam , & cognitionem infusam omnium rerum naturalium quò ad earum essentias,& quidditates genericas , & specificas ;

nam licèt non habuerint in statu innocentiæ cognitionem practicã illius peccati in particulari eiusque turpitudinis, habuerunt tamen scientiam peccati in communi,& quò ad eius rationes genericas, & specificas, sicut & aliarum rerum naturalium.

Replicabis;Adamo dictum est à Domino Gen.3.post peccatum: Ecce *Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum &c.* ergo ante peccatum nullo modo habuit cognitionẽ mali. Negatur consequentia; nam ibi Deus locutus est ironicè tantùm, reprehendens Adam.

Obiicies secundo;Deus increpans Adam se abscondentem eo, quòd nudus esset, dixit: Quis indicauit tibi, quòd nudus es? ergo ante peccatum Adam suã nuditatem veluti paruulis ignorabat; & consequenter non habuit scientiam infusam omnium rerum naturalium. Negatur consequentia: nam Adam ante peccatum cognouit se fuisse nudum, nec verba scripturæ indicãt post peccatum tantùm, & non ante cognouisse suam nuditatem; sed solùm significant non concepisse verecundiam de sua nuditate, nisi post peccatum: in statu enim innocẽtiæ cùm nulla esset verecundia homines esse nudos,quãdiù Adam perseruauit in innocẽtia, nullam habuit, nec cognouit de illa verecundiam; hinc verba Scripturæ nihil aliud significant, quàm quòd Adam non aliundè fuit, quòd verecundiam concepisset de sua nuditate,nisi ex hoc quòd trãsgressus Diuinum prçceptum comcedendo fructum, quem Deus ei præceperat, nè comcederet.

Oppones tertiò; serpens decepit Euam promissione scientiæ boni & mali dicens: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum &c.* Sed si Eua habuisset rerum naturalium scientiam non fuisset decepta ex illius promissione, quia cognosceret se iam illam habere; ergo primi Parentes non habuerunt sciẽtiam infusam rerum naturalium. Respondetur Euam nõ fuisse deceptam ex promissione scientiæ naturalis, quam iam habebat; sed alicuius scientiæ alterius ordinis, quam credebat serpentem posse sibi dare.

Oppones quartò: Adamus non imposuit nomina astris,nam hoc soli Deo reseruatum credimus iuxta illud Psalmi 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*; ergo indè clarè colligitur Adamo neutiquàm communicata esse cognitionem astrorum, quippè tunc

eis

eis nomina imposuisset. Debilis est, & Spurius hic discursus, vndè & si ex eo, quòd Protoparens imposuerit animalibus nomina, deducatur eum habuisse eorumdem cognitionem (nam valet tamen) Astris nomina non non imposuit; ergo illa minimè nouit. Primo quia vtique potuit illa cognoscere, & eis nomina non imposuisse; quia iam anteà nomina habuerunt à Deo imposita. Item Christus eis nomina minimè imposuit; cùm tamen eorum notitiam habuerit: nec est verum cognitionem Astrorum esse propriam solius Dei; ità quòd nequiuerit à Deo communicari Adamo, cùm talis scientia fuerit communicata Salomoni, vt legitur Sapientiæ 7. *Ipse dedit mihi horum, quæ sunt vera scientia, vt sciam dispositiones orbis Terrarum, & virtutes elementorum, &c.* Hinc colligo, quòd rationabiliter astrorum scientia debuit communicari Adamo in illo fœlicissimo innocentiæ statu; erit enim Magister, & caput totius humanæ propaginis. Minùs nocent nobis verba illa de Salomone dicta 4. Regum: *Dedi tibi cor sapiens*, & intelligens taliter; vt nullus ante te similis tui fuerit, *nec post te similis tui fuerit surrecturus.* Intelliguntur quippè hæc verba de hominibus particularibus, non vniuersalibus; quo in sensu poterat dici homo vniuersalis Adam, cùm cunctorum hominum foret caput. Memento talem cognitionem fuisse communicatam Christo.



DISPV-

DISPVTATIO VI.

DE CREATVRA MERE' MATERIALI.



ATIS de creatione Angelorum,& primorum Parentum productione, ſicut & de Innocentiæ ſtatu,diximus:modò de creatura merè corporali, inſtituendus eſt ſermo.

Omnium rerum materialium, & corporearum creationem expreſſit Moyſes; dum ita orditur Geneſim: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*, Harum corporearum rerum creationem, claram dabimus beneficio nonnullarum Propoſitionum. Præmittimus tamen nonnulla documenta de Cœlo.

AD BENEVOLVM LECTOREM.



Ediocris illa vtilitas,quæ nobis breui tempore in terra commorantibus aduenit, ita animum pulſat noſtrum, indefeſſo ſtudio inquirat, quænam ſit corruptibilis mundi natura, quæ proprietates. Multò magis allicere animum noſtrum debet Cœli pulchritudo, atque perpetuitas;cum inter varias, quæ nos maximè pungunt animi perturbationes, & ſpinoſos dolores, ſola ſpes exeundi aliquando ex hoc fœtido carcere, & in cœleſtia corpora tranſmigrandi, vt perpetua quiete fruamur, nobis iuuamento, & leuamento eſt.

Eſt Cœlum, æternum animæ rationalis domicilium;neceſſum

est paulò curiosius indagare, quale sit illud futurum domicilium. Non est vna, eademque huiusce dictionis significatio, vt optime docet Aristoteles lib. de Cœlo cap. 9. textu 95. & sequentibus, vbi traduntur tres significationes huius dictionis (Cœlum). Prima huius nominis significatio, & proprijssima est, vt significet omnia illa corpora, quæ partem superiorem mundi occupant, & supra elementum ignis sunt. Secunda est, qua corpus illud significatur solùm, in quo sunt omnes illæ stellæ, quæ nocturno tempore lucent, & appellari solet Cœlum stelliferum, ita vt pars, totius nomen retineat. Tertia est, eaque impropria, qua, non illa superior mundi pars, incorruptibilis, & immortalis, sed insuper omnes aliæ partes mundi, mortales, & corruptibiles, idest, vniuersus mundus significatur. Notanda est distinctio hæc, qua Cœlum aliquandò propriè, aliquandò impropriè sumitur: nam multa dicuntur de Cœlo impropriè dicto, tam in libris de Cœlo, quam metaphysicorum Aristotelis, quæ nullo pacto conuenire possunt Cœlo propriè nuncupato. Quæret fortasse aliquis quare corpus illud superius, nomen Cœli acceperit? sed huius nominis impositionis, triplex reddi potest ratio. Prima vt Cœlum dicatur, quia cælatum est varijs figuris atque imaginibus: quidquid enim ornatum est imaginibus, cælatum dici solet. In Cœlo stellifero mille viginti duę stellæ, ad quadraginta octo imagines sunt redactæ, & quilibet planetarum, imago dici potest. Secunda à, cælando Cœlum dictum est; cælat enim, circumdat, & contegit vniuersum sublunarem mundum, vt non allucinetur ille, qui mundum dixerit domui similem, cuius terra fundamentum sit, & Cœlum sit tectum. Tertia, Cœlum à concauitate nomen habet. Duæ sunt in Cœlo superficies, scilicet concaua, quæ terram respicit, conuexa, quæ sursum est; & quia concauam partem videmus, conuexam non videmus; nihilque est in mundo eiusdem figuræ, Cœli nomen, concauo Cœlo inditum est. Nos, qui deinceps de Cœlo disputaturi sumus, nihil de Cœlo secundum tertiam significationem dicemus, contenti autem erimus duabus primis significationibus. Fatemur non vnius esse scientiæ explicare mirabilia, quæ in Cœlo sunt; nam Theologi creationem

illius,

illius; atque perpetuitatem, ita ſibi vendicant, vt etiam explicent ſupremi Cœli naturam, in quo Deus eſt, in quo beatificantur Angeli; in quo animæ benedictæ ſunt in perpetuum futuræ.

Metaphyſica abſtinere non poteſt à Cœlorum ſpeculatione, cum niſi, per eos ad Intelligentiæ naturam, & numerum non perueniat. Peculiaris tamen illa ſcientia, quæ Aſtrologia, ſeù Aſtronomia dicitur, ſibi hoc totum vendicat munus, vt Cœlorum, & ſiderum in eis exiſtentium, adamuſſim, & exactè inquirat naturam, & proprietates. Diuiditur autem Aſtrologia in duas partes, quarum prima, quæ eſt ſpeculatiua, ſpeculatur materiam, formam, numerum, ſitum, acceſſum, regreſſum, varioſque influxus tam Cœli, quam ſiderum. Secunda, quæ eſt practica, & iudicatiua, effectus examinat, & de futuris iudicat, quorum Cœli cauſa ſunt. Effectus in duplici ſunt differentia; Alij enim ſunt merè naturales, & à cauſis naturaliter proueniunt; De his, ſine peccato, & errore diſſerit Aſtrologia iudicatoria, cuius iudicium, valdè eſt vtile, vt ſciatur, quando Eclipſis Solis, & Lunæ futura ſit, quæ aliquid ſemper portendit mali; vt etiam ſciatur an ſit futura terræ ſterilitas, an abundantia, an morbi futuri, & cuius naturæ atque malignitatis. Effectus alij ſpontanei ſunt, & liberi, vtpotè, qui à voluntate libera fiunt, quorum nulla alia poteſt reddi cauſa, quam ipſamet voluntas; hinc damnoſa eſt, & ab Oecumenicis Concilijs prohibita, Aſtrologiæ iudiciariæ pars, qua, futura contingentia, ſe poſſe diuinare gloriaturum. Hanc partem (vtpotè diabolicam) prætermittemus intactam, & ea parte contenti erimus, quam explicat Ariſtoteles in lib. de Cœlo, & qui de ſphæra diſputant; habet enim ea pars authorem Deum, primo Parenti eam reuelantem, quamque præcæteris, Abraham ſanctus, & iuſtus, eſt profeſſus; Authore namque Ioſepho lib. 1. antiquitatum Iudaicarum cap. 6. Abraham hanc docuit noſtram Aſtrologiam.

His præmiſſis, Cœlum conſcendamus, illiuſque naturam ſpeculemur; quia materia prima eſt pars cuiuſcumque compoſiti, eſtque Cœlum compoſitum; à materia exordiamur.

Diſcur-

Discurritur de materia Cæli.

INcipiamus à primo documento.

DOCVMENTVM I.

Cælum compositum est ex partibus integrantibus.

PAtet, quia ſicut eſt quantum, ita habet plures partes ſubſtantiales, ex quibus componitur; in ſingulis autem partibus Cœli ſubſtantialibus, recipiuntur ſingulæ partes ſubſtantiales.

DOCVMENTVM II.

Cælum est dupliciter compositum.

PRimò, eſt compoſitum ſubſtantiale ex partibus ſubſtantialibus integrantibus. Secundò eſt compoſitum per accidens. Nam Cœlum etiam eſt compoſitum ex ſubſtantia cæleſti, ex quantitate accidentali.

DOCVMENTVM III.

Cælum potest esse simplex simplicitate materia, & forma.

SEnſus eſt, poſſe dari Cœlum, quod non ſit compoſitum ex materia, & forma. Probatur: quia nulla poteſt afferri implicantia contradictioris. Adde grauiſſimos Doctores docere Cœlum de facto eſſe ſimplex ſimplicitate materiæ. Ita Auerroes tract. de ſubſtantia orbis cap. 1. Zimara theoremate 107. Zabarella lib. de natura Cœli à cap. 6. Durandus in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. Gabriel, Aureolus, Maironus, & alij, fauet Scotus in 2. diſtinct. 14. vbi docet ad mentem Philoſophi Cœlum non conſtare materia. Suadetur: quia ex tranſmutatione ſubſtantiali nos inuenimus materiam in ſublunaribus; ſed in Cœlo non datur tranſmutatio ſubſtantialis, vt infra probabimus; ergo in Cœlo non datur materia prima. Confirmatur primo, quia natura eſt maximè amica vnitatis: ſed magis vnum eſt Cœlum, ſi careat materia prima, ſi enim componitur ex materia, tunc etiam componitur ex forma; vbi enim eſt materia, ibi eſt forma, cum qua facit vnum per ſe compoſitum, & conſequenter Cœlum componeretur ex pluribus entibus ſubſtantialibus. Confirmatur, quia ponere materiam in Cœlo, eſt diuinare, & ponere ſine vlla neceſſitate, ſiuè talis materia ponatur diuerſa ſpecie à materia

 ſub-

ſublunari, ſiuè eadem ſpecie cum materia ſublunari; nullum enim eſt ſufficiens ſignum ponendi materiam in Cœlo. Confirmant authoritate Ariſtotelis, qui teſte ipſo Scoto in 2.diſt.14. tenet iſtam ſententiam eſſe ad mentem Ariſtotelis: nam 8.metaph.textu 14. docet materiam conuenire tantum rebus generabilibus, & corruptibilibus, & textu 22. docet ſubſtantias naturales perpetuas, fortaſsè non habere materiam, vel non talem materiam, ſed ſolùm, quæ ſecundum locum mobilis eſt, & 9.metaph.docet in perpetuis non eſſe potentiam, ſcilicet materiam: quia perpetua non poſſunt corrumpi, ſicut eſt Cœlum. Ita diſcurrunt ſupracitati Doctores.

Quod ſi illis obijcias, quod ex Ariſtotele datur materia in Cœlo; nam 7. Metaph. textu 8. diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum ex his; at Cœlum, non eſt materia, neque forma: ergo eſt compoſitum ex his. Item primò Cœli à textu 92.probat Cœlum eſſe vnum, quia Cœlum eſt ex tota materia, & 9. Metaph. textu 17. probat Cœlum habere materiam, eo quod mouetur.

Reſpondent præcitati authores, negando antecedens. Ad primum locum Ariſtotelis dicunt cum Durando, ibi Ariſtotelem eſſe loquutum de ſubſtantia corruptibili; ſicut enim Angelus eſt ſubſtantia incompoſita ex materia, & forma, ita Cœlum eſt ſubſtantia incompoſita ex materia, & forma. Ad ſecundum dicunt cum Auerroe, Cœlum aliquando ſumi pro toto mundo, qui mundus componitur ex elementis tamquam ex materia. Ad tertium dicunt cum Sancto Thoma, quodlibet ſubiectum poſſe dici materiam; quoniam igitur Cœlum recipit in ſe motum, quantitatem, & reliqua accidentia; ideo in hoc ſenſu habet materiam, vel potius eſt materia.

Replicabis. Cœlum eſt à Deo tranſmutabile ſubſtantialiter, ergo habet materiam: quippè tranſmutatio ſubſtantialis requirit materiam, quæ dicitur eſſe potentia contradictionis ad eſſe & non eſſe. Reſpondent, tranſmutabile ſumi dupliciter; & primò, quod per creationem de non eſſe ſubſtantiali, ad eſſe ſubſtantiale: vel per annihilationem tranſit abeſſe ſubſtantiali ad non eſſe ſubſtantiale. Secundò, quod ab vna forma phyſica ſubſtantiali tranſit ad aliam formam. Primò

mò tantummodò Cœlum est transmutabile substantiale; vndè negant consequentiam; materia enim facta est propter transmutationem substantialem ad formas; sed ista transmutatio non datur in Cœlo: ergo nec materia: etenim nihil ponendum est frustra, & sine causa in natura.

Replicabis. Subiectum & materia conuertuntur: sed in Cœlo est subiectum: ergo materia. Respondent materiam sumi dupliciter. Primò, est subiectum receptiuum formæ substantialis tamquam compartis; Secundò est subiectum receptiuum formę accidentalis. Dicunt ergo tantum secundo modo dari materiam in Cœlo, quod recipit quantitatem, diaphaneitatem, motum, sicut etiam Angelus spiritualis est subiectum suæ intellectionis, sui motus, sicut anima rationalis. Hinc negant simpliciter materiam. Replicabis. Cœlum est simplex carens materia; ergo est ens spirituale. Respondent quod simplex, est in triplici differentia. Primò, simplicitate opposita mixtioni; ita elementa sunt corpora simplicia; quia licet componantur ex materia, & forma, tamen singula non sunt composita ex quatuor elementis, siuè qualitatibus omnium elementorum, sicut planta dicitur esse materia, quia componitur ex elementis. Secundò simplicitate opposita compositioni ex forma substantiali, & ex materia prima, ita elementa non sunt simplicia. Tertiò simplicitate opposita compositioni partium integrantium. Hoc tertio modo Cœlum non est simplex; vndè negant consequentiã; quia ens spirituale non componitur ex partibus integrantibus ordinatis ad quantitatem.

Oppones. Cœlum est obiectum physicæ; ergo debet habere principia physica, scilicet materiam, formam, & priuationem. Respondent negando consequentiam; illa enim principia tantum conueniunt rebus sublunaribus; sufficit autem, si Cœlum sit ens mobile: nam verè est principium lationis, & alterationis; sic discurrunt præcitati Doctores.

DOCVMENTVM IV.

Cœlum sua constat materia.

Documentum hoc, hæ suadent rationes. Prima, quidquid est physicæ considerationis, si totum est, ex materia

constat: si pars, aut est materia, aut aliquid eductum de potentia materiæ, aut habet necessariam connexionem cum materia: sed Cœlum est physicæ considerationis teste Aristotele, qui quatuor de Cœlo libros inter alios de physico auditu inserere voluit; ergo totum Cœlum habet esse ex materia compositum: & altera pars, nempe forma, educta esse debet de potentia materiæ, & debet esse in materia; habereque cum ea connexionem: Accedat secunda ratio. Quidquid est per existentiam, & subsistentiam; vel est actus, vel habet actum; actus est, si forma fuerit: actum habet, si materia est, cui sit annexa forma: sed Cœlum non est actus; cum non sit nuda forma; ergo est actum habens, & constat materia, quæ actum habet, nempè formam. Tertiò. Vbi sunt accidentia, quæ materiam consequuntur, ibi & materia est: sed in Cœlis sunt accidentia quæ consequuntur materiam, ergo materia in Cœlis est. Maior propositio in dubium verti non potest ab eo, qui nouit accidentium distinctionem, quæ in hoc consistit, vt quædam sint amica formæ, eamque nunquam deserant; alia sint amica materiæ, ita vt sine illa non sint, & vbi illa fuerit, hæ quoque adsint. Posterioris generis sunt, quantitas, & quæ sine quantitate non sunt. Minor probatur, quia extensio, & diuisibilitas, quæ inseparabiliter sequitur quantitatem, reperitur in Cœlo, sicut raritas, densitas, figura, & alia id genus multa.

DOCVMENTVM V.

Cœlorum materia est eadem specie cum materia rerum sublunarium.

Ita habet Scotus in 2. dist. 14. & alibi. Sensus est. Secundum omnes, res sublunares, quomodocumque inter se distinguantur, siuè realiter, siuè essentialiter, non tamen diuersas habent materias, sed vna eademque est omnium rerum sublunarium materia. Simili modo, cælestia corpora, quantumuis inter se, & à rebus sublunaribus distinguantur, non tamen diuersam specie habent materiam, sed omnium Cœlorum, omnium elementorum, omnium ex elementis compositorum, vna eademque specie est materia. Probatur hæc vnitas, & identias materiæ ab impossibili; hoc modo. Impossibile est plures esse

se materias specie inter se distinctas: ergo vnica est materia. Probatur antecedens: quia omnis distinctio specifica prouenit ex actu formali in physicis, sicut ex differentia essentiali in metaphysicis: sed materia intrinsicè, & in se non habet formam tamquā partem sui; ergo non habet vnde distinguatur specie, & essentialiter ab alia materia. Adde & hanc probationem. Id, quod est in vltimo gradu, vltra progredi non potest, idest, non est diuisibile in vlteriores partes, quæ sint inferiores, & inter se distinguantur. Hinc fit, vt quamuis genus sit diuisibile in species, & species quælibet sit diuisibilis in indiuidua; nullum tamen indiuiduum sit diuisibile in aliquid inferius, aut in plura inferiora (quia in serie prædicamentali indiuiduum occupat infimum gradum): sed materia est in infimo gradu naturæ, vndè appellatur pura potentia, & propè nihil; ergo impossibile est diuidi in duas materias essentialiter distinctas; nam hæc distinctio facit vnam materiam, altera nobiliorem, & hæc nobilior materia, non esset re vera materia: non esset propè nihil: non esset potentia pura: non esset in vltimo gradu naturæ: cum omne imperfectius sit sub perfectiori.

DOCVMENTVM VI.

Non est improbabile simpliciter materiam Cæli differre specie à materia sublunarium.

AD pleniorem probationem, præmitto non carere probabilitate sententiam docentem non repugnare plures materias specie diuersas. Probatur quia sicut non repugnat dari plures specie formas, ita nec repugnat dari plures specie materias. Secundò sicut materia potest esse vna specie, multiplex numero; ita potest esse materia, vna genere, multiplex specie. Tertiò sicut dantur diuersa specie subiecta ad diuersa specie accidentia; ita possunt dari diuersæ specie materiæ ad diuersas formas. Quartò sicut potest dari materia, quæ respiciat plures formas sub ratione formæ, ita potest dari materia, quæ respiciat vnam, vel aliquas formas sub ratione talis formæ, v. g. sub ratione formæ animatæ, vel sub ratione formæ spiritualis. Quintò, quia non potest assignari aliqua implicantia neque ex parte

parte Dei, neque ex parte formæ. Vrgetur ratio. Quidquid non implicat contradictionem, concedendum est Diuinæ Omnipotentiæ: sed non implicat contradictionem creari à Deo materias specie diuersas; ergo id potest facere Deus. Minor probatur, quia nulla est implicatio in eo quod faciat Deus vnam materiam, quæ solum recipere valeat formas corruptibiles, & aliam, quæ solum recipere possit formas incorruptibiles, & etiam, quæ has & illas complectatur, inter quas sine dubio dabitur specifica distinctio; cum respiciant formas specie diuersas, à quibus specifica materiarum distinctio sumitur.

Oppones. Omnis distinctio fit per aliquem actum teste Aristotele 7. Metaph. textu 49.: sed materiæ, cum sint puræ potentiæ, nullum in se actum includunt; ergo repugnant specie distingui. Respondetur, omnem distinctionem fieri per actum metaphysicum, & formalem, nempè differentiam specificam; hunc actum habet materia, licèt sit pura potentia physica; & ideò potest vna specie distingui ab alia: actus enim physicum, & informatiuus solum requiritur ad causandam distinctionem inter species completas; materia autem est species incompleta, & ideò non debet distingui per actum physicum, sed metaphysicum.

Oppones. In quolibet genere causarum datur vna prima causa, vltra quam progredi non liceat, vt probat Aristoteles 2. Metaph. cap. 6.; ergo in genere causæ materialis deueniendum est ad vnam primam materiam; ergo non sunt possibiles species diuersæ materiæ: alioquin causa materialis non esset vna, sed multiplex. Confirmatur, quia pura potentia opponitur puro actui; sed in puro actu, scilicet Deo, non potest esse specifica distinctio, ergo nec in pura potentia qualis est materia. Respondetur, Philosophum in eo loco solum intendere, in quolibet genere causæ, necessariò deueniendum esse ad aliquam, quæ in eo genere sit prima; ita vt, ipsa, à nulla alia causetur in eodem genere: v.g. in genere causæ efficientis, finalis, & exemplaris, deuenimus ad Deum, qui est prima causa omnium creaturarum in hoc triplici genere causæ, cum in illo, non fiat ab alio. Deinde in genere causæ formalis deuenimus ad formam substantialem, quæ in tali genere, à nulla

nulla alia causa causatur; & eodem modo, materia prima in genere causæ materialis est prima causa formarum substantialium, quia ipsa in tali genere à nulla alia causa causatur. Cum hoc tamen benè compatitur posse esse plures materias specie diuersas, sicut possunt esse plures formæ substantiales specie diuersæ. Ad confirmationem respondetur: cum actus purus claudat in se omnem perfectionem, illi omninò repugnat specifica distinctio; at verò pura potentia, vtpotè, quæ continet limitatam perfectionem, non repugnat multiplicari specie.

Oppones. Si possibiles essent plures materiæ specie diuersæ, vna illarum esset necessariò perfectior altera: hoc autem fieri non potest; ergo nec illud. Confirmatur: quia materia est ens omnium imperfectissimum, & propè nihil, quod verum non esset, si vna materia esset perfectior alia: nam materia perfectior non esset ens imperfectissimum, & propè nihil; siquidem perfectior esset, & longiùs distaret à nihilo, quam materia imperfectior. Respondetur, materiam non dici ens imperfectissimum propterea quod nihil sit imperfectius illa, nam multa accidentia sunt imperfectiora materia. Dicitur ergo materia ens imperfectissimum, & propè nihil in genere substantiæ absolutæ; quia imperfectior est omni substantia absoluta, sicut creaturæ dicuntur non ens comparatione Dei, quia valdè distant in perfectione ab illo; cum quo tamen benè compatitur intra latitudinem materiæ, esse posse maiorem, vel minorem perfectionem essentialem, & consequenter vnam specie distingui ab alia.

Mihi etiam possibilis est materia spiritualis. Probabile enim mihi est, (vt dixi in libris Typis mandatis de Angelis,) Angelos, & animas rationales constare ex materia, & forma physica. Multi ex nostratibus sunt mecum hac in parte ex Scoto quæst. 15. de anima. Legatur Pater Cauellus disput. 1. sect. 6. Fateor Scotum ibi non loqui ex mente propria, sed iuxta fundamenta Aristotelis, & Sancti Thomæ, ad quorum aures materia est principium indiuiduationis; hinc cum in eadem specie Angelica sint Angeli numero distincti, consequenter in ipsis videtur locum habere materia. Quoniam verò subtilissimus Doctor efficaciter soluit argumenta

incon-

incontrarium, videtur in illam in illam inclinare sententiam, eò vel maximè quia quolib. 9. sub littera H, ita legit: Intelligere est operatio immaterialis quia proximum receptiuum habet, non includens materiam *saltem corporalem*. Hinc colligo subtilissimum Doctorem implicitè sentire animam constare ex materia incorporea, quod idem dicendum de Angelis. Si quis probationes desiderat, legat nostrum tractatum de Angelis. Addimus, huic nostræ sententiæ votum dare Seraphicum Bonauenturam in 2. dist. nct. 3. parte 1. artic. 1. quæst. 2. Riccardus ibidem, Albertus artic. 4. ibidem, Vorilion ibidem, Aureolus apud Capreolum ibidem quæst. 1. artic. 2. Alensis parte 2. quæst. 10. membro 2. Hinc mirum videri non debet, me admittere materiam in Angelis (saltem de possibili) cum tot graues Doctores illam de facto dicant locum habere in Angelis.

Oppones, quod si Angelus haberet materiam: ergo nulla esset ratio qua posſemus negare Angelum esse corporeum, extensum, & quantum. Respondemus, materiam secundum se capacem esse, tum formæ corporalis, tum spiritualis; hinc de se neutra est, sicut superficies de se, nec nigra, nec alba. Non est ergo verum dicere materiam diuidi per quantitatem, quia sua hecceitate diuiditur.

Obijciunt alij, inde deduci corruptibilitatem locum habere in Angelis: quippè materia est indifferens ad omnes formas, & vna habita, alteram desiderat. Negamus consequentiam: quippè etsi fateamur materiam de se capacem esse aliarum formarum; tamen si informetur à tali forma spirituali, vt non admittat huiusmodi forma in nouam mutationem transire eo quod nullum creatum agens, eam alterare valet, tunc materia illa non est ratio corruptibilitatis. Adde, quod cum totum specialiter, & principaliter suam sumat specificationem à forma, si hæc erit simpliciter incorruptibilis, subitò incorruptibile simpliciter concluditur esse totum. Vel dicas Angelos posse dici corruptibiles de remoto ratione materiæ; qua ratione etiam corruptibilitatem admittimus in Cœlo. Replicabis ergo Angelus potest desinere per separationem partium. Occurrimus negando, ex separatione partium sequi in tali casu corruptionem, quinimò potius deduci-

ducitur ſeparatio, ſeù dotitio in tali caſu, vel annihilatio. Verum, in rigore, quia remanerent partes in ſuo eſſe, nec ſimpliciter foret annihilatio, qua ratione foret appellanda alio nomine nobis ignoto. Nec hoc mirum, nam ita diſcurrunt Theologi de ſeparationis panis in Euchariſtia. Dices; ſit caſus, quod Deus ſeparet formam Angeli à materia; tunc illa forma ſpiritualis, iam haberet intelligere, & velle; ergo illa forma gauderet materia: etenim accidentia huiuſmodi deberent recipi; at, non niſi in materia: ergo, &c. Sit tale argumentum: denudet Deus talem materiam, tali forma. Peto, intelligeret, & vellet nec ne? Non dicas quod non, quippè non eſſet maior ratio de hac, quam de illa; ergo aſſerenda pars affirmatiua. Quo circa Deus, ſi iterum ſepararet, ergo in infinitum procederemus. Occurrimus, quod in tali caſu operatio foret neganda illi formæ, cum iam ſine materia ſupponeretur, quo circa quaſi truncus maneret forma illa; ſicut in ſententia Angelici Magiſtri, anima perſeueraret quando ſepararentur ab ea propriæ potentiæ, quæ ſunt accidentia in ſchola Diui Thomæ; loquor de intellectu, & voluntate.

Oppones inde ſequi formam Angelicam poſſe educi ſaltem ope Diuina de tali materia; Vnde Angelus inter res generabiles locum haberet. Reſpondemus quod ſi ſermo ſit de rebus vt de facto illæ ſe habent, Angeli ſunt termini creationis, ita docente Concilio Lateranenſi. Verum ſi de ordinaria potentia, ad abſolutam Dei fiat tranſitus, multi ſunt opinati, nullam docere repugnantiam doctores admittentes generabilitatem in Angelos, eorumque formam educi de materiæ potentia. Alijs placet, quod cum forma Angeli præſtantiſſima eſſet, non poſſe illam educi de materiæ potentia; quæ doctrina poſſet explicari exemplo habituum ſupernaturalium, qui etſi accidentia ſint, tamen ob eorum perfectionem, eis intrinſicè repugnat eductio de materiæ potentia. Oppones quod Angeli intellectio immaterialitate gaudet. Nulla ergo ratione Angelus erit materialis. Adhæremus Durando in 2. diſtinct. 3. quæſt. 7. negando conſequentiam; docet quippè ex ſuppoſito diſcurſu deduci hominem inter res immateriales fore connumerandum; cum eiuſdem hominis operatio aliqua, immaterialitate ſit dotata. Occurrit quod

Angelus adhuc dependet à concursu corporis, vt corpus cognoscat; ergo Angeli operatio minimè immaterialitate simplici gaudet. Vel si placet dico cum Scoto quolib. 9. littera G. quod immateriale triplici in sensu capi potest. Et sic dicitur operatio animæ immaterialis, primò vt est inorganica, quatenus scilicet, ad intelligendum non petit sibi organum determinatum, sed totus homo intelligit; & hoc in sensu non benè deducitur immaterialitas in essendo; quippè etiam ignis operatur inorganicè, & tamen dependet à materia. Secundò dicitur immaterialis respectu obiecti in quantum percipere valet vniuersale; & hoc in sensu, solum terminatiuè est immaterialis, quinimò cum adhuc materialia percipere valeat, non concluditur in essendo immaterialitas simpliciter. Tandem dicitur immaterialis pro quanto in subiecto inextenso sedem habet; Hinc cum intellectio solum recipiatur in anima inextensa, deducitur quod in essendo dicatur anima immaterialis secundum inextensionem. Idem dico de Angelo, cuius operatio immaterialitate gaudet pro quanto recipitur in Angelo qui inextensus, & immaterialis est. Hinc non concluditur materiam spiritualem non posse locum habere in Angelis. Oppones receptiuum, denudatum debet esse à materia recepti teste Aristotele 3. de anima. Hinc intellectus debet esse denudatus à materia cum cognoscat res materiales. Occurrimus ex Scoto in 2. distinct. 3. quæst. 6. glosando Aristotelis dictum; dicendo, intelligendum fore de organico receptiuo, seù de potentia sensitiua, v. g. de oculo qui, vt cunctos colores percipiat, à natura recepti debet esse denudatus. Hinc visiua potentia, nullius est coloris: quia si pupilla foret viridis, cuncta viridia apparerent. Non ergo authoritas Aristotelis vrget de spirituali potentia: quandoquidem cum intellectus sit totius entis perceptiuus, si deberet esse denudatus à natura recepti, deberet & etiam non esse ens.

Oppones nostram doctrinam aduersari Diuo Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus docenti Angelos incorporeos esse, & immateriales; Dionysio votum dant, & alij Patres vt in libris de Angelis notaui. Respondemus, Angelos materiales dici comparatiuè, nimirum comparando illos ad Deum, in cuius comparatione creaturæ cunctæ,

veniunt afferendæ materiales. Vel dicas Angelos ita appellari, eo quod non ſint mutabiles ad formam ſubſtantialem. Inſurges petendo de materia illa ſpirituali; eſſet ne eiuſdem ſpeciei cum noſtrate, vel foret alterius rationis? Non dicas primum, nec ſecundum ob rationes ſupra aſſignatas, quia indè ſequeretur ſemper concludi admittendam fore generationem, & corruptibilitatem in Angelica natura. Vt occurramus, dico poſſe teneri quod materia illa ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtrate. Non tamen rationabiliter indè deduci poteſt Angelum fore corruptibilem ſimpliciter. Ratio eſt: quia etiam in doctrina Scoti, materia Cœli conceditur eiuſdem ſpeciei cum noſtra, & tamen Cœlum aſſeritur incorruptibile, etſi inter corruptibilia connumerandum foret quando vnio propriæ formæ ad materiam, incorruptibilitate non gauderet. Ita diſcurrendum in re noſtra. Adde Angelum etiam fore appellandum incorruptibilem ob incorruptibilitatem ſuæ formæ. Dices ergo, & homo erit formaliter incorruptibilis: quippè eius materia, eiuſdemque forma incorruptibilis docetur. Solet reſponderi nullam eſſe conſequentiam, quia cum incorruptibilitas ſit prædicatum negatiuum, nequit de toto affirmari, niſi vtrique parti ſimul, & vnioni conueniat; verum, cum vnio formæ hominis ſit corruptibilis, eo quod anima amiſibiliter informet, non poteſt homo formaliter adſtrui incorruptibilis. Aliter diſcurrendum de prædicatis affirmatiuis; hinc dicitur homo intellectiuus ab anima, minimè verò immortalis; cum tamen non minus anima ipſa immortalis ſit, quam intellectiua. Inſurges: ergo homo poteſt dici ſpiritualis reſpectu animæ: quia prædicatum eſt affirmatiuum. Communis eſt reſponſio negando eſſe prædicatum affirmatiuum ſecundum ſe, quia explicatur à nobis per negationem, vel dependentiæ à materia, vel diuiſionis partium.

Non abhorremus (vt iam aliàs ſupra notauimus materiam diuerſæ ſpeciei): qua ſtante doctrina, diſtingueretur materia corporea noſtra à ſpirituali Angelica, eo quod iſta reſpiceret actum in ratione informandi diſtinctum ſpecie à materia noſtrate, eo quod inamiſibiliter haberet forma Angelica informare; noſtra verò informaret amiſibiliter; qui modi informandi, ſatis

sunt ad concludendam distinctionem specificam. Contrarios habebimus multos Scotistas in hac parte. Argumentantur etenim ita. Non dantur duo primi efficientes, nec duo fines primi: ergo nec duæ materiæ distinctæ specie. Nos iam supra sufficienter responsionem dedimus huic argumento. In præsenti contra nostrates sit tale argumentum. Dantur duæ formæ specie distinctæ: ergo duæ materiæ specie distinctæ nullam inuoluunt repugnantiam. Vel dent disparitatem. Discursus desumptus ex paritate vnius solius primi efficientis, & vnius solius primi finis, nil concludit contra nos: etenim aliundè est repugnantia, & est: quia cum vnus sit Deus rerum omnium causa: ita erit rerum omnium finis. Replicabunt Scotistæ hoc pacto. Dantur duæ materiæ specie distinctæ: ergo vna est perfectior altera; nunc ita vel erit perfectior in ratione potentiæ, vel in ratione actus; Non hoc secundum, quia nullum actum admittit pura potentia; ergo, primum, ergo magis imperfecta, quia magis erit in potentia. Non abhorrentes possibilitatem duarum specierum æqualis perfectionis, de facili se liberarent à proposito argumento. Nos stantes in communi sententia, aimus, quod vna erit perfectior altera; non tamen in ratione actus, nec in ratione potentiæ, sed potius ex eo, quod vna ex sua intrinseca ratione exigat esse perfectioris, actus, & inamisibiliter informari; qui modus cum sit perfectissimus, & ab alio specie distinctus est. Non mirum si materia Angeli perfectior asseratur, & distincta specie à nostrate. Dices ex nostra sententia, sequi concedendas fore in anima partes entitatiuas integrantes, quod tamen non potest admitti, nisi & etiam admittatur maximum absurdum: quippè sicut de fide tenemus animam esse spiritualem, & immortalem, sic & indiuisibilis afferenda venit. Adde quod anima esset simpliciter in partes corruptibilis; etenim si ab homine abscinderetur brachium, tunc illius animæ pars, quæ brachium informabat, separaretur à cæteris animæ partibus; ergo luce clarius concluditur animæ corruptio. Occurrit indè sequi posse animam, secundum vnam partem, æterna fœlicitate frui, & secundum aliam æterno supplicio damnari. Sit casus quod pars aliqua separaretur quando manet

manet in gratia, & alia separaretur dum vrget peccatum habituale; tunc pars habens sibi coniunctum peccatum, infernali igni foret tradenda; altera verò, cum separata sit in statu gratiæ; in Cœlum fœliciter euolaret.

Argumento, vt breuiter satisfaciamus; negamus sequi ex compositione materiæ, & formæ spiritualis, diuisibilitatem partium entitatiuarum:nam posset vtique stare non esse spiritualem & constare ex materia & forma, non verò ex partibus entitatiuis, sicut & etiam nec constare ex partibus quantitatiuis infert aliquod debere constare ex materia, & forma, sicut esset corpus simplex, quod sine materia & forma haberet partes integrantes. Tamen, licèt cum communi consensu teneamus animam indiuisibilem esse in partes integrantes eo quod careat illis. Nihilominùs non video repugnantiam, cur res aliqua spiritualis diuidi nequeat in partes integrantes. Mihi dant votum in hac re Suarez de Angelis libro 4. cap. 1. Arriaga disput: 1. de anima sect. 4. subsect. 8. Ouiedo, & cum istis alij; moueor; quia gratia potest diuidi intensiuè, & tamen spiritualis est, ergo & extensiuè; quandoquidem ijdem gradus, qui per intensionem in eadem subiecti parte sedent, valent per extensionem in diuersis subiectis sedem habere. Adde quod vnio animæ rationalis ad corpus, spiritualis est, & tamen integratur ex pluribus vnionibus partialibus: nam per nutritionem, noua materia habetur, & noua vnio; sed non totalis, vt constat, ergo partialis, ergo, &c. Si placet, idem habe argumentum de vbicationibus spiritualibus ipsius animæ in corpore integrantibus vnam præsentiam totalem; Idem dic de vbicationibus Angeli in eodem spatio ad plures partes correspondentibus (quod maximè vrget si Angelus, dum mouetur, secum ferat aliud corpus); tunc enim duæ essent relationes, vna ad corpus, alia ad spatium. Item visio exterior, integritatem admittit ex pluribus partialibus visionibus; non vnica enim visione indiuisibili videò Cœlum: etenim partem propinquam, video distinctè, remotam verò confusè; igitur ita erit visio interior, v. g. spiritualis cognitio; Vndè ergo repugnantia si concedatur admittendam rem spiritualem integrari partibus? Dices ergo sine fundamento negantur partes animæ, nec est nobis ratio cur

hoc

hoc de facto non dicamus. Respondemus obstare commune votum Scholasticorum à quibus sine rationabili fundamento recedere non iudicamus rationabile. Si rationes tamen attendantur, absurda adducta, minimè vrgent. Et quidem ad primum, respondere possumus cum multis, non esse de fide animam fore asserendam indiuisibilem; eam tamen immortalem, spiritualem, & cætera dicimus. Legatur Arriaga sect. 4. numero 139. Ad secundum posset negari sequi corruptibilitatem animæ; nam nulla fieri posset separatio partis à parte, quia in toto corpore indiuisibiliter omnes existerent, ita vt omnes in tota materia, & omnes in qualibet parte materiæ, sicut omnes partes corporis Christi sunt in qualibet parte hostiæ, & omnes in tota hostia. Hinc, abscisso brachio hominis, solum haberetur, quod omnes partes essent in minori materia, quam antea. Si quis plura desiderat illum remittimus ad nostrum tractatum de Angelis.

De Forma Cæli.

INuenta est in Cœlo materia eiusdem rationis, & naturæ cum materia rerum sublunarium; ex quo fit, vt sicut impossibile est de facto in rebus sublunaribus reperiri materiam sine forma; ita impossibile sit, materiam Orbium cœlestium, denudatam, & expoliatam esse omni forma substantiali informante. Qua de re, cum sint discrepantes sententiæ, quarum quælibet aliam formam dat Cœlo, nostrum est, quod sentiamus explicare.

DOCVMENTVM I.

Cælum quodlibet forma physica, & naturali constat, quæ substantialis, & de numero non viuentium est.

VNde, Cœli non sunt animati aliqua anima informante, nec constaret intelligentia tanquam altera parte compositi informante materiam, & dante specificum esse. Formam Cœli non esse de numero viuentium, ita probamus. Si Cœli forma est de numero viuentium; vel est intelligentia, vel est anima; neutrum dici potest: ergo Cœli forma, viuens non est. Scio grauissimos Doctores in ea fuisse sententia, quæ Intelligentiam facit formam Cœli, illud

infor

informantem, eò modo, quo anima corpus informat; Vndè istius sententiæ authores, dicunt propterea Cœlum esse animatum, quia Intelligentia per modum animæ informat Cœlum. Imò ad confirmationem istius sententiæ colligunt ex Aristotele sententias plures, in quibus ipse disertis verbis appellat Cœlos animatos. Quidquid alij sentiunt, apud nos certùm est, Aristotelem ex propria mente non esse loquutum, cum facit Cœlos animatos, nisi voluerit Intelligentias motrices Cœlorum, abusiuè & impropriè dici eorum animas, quia illis assistendo, dant motum. Vnde hæc est Peripateticorum sententia, Cœlos esse animatos improprijssimè, scilicet Intelligentia assistente, & mouente, non autem informante. Ratio est: quia impossibile est Intelligentiam copulari Cœlo vnione illa, quæ facit ens per se, vt solet forma substantialis cum materia constituere, vt hoc suadebit argumentum. Id quod est in vltima sua actualitate, vndè per anthonomasiam appellatur ens per se singulare, & indiuiduum, non potest concurrere cum alio, vt cum eo faciat vnum per se: sed Intelligentia quælibet est in vltima sua actualitate, cum sit ens per se anthonomastici, singularis, & indiuidua, indiuiduatione, quæ dicitur persona: ergo non potest coniungi materiæ cælesti, vt hinc resultet ens per se. Legatur Scotus quo. lib. 9. Nemo autem negauerit Cœlum esse ens per se; ergo non potest constare Intelligentia.

Potest tamen Angelus assumere corpora vera, & realia, substantialia, lata, & profunda, solida, & dura. Votum dant cuncti Theologi cum Scoto, & patet ex apparitionibus in sacris litteris enumeratis, vt ex illo Tobiæ 2. vbi legitur Raphaelem per multos dies in forma iuuenis comitatum fuisse Tobiam. Tum quia, cum corpora obediant Angelo, nullo apparet repugnantia. Addo Angelum solum posse assumere corpus illud, quod est suæ virtuti proportionatum, & in quo valet humanas exercere exteriores operationes, vt loqui, videre, ridere, tangere, &c. Hinc non potest, nec corpus cæleste, nec elementare, nec lapides, nec metalla assumere; & quamuis multoties auditæ sint voces in aere, adhoc tamen non est necessaria assumptio corporis; cum possit Angelus in aere formare voces. Angelus

gelus ergo potest assumere verum corpus humanum alicuius mortui nondum corruptum. Patet: quia non repugnat posse Angelum applicando passiuis actiua, præseruare à corruptione, sicut fit arte humana per aromata. Sit exemplum adductum à Scoto in Reportatis in 2.distinct. 8.vbi refert fuisse quemdam Regem, qui mortuus erat, & per annum continuum probatur à Diabolo, & tamquam viuens credebatur ab omnibus. Dixi nondum corruptum, quia si corruptum est, non poterit vi Angelica ad pristinum reuocari;corpus autem illud Samuelis à Phitonissa resuscitatum, vel nondum erat corruptum, vel si corruptum, aliud simile efformauit Dæmon, & assumpsit. Addimus non posse Angelos in assumptis corporibus,vitales exercere operationes, vt sunt illæ, quæ proueniunt ab anima, tum sensitiua, tum vegetatiua, tum rationali, vt nutritio, augumentatio, &c. Dices audiunt, loquuntur, comedunt, &c. Respondetur quod locutio est tantùm motio linguæ, auditio est potius intellectio in Angelo, commestio verò est tantùm mastigatio cum attractione cibi in ventriculum. Vrgebis: ergo commestio Christi post resurrectionem non fuit efficax argumentum veræ carnis resuscitatæ. Respondemus quod ex hoc tantùm, non potest desumi efficax & adequata ratio, sed benè cum alijs adiunctis. Vel dicas cum Scoto quod non repugnat corpus gloriosum in se conuertere corpus non gloriosum, & sic sine corruptione præexistentis naturæ conuertere cibum in propriam nutritionem, & ita accidisset Christo si ab instanti suæ conceptionis redundasset beatitudo in corpus. Dices, Dæmones in assumptis corporibus generant. Respondemus non esse ex vi propria, sed ex accepto semine fiunt incubi, & ita sequitur generatio; Dæmon ergo in tali casu, solùm motum illum localem exercet; eo quod vera generatio est ex decidentia seminis elaborati, & geniti ex propria virtute. Concludimus ergo Angelos posse assumere corpora, negamus tamen posse informare materiam.

SECVNDVM DOCVMENTVM.

POnere animam in Cœlo diuersam ab Intelligentia error est Auerrois, omninò reijcien

ciendus; siquidem anima est actus corporis organici, idest compositi ex quatuor elementis, & habentis partes dissimilares, quæ sint organa deseruientia facultatibus animæ: sed neque Cœli ex quatuor constant elementis, neque habent organicas partes, neque habent partes diuersas sub diuersis proprietatibus positas, quæ varijs possint deseruire facultatibus. Nec oculos habent, neque aures, neque alias id genus partes: ergo nulla est in Cœlis anima. Adde quod Cœlum, neque augumentatur, nec nutritur vt docet experientia. Non debet animam vegetatiuam; siquidem Cœlum non crescit. Non sensitiuam, siquidem non habet sensus; Ridiculum enim esset affirmare Solem, & Lunam esse oculos Cœli. Non habet animam rationalem; repugnat quippè dari animam rationalem, quæ non sit simul sensitiua, & vegetatiua saltem de facto.

Petes, qua censura damnanda sit antiquorum Philosophorum sententia; quæ Cœlis animam arrogabat? Respondetur sententiam, quæ Cœlos ponebat animatos anima vegetatiua, & sensitiua erroneam esse in Philosophia, vt patet ex dictis: asserere autem Cœlos habere animam rationalem, error est in fide diuina, neque enim datur aliud cõpositum ex materia & forma rationali, præter humanum. Cum igitur manifestè deducatur ex fide, Cœlos non esse homines, error est fidei contrarius, Cœlos ponere animatos anima rationali. Ex quibus euidenter constat, neq; Deum esse animam Cœli, vel mundi. Quod si dicas in sacra scriptura haberi oppositum nostræ conclusionis, vt patet ex illo psalmi: Cœli enarrant gloriam Dei, & ex illo Iob: cum me laudarent Astra matutina; at iste sunt actiones viuentis: ergo Cœli viuent. Respondetur, per Cœlos ibi intelligi habitatores Cœli, quales sunt Angeli; Ita explicat Damascenus. Vel dicas quod Cœli enarrant gloriam Dei, & Astra ipsum laudant moraliter, quatenus, creaturæ eam contemplando, inuitantur ad magnificandam sapientiam, & omnipotentiam Dei, quæ creauit ipsa.

ſublunaria viuentia habent alia accidentia, quæ excedunt accidentia Cœlorum, quales ſunt vitales operationes. Nec prætera obſtat quod cæleſtia corpora ſint cauſæ viuentium ſublunarium; dicimus etenim quod ratio viuentis ſemper reddit digniorem formam.

De Pluralitate Cœlorum.

NOn hic quærimus: an plures ſint Cœli genere diſtincti, communis definitio ſatis doceat hanc genericam vnitatem, quemadmodum definitio communis tribus animabus, Vegetatrici, ſentienti, & rationali, oſtendit eas eſſe eiuſdem generis; quæ identitas generica non prohibet diſtinctionem ſpecificam, & indiuiduam: hinc noſtrum eſt inquirere Cœlorum multiplicem numerum, atque diſtinctionem ſpecificam, & ſingulare.

DOCVMENTVM PRIMVM.

Non eſt vnum tantum Cœlum, ſed plures.

ITa docet communis ſententia cum Scoto in 2. diſtinct. 14. quæſt.2. & deſumitur euidenter ex Sacra Scriptura: nam Moyſes in lib.Gen.cap.1.inſinuat, primò die creatum fuiſſe vnum Cœlum, nempè Empyreum, aſſerens: In principio Deus creauit Cœlum, & terram. Dòcet ſecundò die aliud fuiſſe creatum his verbis: Fiat firmamentum in medio aquarum; & narrat quarto die fuiſſe producta duo luminaria, nempè luminare maius, & luminare minus, quæ quidem ſunt corpora cæleſtia; ergo admittendi ſunt plures Cœli. Accedat ratio; in Cœlo ſunt plures ſtellæ, quæ inæquales habent motus, & difformiter ab inuicem diſtant: ſed adhoc, neceſſarium eſt, vt ſint locatæ in pluribus, & diuerſis corporibus cæleſtibus: ergo dantur plures cœli. Minor probatur, cum ſecundum Aſtronomos ſtellæ non moueantur, niſi ad motum Orbis; ſi eſſent locatæ in vno tantùm corpore cæleſti, non haberent niſi vnum tantùm motum, & æqualem ab inuicem ſeruarent diſtantiam; ſiquidem non habent proprium motum, quo poſſint ad inuicem magis accedere, vel ab inuicem recedere; ergo, ſiquidem habent inæquales motus iuxta obſeruantiam Aſtronomorum, neceſſariò debent habere corpora cæleſtia, in quibus locantur, &

proindè dantur plures Cœli.

Oppones. Genesis primo legitur, quod Deus fecit duo luminaria magna, & stellas, & posuit illa in firmamento Cœli; ergo in eodem Cœlo sunt omnes stellæ, & luminaria; & proindè propter pluralitatem stellarum, & luminarium, non sunt ponendi plures Cœli. Respondetur, quod Sacra Scriptura per firmamentum non intelligit vnum tantum, & simplex corpus cæleste, sed intelligit aggregatum illud ex pluribus corporibus cælestibus interiectis inter Cœlum Empyreum, & elementa; & sic non sequitur esse vnum tantum cœlum. Replicabis; vna est terra; ergo vnum debet esse Cœlum. Negatur consequentia: quia cum vnicus sit mundus, vnum tantùm petit centrum; terra autem est eius centrum, & ideò debet esse vna tantum; at necessarij sunt plures Cœli propter pluralitatem, & diuersitatem motuum, quos obseruant Astronomi in Orbibus cælestibus.

DOCVMENTVM II.

Vndecim sunt Cœli, quorum decem sunt physicæ considerationis; vndecimum est Dei, atque Beatorum sedes, estque Theologicæ considerationis.

VNica est nobis via, qua deprehendere possumus, qualis sit Cœlorum numerus; hæc via est motus localis, de quo ita ratiocinantur Astrologi. Cuilibet corpori simplici, vnicus naturaliter competit motus: sed septem sunt planetæ, quarum quælibet est dentior pars sui orbis, qui vario inter se mouentur motu; nam aliquando sunt sibi viciniores, aliquando à se inuicem remotiores: ergo sunt in septem diuersis Cœlis: His supereminent mille viginti duæ stellæ, quæ cum semper inter se eamdem distantiam, & proximitatem seruent, in vno eodemque Cœlo esse debent; istud autem Cœlum triplici agitatur motu naturali, raptu, accessu, & recessu. Ex his tribus motibus vnus est sibi proprius, alij duo motus à duobus superioribus Cœlis manant, & quidem motus, qui accessus, & recessus dicitur, fit à Cœlo cristallino; motus

motus verò raptus à primo mobili, ac proinde duo sunt Cæli superiores firmamento, quibus supereminens Empyreum Cælum. Hi omnes Cæli, si enumerentur, reperientur vndecim.

DOCVMENTVM III.

Cæli distinguuntur à se specie.

HAec distinctio specifica Cœlorum, vnico probatur pro nunc argumento. Accidentia in duplici sunt differentia; alia enim dicuntur propria, alia communia. Propria sunt, quæ à principio fluunt intrinsico, à substantia videlicet, cui inhærent. Vnde quælibet species, peculiaria sibi vendicat accidentia, quibus saluis, & integris, conseruatur substantia; illis verò destructis, & corruptis, consequenter destruitur substantia; quia quo se tueatur, non habet. Communia dicuntur, quæ non tantum vni speciei, sed pluribus ab extrinseco adueniunt, quibus destructis, nullum damnum patitur substantia. A proprijs accidentibus colligitur idẽtitas, vel diuersitas specifica in substantiis; quia cum occultæ sint, & insensibiles substantiæ, propriasque eas differentias essentiales nesciamus; per sola accidentia propria nobis innotescant. Et si fateamur in singulis Cœlis eadem quædam reperiri accidentia: quia tamen illa communia sunt, ex eis argumentari non licet, & colligere identitatem Cœlorum specificam; sed expendenda sunt illa accidentia, quæ ita vni conueniunt Cœlo, vt his contraria alijs Cœlis conueniant. Vnum sufficiat pro reliquis. Solis lux calida est, & sicca, non quidem formaliter, sed virtualiter: & eadem lux in Luna, & si calida sit, non tamen sicca, sed humida valdè. Eadem Solis lux in Saturno est quidem sicca, sed tamen frigida. Hæc disparitas lucis solaris quã tum ad efficientiam, notat aliam esse naturam Lunæ, aliam Saturni, aliam Solis. Sunt & alia accidentia in alijs Cœlis, quæ eãdem distinctionem inferunt. Hęc omnia hac vnica argumentatione concluduntur. Sufficit ad distinctionem specificam, vel vnicum accidens, vni cocessum, alteri denegatum: sed quodlibet Cœlum, peculiare, & proprium habet accidens, negatum aliis Cœlis: ergo specie differunt Cœli, sit argumentum. Illa, quæ habent diuersa specie operationes, & proprietates con-

natu-

naturales, ſunt diuerſa ſpecie eſſentiali; quia illa, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſemper habent eaſdem proprietates, & operationes eiuſdem rationis: ſed corpora cœleſtia habent diuerſas proprietates connaturales, & diuerſas operationes: ergo ſunt diuerſæ ſpeciei eſſentialis. Probatur minor quo ad operationes. Nã Cœlum Mercurij habet diuerſas influentias in rebus ſublunaribus ab illis, quas habet Cœlum Martis in eis, & quantum ad proprietates naturales. Alij Cœli ſunt ex natura ſua lucidi, & alij carent luce. Alij ſunt opaci, & alij ex natura ſua diaphani: ergo Cœli habent diuerſas operationes, & proprietates naturales, ac proinde ſpecie eſſentiali diſtinguuntur.

De Ordine, quo ſunt diſpoſiti Cœli.

EA fuit diuina prouidentia, vt non ſolum pulchritudinis cauſa, ſed magis pro bono vniuerſi, & ad hominis commodum, elementa, ſine quibus non viuitur, eo diſpoſuerit ordine, vt ſine nobis, vtiliora magis vicina; non potuit eadem prouidentia diuina, noſtri obliuiſci in ordine Cœlorum; hinc certiſſimè nobis perſuadere debemus, diuinum quemdam ordinem in Cœlis reperiri, non autem tumultuarium, & ſine prudentia. Reſtat ergo, vt hunc explicemus ordinem.

DOCVMENTVM PRIMVM.

HOc ordine ſunt Cœli diſpoſiti, vt Cœlum Empyreum, cæteris ſuperemineat, ſitque à nobis remotiſſimum: huic ſupponitur immediatè primum mobile, deinde Cœlum criſtallinum, firmamentum, Saturni, Iouis, Marties, Solis, Mercurij, Veneris, Lunæ; Empyreum Cęlum, ratione ſuæ immobilitatis, ſuper omnes alios Cęlos (vtpotè mobiles) poni debuit. Primum mobile, quod ſuo naturali motu rapit omnes alios Cęlos, eoſque ad aſſimilem motum cogit, debet alijs ſupereminere, & ſuo ambitu illos complecti; criſtallinum Cęlum debet eſſe ſuperius firmamento; cum illi motum trepidationis tribuat; nec enim Cęlum inferius, ſuperiori Cęlo ſuum communicat motum. Ordo aliorum Cęlorum, duplici deprehenditur via, ſcilicet, tarditate, & velocitate motus, qui prima via eſt, vt ex Eclipſi, quæ

eſt

est secunda via. Ex prima, ita argumentantur Astrologi. Cum cuilibet Cęlo conueniat motus naturalis ab occasu in ortum, & ab ortu in occasum, iste tamen motus tardior est in quibusdam Cęlis, velociter autem in aliis. Quærenda est ratio istius tarditatis, & velocitatis, quæ certè alia non est, quam approximatio, & elongatio à primo mobili. Quod mobile primum, quia contrario motu mouetur, quam moueantur alij Cęli, dum alios rapit Cælos, prohibet ne tam cito naturalem suum absoluant cursum, & quia vis agentis potentior, est in patiens propinquum, minor autem in patiens remotum: illi Cæli erunt remotiores à primo mobili, qui minus in suo naturali motu retardantur, illi verò viciniores, qui tardius suum absoluūt cursum. Huiusmodi naturali motu, Luna absoluit Cæli circuitum infra viginti octo dies, sol verò non nisi infra trecentos sexaginta quinque dies, Saturnus infra triginta duos annos; cum stelliferum Cælum, centum consumat annos in conficiendo vno gradu ex triginta in quos Cæli ambitus diuiditur. Ex secunda via ita ratiocinantur Astrologi. Eclipsis nihil aliud est, quam prohibitio lucis alicuius siderum, vt à nobis percipiatur. Ex quo fit, vt ad eclipsim, oporteat illud quod patitur eclipsim, superiorem habere locum: illud verò quod infert eclipsim, esse in loco, & ordine inferiori; sed aliquæ planetæ aliis planetis, nec non stellis; inferunt eclipsim: ergo sunt illis inferiores. Luna infert Soli, relisque planetis, atque etiam Stellis in firmamento existentibus eclipsim: ergo Luna infimum locum, in Cælorum ordine sibi vindicat. Infert Sol eclipsim Marti, Ioui, Saturno, & Stellifero Cælo ergo est inferior. Sol. Infert Mars Ioui, Iuppiter Saturno, Saturnus Stellis firmamenti; ergo hunc seruant ordinem, quem documentum nostrum notauit.

DOCVMENTVM II.

Non est recipienda Platonis sententia volentis Solem immediate sequi Lunam, ita vt Mercurius, & Venus sint Sole superiores.

DEstruitur Platonis error, destructo suo fundamento, quod tale est. Mercurius,

& Venus non inferunt eclipsim Soli: ergo non sunt sole inferiores. Respondetur concesso antecedente nego consequentiam. Verum quidem est, Solem non pati eclipsim à Mercurio, aut Venere: tamen non valet consequentia, ergo hi duo non sunt inferiores Sole, quia ad eclipsim inferendum, & si necessariò requiratur, vt sidus eclipsim patiens, sit superius; hæc tamen ratio non sufficit, sed aliæ requiruntur conditiones, æquæ tres; Illarum prima est summæ necessitatis, aliæ verò duæ non sunt ambæ coniunctim necessariæ, sed tantum altera earum debet esse necessariò cum prima. Prima ratio est, vt supponatur sidus eclipsim inferre sideri patienti eclipsim suppositione secundum lineam perpendicularem, quo supposito fit; cum duo hæc sidera ita directè superponantur, & supponantur, vt centrum vnius, alterius centro respondeat, & protracta linea à centro vnius transeat per centrum alterius. Secunda ratio est, vt Stella inferens alteri eclipsim, sit, aut maioris, aut saltem æqualis magnitudinis. Tertia, vt quod maximè distet Stella, quæ infert eclipsim ab ea, quæ eclipsim patitur. Ex his tribus conditionibus ad eclipsim inferendum necessarijs, prima tantum reperitur in Mercurio, & Venere respectu Solis: at verò deficiunt aliæ duæ; nam Mercurius, & Venus sunt minimæ quantitatis, si cum Sole conferantur, & est Venus proximè Soli: Mercurius autem proximè Veneri; ac proinde mirum non est, si ab his duobus, Sol eclipsim non patitur, quamuis sit illis superior in Cælorum ordine.

De Cæli figura.

Rebus omnibus indita est à natura non vna eademque figura, sed varia, & multiplex, quam videlicet natura rei expostulat. Hoc priuilegio priuari non debuit Cælum, cum corpus sit, & impossibile sit corpus solidum, esse sine aliqua figura. Si quis roget cuiusnam figuræ Cælum sit, subsequentia legat nostra documenta.

DO-

DOCVMENTVM I.

Cælum est circulare, & sphericæ figuræ tam in parte connexa, quam in parte concaua.

PRobatur duplici modo. Sit prima. Corpori perfectissimo debetur figura perfectissima: sed Cælum est omnium corporum perfectissimum; estque circularis figura, omnium perfectissima: ergo Cælum est sphericæ, & circularis naturæ. Maior patet: quia accidentia perfectiora debentur substantijs nobilioribus, Cælum est sustantia, & figura accidens; minoris pars prima probatur ex incorruptibilitate Cęli, & efficacia Astrorum, quæ in Cælo sunt. Secunda pars est inconfesso ad omnes Mathematicos, qui in figuras solidas, primatum dant globo, & inter figuras planas, dant primatum circulo; quia circularis figura, & sphericą, cum sit omnium minima, est omnium capacissima. Secunda ratio est; natura non patitur vacuum tam in rebus sub lunaribus, quam in Cælis; sed sola circularis figura in Cælis, quæ contrarijs, & diuersis motibus mouentur, potest prohibere vacuum; ergo debent esse circularis figuræ. Minor verò patebit ex eo, quod si duo corpora fiant alterius figuræ, quam sphericæ, & circularij, & diuersis motibus moueantur; cum enim quæcumque alia figura angulos habeat, tum solum, non erit vacuum, cum anguli, alter erunt in alterius angulis: at cum per motum separabuntur à se inuicem anguli, necessum est angulos manere vacuos.

DOCVMENTVM SECVNDVM.

DVplici via, scilicet æquabili distantia Stellarum firmamenti à nobis, & inæquabili magnitudine circulorum, quæ in Cælis sunt, deprehendi potest, & concludi Cælo esse circulares. Propterea Stellæ, quæ sunt in firmamento, appellantur finæ, non quod immobiles sint: mouentur enim ad motum sui Cæli, non minus quam moueantur planetæ, idest errantes stellæ; sed quia æquabilem distantiam seruant, & numquam sibi sunt viciniores, aut remotiores, quod in planetis, seù errantibus stellis non est: qui planetæ numquam eamdem inter se

se seruant distantiam. Dum quærunt Astrologi, quænam ratio esse potest, æquabilis istius sempiternæ distantiæ, causam hanc reperiunt, nempè circularem figuram, ita vt ab effectis, ad causæ cognitionem perueniant; qua cognita, ita argumentantur à posteriori. Stellæ firmamenti, æqualiter inter se distant, ergo Cælum illud circulam est. Qui voluerit, ita argumentatur à priori. Cælum Stelliferum, circulare est, ergo Stellæ, quæ in eo sunt æquabilem inter se seruant distantiam. Hæc tamen ratio videtur concludere alios Cælos non esse circulares, cum erraticæ Stellæ eamdem distantiam non semper seruent; aliquando enim eleuantur, aliquando deprimantur, & sunt aliquando nobis viciniores, aliquando, à nobis remotiores. Hinc fateri cogimur alios cælos, planetarum non seruare eamdem figuram circularem respectu amplitudinis in parte connexa, & concaua; nam circulus partis concauæ, est multò minor circulo partis conuexæ. Altera via qua circularis figura cælis deprehenditur, est descriptio circulorum inæqualium à stellis firmamenti: nam, quæ sunt viciores vtrique polò, circulos breuiter describunt; quæ verò remotiores sunt ab vtraque polo, maiores describunt circulos, quod certè non fieret, nisi cælum, circularis, & sphericæ esset figuræ.

De differentijs situs, & positionis in Cælo.

NE ignorantia rei, de qua loquimur, excludat omnem eruditionem à nostra disputatione; monemus, nos per situm, & positionem intelligere has sex differentias, nempi: sursum, deorsum, dexterum, sinistrum, ante & verò. Quarum tres sunt præcipuè, aliæ tres sunt dumtaxat collerasauæ. Præcipuæ sunt, sursum, dexterum, antrorsum: quæ quoque sunt propria differentiæ in quantitate: nam suorum est proprium lineæ, dentrum est proprium latitudinis, antrorsum est propriū profunditatis, & altitudinis, ex quibus tribus dimentionibus componitur corpus perfectum.

Ex his collige, hic nos inquirere, sint ne in cælo sursum, deorsum, dexterum, sinistrum, ante & retro.

* *
*

DO-

DOCVMENTVM I.

Proprie loquendo, nullæ sunt in Cælo situs, & positionis differentiæ.

MOnet optimè Aristotiles differentias situs, & positiones, propriè in solis reperiri animalibus; hinc collige, cum cælum animatum non sit, nullam esse differentiam situs, sed hoc probemus ex simplicitate, & perfectione cæli. Simplicitas cæli in hoc consistit, vt ex quatuor elementis non componatur, sed sola constet materia, & forma: quæ vnica est ratio, quæ facit, vt elementa sint, & dicantur corpora simplicia. Ex hac simplicitate fit, vt partes cæli sint omnes homogeneæ, si substantiam earum spectes; vnde quælibet pars cæli, cælum est: vbi tanta est simplicitas non potest esse differentia, quæ semper supponit partium disparitatem, vt videre est, in animalibus, in quibus admittitur positionis differentia. A perfectione cæli ita argumentatur. Differentia partium, quæ requiritur ad differentiam positionum, denotat imperfectionem, vt videre est in homine vnius pars inferior est imperfectior parte superiori, & pars sinistra, puta dextera, est imbecilior, & pars posterior, est ignobilior anteriori; sed huiusmodi imperfectio locum in cælo perfectissimo habere, nec debet, nec popotest: ergo nulla differentia positionis. Quam differentiam excludit quoque æternitas motus cælestis: nam vbi est differentia positionum, nec motus potest esse perpetuus, superueniente lassitudine, nec omnes partes in simul moueri possunt, sed alternis viribus, nunc vna, nunc altera mouetur, altera quiescere; cælum autem, & secundum se tamen, & secundum omnes suas partes perpetuo mouetur motu, nullaque ei superuenire potest lassitudo.

DOCVMENTVM II.

Per denominationem extrinsecam, & impropriè loquendo, sunt in Cælo situs, & positiones, omnes differentiæ.

REliquis prætermissis, de duabus differentijs positionum est nobis sermo; nempè de dextera, & sinistra parte: has duas in cælis, saltem impropriè

admittimus. Impropriè dico, quia non formaliter, & in se est aliqua pars cæli dextera, altera verò sinistra, sed extrinsece tantum ad libitum eorum, qui cælum contemplatur. Tres sunt, qui cælorum contemplationi vacant, Astrologi Geographi, Poetæ: qui tamen non eumdem modum seruant cum oculos in cælum vertunt, vt, quæ, sui sunt muneris spectent, & expleant. Astrologi, seù Astronomici, dum stellarum distantiam, aliasque proprietates notant, tergum vertunt polo arțicolo, faciem dirigunt ad circulum æquinoctialem; ex quo fit vt verum pars dextera sit versus occasum, pars verò sinistra versus ortum. Hinc fit, vt Astrologo pars dextera, sit Occidens, pars verò sinistra ortus. Geographus è contrario quia in describenda terra totum, negotium pendet à poli eleuatione, faciem vertit ad polum, & dorsum vertit ad circulum æquinochialem: hinc fit, vt dextera pars Geographi sit versus Orientem, & pars sinistra versus Occidentem, ac prinde Oriens est pars dextera, Occidens verò pars sinistra cæli, Geographo. Poetæ, qui de rebus Astrologicis multum disputant, aliter se habent in cæli contemplatione: nam cum tota connarratio initium sumat ab occasu stellarum, dum cælum contemplantur, faciem vertunt ad occasum, dorso verso ad ortum, & ita dextera manum habent ad polum articulum, sinistram ad antarticum; ex quo fit, vt Poetæ, cæli pars dextera sit articus polus, pars verò sinistra antarticus. Notanda summopere est hæc varietas in assignandis differentijs positionum in cælo, ne in legendis authoribus decipiamur, neue illes ignorantia accusemus.

De Densitate, & Duritie Cælorum.

QVamuis cælum, simplex sit, tamen materia constat, & accidentibus concomitantibus materiam: vnde habent quantitatem, quam, quia comitari solent densitas, aut raritas, durities aut mollities, quærit iure optimo physicus, sit ne cælum densvm, & durum, aut rarum & molle?

DO-

DOCVMENTVM I.

Cæli omnes sunt densi, & duri.

HAnc densitatem expostulat cæli perpetuitas: quia cum virtus vnita, sit fortior se ipsa diuisa, vnitas debent esse cæli partes, quæ cum sint corporæ, vniri ad se inuicem non possunt melius, quam per densitatem: cum densum illud sit, quod sub modica quantitate, multum habet materiæ. Hanc densitatem concludit maxima vis actiua, quæ in cælis est; certum est enim densitatem augere virtutem agendi, sicut eam minuit varias. Hinc præraritate elementorum in his vndique nos ambiens, nec nobis lucet, nec nos calefacit. Experimur è conuerso non solum Lunæ, & Stellis, sed remotissimarum stellarum in firmamento existentium, & lucem, & influxum; quod fieri non posset si rari essent cæli. Hanc densitatem sequitur necessariò durites, quæ aliud nihil est, vt ex nominis notatione colligere licet, quam duratio: est autem duratio, resistentia, & cum res densa resistat maximè, & semper, & necessariò, quidquid Deus non erit, erit necessariò, & semper durum.

DOCVMENTVM II.

Nec densissimi, nec durissimi, sunt Cæli, nec omni ex parte æqualiter densi aut duri.

NOn defuerunt, qui cælos densissimos, & durissimos esse docuerunt, quorum error conuincitur ex solutione argumentorum, quibus innitebantur: Sit primum argumentum. cæli perpetuitas exigit summam densitatem in cælis, quia mouentur motu rapidissimo, quæ rapiditas cælum destrueret non minus, quam liquefit ferrũ, aut plumbum, saggitæ rapidissimæ emissæ motu. Negamus cælos corrumpendos iri, quamuis densissimi, & durissimi non sint; quia cælum non suscipit has peregrinas impressiones, & quia motus cælorum non est tantæ rapiditatis, aut velocitatis vt ex ea rapiditate, aut velocitate diffluant partes cæli. Accedat secundum argumentum. Accidens perfectissimum conuenit cælo, ergo & perfectissima partium vnio,

quæ

quæ aliud nihil eſt, quam eſſe denſum. Reſpondeo, conceſſo antecedende, negando conſequentiam, imo & conſequens; nam vnio cum ſit relatio non habet abſolutam, ſed tantum ſpectiuam perfectionem; ac proinde perfectio vnionis non depennet ex denſitate, quæ eſt abſolutum accidens; ſed dicitur vnio perfecta, quæ eſt conueniens corpori, cuius partes vnitæ ſunt; ac proinde non requiritur ſumma denſitas ad vnionem perfectam. Non eſſe omnes cœli partes æquè denſas, ſed alias aliis denſiores, docet vnanimis conſenſus Aſtrologorum, dicentium ſtellam eſſe partem denſiorem ſui tribus. Vnde colligimus, vt quemadmodum in arbore, non omnes & ſingulæ partes nodoſæ ſunt, quæ nodoſitas ex denſitate eſt; ita in cœlo ſunt aliquæ partes mediocriter denſæ.

De Grauitate, Leuitate, & viſibilitate Cæli.

PEccatorum figmenta ex noſtro documento reijcimus. Nec enim nobis perſuadere poſſumus, tantæ eſſe grauitatis cælos, vt Atlanticis humeris indigeant, quaſi eo deficiente cœli, deorſum ruerent. Neque pictoribus adhibemus fidem, qui inter colores, vnum audent appellare ceruleum, quaſi cœlum ſit huiuſmodi coloris. Quid hac dere ſit ſentiendum, docebunt quæ ſubſequuntur documenta.

DOCVMENTVM I.

Cæli neque ſunt graues neque leues.

QVia, ſi vlla eſſet in cœlis aut grauitas aut leuitas, motus circularis, quo cœli mouentur, eſſet eis præter naturam, & aliquo pacto violentus, quod nullus Philoſorum admittet: nam id quod eſt violentum, aut præter naturam, non poteſt eſſe perpetuum; eſt autem perpetuus cœli motus. Adde grauitas & leuitas, ſi in cœlis eſſent, manerent perpetuò otioſæ; cum neque deorſum, neque ſurſum, quod eſt proprium leuitatis, & grauitatis, cœlum numquam feratur; nos autem monuit Ariſtotiles, id, quod ſua in perpetuum operatione priuatur, ipſo facto deſtrui, & amplius non eſſe. Vix vllus eſt ex ſapientibus, qui cœlos fecerit graues, cum, ſi

illi

illi graues essent, maximè peccasset natura, authorque naturæ: inconuenies namque est rem grauem supereminere, & superiorem esse rebus leuibus. Ex sapientibus, quidam putarunt cœlos esse leues, hac ratione persuasi; quod cœlum supremam partem mundi occupet, quæ solis leuissimis debetur. Falluntur tamen: quia in illis solis est leuitas, quæ ex natura sua superiorem locum petunt, & si à loco proprio moueantur, suopte impetu ad illum feruntur. Cœlum, nec ex natura sua occupat summum locum, nec si pars aliqua cœli traheretur in terram, à terra rediret in summum locum, vt optimè docet Aristotiles lib. 2. de cœlo cap. 1. Hinc collige cœlos, neque esse graues, neque leues.

DOCVMENTVM II.

Cœli non sunt visibiles, nullosque afficiuntr colore, aut secundum totum, aut secundum aliquas partes.

HAec duo, esequuntur mutuò, visibile esse, & esse coloratum, vt deficiente vno deficiat alterum; hinc si probauero cœlos non esse coloratos, probatum erit non esse visibiles. Color in cœlo esse non potest; quia est ex secundis qualitatibus, quæ necessariò præsupponun primas; non sunt in cœlis primæ, quia ex elementis non componuntur; ergo non sunt secundæ, ergo neque color. Huic assertioni videtur aduersari sensus: quia si quis occulos in cœlum tollat, aere omninò purgato, saphiricius in eis color deprehenditur, & singulæ stellæ, singuli, quoque planetæ, peculiarem habent colorem. Satisfaciendum est sensui, ne de intellectu conquæratur. Respondeo vtique testibus, quem in cœlo vident colorem, esse mentitum, mundacem, fictitium, & apparentem tantum colorem, qui color apparet sicut in Iride, quia transparentes, & translucidi sunt cœli, ea porrò est translucidi, & transparentis corporis natura, vt quamuis nullius sit veri coloris, tamen ex sui multiplicationem, fallacem oculis præbent colorem, vt in aqua videre est, & in vitro multiplicato. Sunt cœli diaphani, & transparentes, vt ex eo constat, quod lux stellarum in firmamēto existentium, septem planetarum cœlos penetrat, non minus

quam elementa ignis, & aeris translucida. Apparentes esse cælestes colores, maximè colligimus ex stellis, & planetis: sit nobis sol testis pro reliquis, qui pro vario aspectu, & varia interpositione nubis, vaporis exhalationis, varium induit, præsefertque colorem, quod certè non fieret, si verus aliquis in sole color esset.

De Cæli actione in hæc inferiora.

EXpetuntur omnia, quæ appetibilia sunt, aut simpliciter ratione suæ perfectionis, quæ, ita in admirationem nos rapit, vt etsi nihil vtilitatis ex illis percipiamus, amare tamen illa cogamur: vel propter nostrum cōmodum, & propter vtilitatem, quam, aut experti sumus, aut nobis pollicemur; vbi hæc duo insimul concurrunt, appetenda res illa est maximè. Pulchritudo Cœli talis, & tanta est, vt, etsi agerent nihil, nobis tamen essent amabiles; quod si in eis, non solùm actio, sed vtilis actio deprehenditur, multò magis in amorem illorum ferretur animus noster; de hac actione lege quæ sequuntur documenta.

DOCVMENTVM I.

Cæli agunt in omnia sublunaria, aut directè, aut indirectè; nec non in fieri, & facto esse simul, vel saltem in fieri.

IN ea dicuntur agere Cœli directè, in quæ immediatè agunt, & in quibus eorum actio passionem inducit, tamquam in subiecto. Indirectè agunt Cœli in ea, in quæ immediatè non agunt, & passio in illis producta, non nisi remotè tribuit Cœlis; hac præmissa distinctione, monemus, omnia sublunaria diuidi in corpora simplicia, in corpora imperfecta, in corpora perfecta inanimata, in corpora animata quacumque anima, & in rationalem animam, in quam solùm agunt Cœli indirectè, in reliqua autem omnia, agunt directè. In res corporeas, cuiuscumque ordinis, & conditionis sunt agunt Cœli, vel illas generando, vel augumentando, vel alterando, vel mouendo localiter, vel corrumpendo. In animam rationalem non agunt Cœli directè, vel indirectè, aliquo horum modorum, nisi sola alteratione, quæ deprehenditur tam

in

in intellectu, quam voluntate, in quas duas facultates directè non potest agere Cœlum, cum sit materiale, facultates autem immateriales sint. Indirectè tamen, & antecedente agit in intellectum quidem, in quantum agit in sensus externos, atque internos, & oportet intellectum phantasmata speculari. Cum directè Cœlum agat in sensus tam externos, quam internos, consequenter agit in intellectum. Agit Cœlum in voluntatem indirectè duplici titulo; quia voluntas non fertur nisi in rem cognitam, quæ cognitio est ex intellectu; & quia voluntas nostra à coniunctione cum corpore vsque ad annos discretionis, sine vllo exercitio, regnante eo tempore appetitu naturali, cui vt plurimum voluntas complacet.

DOCVMENTVM II.

Cœlum agit in hæc inferiora propria sua substantia, luce cum calore eam comitante, motu, & quibusdam occultis virtutibus, & proprietatibus.

Scio non omnes Philosophos subscribere nostræ sententiæ; sunt enim qui volunt sola luce, soloque calore, & motu, Cœlum agere in hæc inferiora; veritas tamen nostræ propositionis satis per se patet. Ordiamur à substantia Cœli, quæ cum sit omnium substantiarum materialium nobilissima, priuari non debet actione generationis, & corruptionis, quæ alijs substantijs conueniunt (si verum est quod aliàs docuimus accidens non posse producere substantiam, nec vi propria, nec substantiæ): molta corrumpuntur in terra, & generantur, quorum corruptio, & generatio ad Cœlum immediate refertur; hinc necessè est substantiam Cœli, communem esse parentem omnium substantialium, quæ ad aliam causam referri non possunt. Distantia Cœli à terra, hanc actionem prohibere non valet: cum contactus realis non sit semper necessarius ad actionem, nec semper oporteat omne agens agere primo in sibi vicinum, seù in medium, antequam agat in extremum, & distans.

Motus est, quo Cœlum agit; non quod motus vim vllam actiuam habeat; sed hoc sensu dicitur deseruire actioni cælesti: quia cum transfert stellam, aliasque partes Cœli ad varia loca, vt in illis generentur multa, &

quæ, si ea pars Cœli, aut stella non adueniret, non generarentur, neque fierent, dicitur motus Cœli causa sine qua non, eorum, quæ tunc generantur, & fiunt. Lux & calor vera sunt instrumenta agendi Cœlo: Lux sanè, ex se nullius rei est productiua, dumtaxat pellit tenebras, quæ sibi priuatiuè opponuntur; calor est effectus lucis, non quidem formaliter, sed virtualiter; cumque res omnes viuant ex calore natiuo, corrumpantur eo extinto, dici potest lux, & calor vita rerum omnium, sicut frigus dici potest mors: occultæ proprietates non sunt negandæ Cœlo: illud enim multa generat, & producit intra viscera terræ, ad quam partem, neque lux, neque calor pertingere potest, & tamen certum est, nullam posse fieri generationem substantialem, sicut neque antecedentem corruptionem, nisi præuijs dispositionibus, quæ dispositiones, cum accidentariæ sint, ab accidentibus fiunt; ergo præter hæc duo accidentia, nempè lucem & calorem, aliæ debent esse qualitates in Cœlis, quæ, generabilia, & corruptibilia disponant; harum qualitatum ignoramus naturam, & cum peculiare nomen ignoretur, eis communem nomen imponimus, appellamusque occultas, latentes, & reconditas virtutes. Si præter lucem, & calorem non esset alia virtus actiua, sola illa pars Cœli ageret, quæ stella & sidus appellatur; ac proindè totum Cœlum otiosum maneret, quod ratio sibi persuadere non potest.

De Motu Cælorum.

EVmdem aspectum non seruant, tam Cœli, quam sidera Cœlo affixa; quæ diuersitas, sine motu esse, concipi non potest. Necessum igitur est, Vniuersi aliquas partes circulares, alijs quiescentibus moueri: hinc opere pretium est docere: an Cœli sint qui moueantur, & quomodo, & à quo moueantur.

DOCVMENTVM I.

Cœli sunt qui mouentur, eodemque, non alio motu mouentur stellæ tam fixæ, quam errantes.

COelum immobile, terram verò moueri circulari motu ex antiquioribus aliqui somniarunt. Nos cum tota Astrologo-

logorum turba, aliter ſapimus, & motum circularem omnibus Cœlis tribuimus: aliter enim ſaluari non poſſunt, aut intelligi Solis, Lunæque eclipſis, ſenarius Planetarum aſpectus, varietas noctis, & diei, quatuor partium anni ſucceſſiua continuatio. Mouentur cum Cælis ſtellæ, atque Planetæ: ſed quo motu, an proprio, an Cæli motu, eſt diſcrepantia inter authores. Putauerunt aliqui, Planetas atque ſtellas eſſe piſcium inſtar in lacu, & auium in medio aeris regione; vt quemadmodum immota aqua lacus, & immoto aere, mouentur piſcis, & auis: ita immotis Cælis, ſtellæ ſolæ moueantur. Alij docuerunt idem eſſe in Cælis quod in mari, & in flumine, vt quemadmodum, mare, fluuiuſque mouetur, & intra piſces mouentur motu proprio, & naturali, ita Cæli moueantur, & tamen intra Cælos proprium motum habent cum ſtellis Planetæ. Aliter ſentiunt cæteri Aſtrologi, qui non alium ſideribus motum tribuunt à motu Cæli, cui affixæ ſunt. Hæc vnica eſt ratio certiſſima, & indubitata. Stellæ aliud non ſunt, quam partes dentiores ſui Orbis, continuæ toti Orbi, ergo impoſſibile eſt eas moueri alio motu, quam ſuorum Orbium, quorum ſunt integrantes partes. Nulla ſententiarum aliter ſentientium vera eſſe poteſt: ex vtraque enim ſequitur, aut cælos ſcindi, quemadmodum aer, & aqua ſcinditur ad motum piſcium & auium; aut fieri penetrationem dimentionum, quam omninò natura reijcit. Non poteſt moueri ſtella ab vna parte Cæli ad aliam, niſi ſcindendo Cælum, aut manendo in eodem loco cum alia Cæli parte illam penetrando; quæ duo abſurda ſunt, & impoſſibilia; ſunt enim Cæli denſi, & duri, & non minus reijciunt penetrationem dimentionum, quam quæuis alia res corporea.

DOCVMENTVM II.

Omnes Cæli motu diuerſo mouentur, qui proprius eſt primi mobilis, & ab ipſo alijs communicatur.

ITa tamen, vt reliqui Cæli, dempto primo mobili, obliquo moueantur motu, ex aduerſo, quam moueantur à primo mobili. Duplicem in Cælis deprehendunt motum Aſtro-

logi, nempè diurnum, & obliquum. Primus motus eſt, quo primò & per ſe primum mobile mouetur ab Ortu in Occaſum, & conſequenter ab Occaſu in Ortum, qui abſoluitur inter viginti quatuor horas, quod ſpatium temporis, eſt dies naturalis; & proindè appellatur motus diurnus, quo mouentur alij Cæli per participationem, in quantum includuntur in primo mobili. Habent reliqui Cæli proprium, & peculiarem motum, qui ex aduerſo fit incipiendo ab Occaſu in Ortum, & conſequenter ab Ortu in Occaſum, qui videtur obliquus; tum quia fit ſupra alijs polis obliquis poſitis in Cælo à polis primi mobilis; tum quia inditus eſt hic Cælis, vt moueatur Zodiacus, qui eſt obliqui poſitus in Cælo. Neceſſarij ſunt hi duo motus in Cælis, vt permaneant cum ſucceſſiua generatione, & corruptione res ſublunares. Nunc. Idem manens omninò idem, non poteſt facere niſi idem; ac proindè, ſi Cæli vnico mouentur motu, eoque diurno, res eàdem fieret ſingulis diebus, & ſingulis periret diebus; quia neceſſarium erat eumdem ſeruari in rebus ordinem, cumque perpetuum, inditus eſt Cælis motus diurnus, quia res non ſunt permanentes, ac præ vetuſtate, quædam corrumpuntur, vndè neceſſaria ſit nouæ cuiuſpiam rei productio; ad hanc obliquitatem, ſeù viciſſitudinem, neceſſarius eſt obliquus Cælorum motus; quem duplicem motum deprehenderunt Aſtrologi, non ſolùm metamaticis inſtrumentis, ſed etiam experientia, & viſu corporeo: Aduerterunt enim ſolem ſingulis diebus oriri nobis, atque occidere, & inuariabili motu, ita tamen vt idem ſol, nunc citius, nunc tardius oriatur, & occidat: nunc ſit nobis vicinior, nunc remotior à nobis; idem dicendum eſt de alijs Planetis, quod in Luna perſpicuum eſt: non enim aliæ Planetæ, eamdem ſeruant inter ſe diſtantiam, neque ad ſe inuicem ſemper habere eoſdem aſpectus; tanta varietas, motuum expoſtulat varietatem. Demonſtrant familiaribus exemplis Aſtrologi horum motuum compoſſibilitatem, & nihil impedire quo minus vnum, idemque Cœlum, duplici illo motu, diuerſo & obliquo, moueatur. Idem in rebus ſublunaribus cernitur. Erit clara, & perſpicua demonſtratio, ſi imaginemur globum quempiam moueri ab Ortu in Occa-

Occasum, & Formicam in eodem globo deambulantem ab Occasu in Ortum, ista enim formica proprio motu suo repræsentat motum proprium cuiuslibet Cœli inferioris, & quia rapitur contrario motu, ad motum globi, quem contigit pedibus, vera est imago motus illius, quo mouentur inferiores Cœli, rapti, & tacti à primo mobili.

DOCVMENTVM III.

Motus diurnus, & obliquus, nec sunt sibi inuicem contrarij, nec naturales, nec violenti Cœlo cuicumque.

MOtus duo, quibus mouentur Cœli, duobus considerantur modis; vel in se, & absolutè, ita vt vnus motus comparetur cum alio, nulla habita ratione Cœli, cui insunt, & ita contrarij non sunt; quia circularis motus, non præscribit sibi terminos inter quos sit contrarietas, saltem absoluta, sed dumtaxat relatiua quæ est omnium oppositionum minima; vt nos docuit Aristoteles partim in prædicamento quantitatis, partim capite de oppositis. Vel considerantur hi duo motus quatenus insunt eidem Cœlo; & tunc nullam admittunt contrarietatem; quia si in abstracto, non est contrarietas, in concreto nulla erit. Mouentur Cœli varijs motibus super diuersis polis; est autem contrarietas circa idem omninò. Naturales non sunt hi motus Cœlo: quia non fluunt à principio intrinseco, nec à qualitate naturaliter inhærente: quiescent aliquando Cœli, & hæc quies non erit violenta; hinc motus non est naturalis. Violenti non sunt; quia nulla est resistentia in passo; tunc motus est violentus, cum mobile ex insita sua natura tendit ad oppositum; at Cœli, nullam habent qualitatem motricem, quæ aliò transferat illos, & quælibet pars mundi ita est propria cuilibet parti Cœli; vt cum nulla habeat inimicitias; hinc in singulis partibus mundi sol oritur, & occidit. Proindè si quis roget, qualis sit quilibet motus, Cœlo; respondeo, neque naturalem, neque violentum, sed neutrum dici debere.

DOCVMENTVM IV.

Cœli nec à se ipsis mouentur, nec immediatè à Deo.

COelos non moueri à se ipsis, apud eos est certissimum, qui eos faciunt inanimes, & ita simplices, vt ex quatuor elementis non fiant; nam quidquid ex se, & à se, vel est animatum, vel constat substantia mixta, in qua sunt qualitates primæ, ex quibus, & non alijs generantur secundæ; inter secundas sunt motus, qualitates. Poterat quidem Deus influxu, & actione sua immediatè mouere Cœlos, quos sine alterius auxilio, & creauit, & conseruat; non tamen decuit Diuinam Maiestatem per se ipsum facere, quod per creaturas facere potest, & experientia docet causis secundis mundum esse repletum, quæ ex voluntate primæ causæ, suos producunt effectus, quos prima causa sine secundis facere potest. Hinc decuit Cœlos ab alio, quam à Deo moueri. Lapsus propterea est Aristotiles, qui primum mobile, à primò, & immobili motore, nempè Deo, moueri docuit; & ab omnibus Christianis philosophis, hæc sua sententia reijcitur.

DOCVMENTVM V.

Mouent Intelligentiæ Cœlos, & cuilibet Cœlo vna addita est Intelligentia.

ETsi præsentes illæ sint Cœlo, quod mouent, non tamen ipsæ mouentur, nec fatigantur perpetuo illo motu; quia aliquando cessabit, non ex motricis Intelligentiæ fatigatione, sed ex Diuinæ voluntatis decreto. Moueri ab Intelligentijs omnes Cœlos, sententia est Aristotelis; qui propterea non plures putat esse Intelligentias, quam Cœli sint; quasi ad nullum alium finem sint Intelligentiæ, quam ad Cœli motum. Nihil in præsentiarum dicimus de Intelligentiarum numero, nisi, cum esse multò maiorem, quam sibi persuaserit Aristoteles. Sunt namque Intelligentiæ Angeli, de quorum numero, etsi nihil constet certò, tamen ex Sacra Pagina certùm est eos ad millia millium, & decies centena millia numerari posse. Aristoteli dicenti ab Intelligentijs, idest Angelis, moueri Cœlos,

los, subscribunt cum Astrologis etiam Theologi, his permoti rationibus. Primum mobile, primum corpus est, quo non datur aliud, aut prius, aut superius, ergo ab alio corpore moueri non potest, illud enim corpus, à quo moueretur, esset mobile, ergo requireret aliud corpus à quo moueretur, sicque fieret processus in infinitum, nec daretur vllum mobile primum. Non concludit hæc ratio pro alijs Cœlis, qui mouentur à primo mobili motu diurno, possentque idcircò ab alio corpore moueri motu suo obliquo, nisi aliud obstaret, quod est illis commune cum mobili primo. Obstaculum istud, est motus perpetuitas: nam & si re vera, nec fuerit ab æterno, nec in æternum sit duraturus Cœlorum motus: tamen quantum in se est, hoc est, quatenus est circularis, & quatenus in statu incorruptibili est, potest æternus esse. Id, quod duratione æternum est, causam debent habere suæ durationis æternam; non solum quantum ad esse, sed etiam in ratione causæ, & operationis; nulla autem causa est inter res creatas sempiternæ durationis, & quantum ad esse, & quantum ad operari, nisi ea, quæ est intellectualis, & immaterialis. Hinc collige Intelligentias esse vnicas, & totales causas cælestis motus; sunt enim æternæ secundum substantiam, & secundum intellectionem, atque volitionem, quod duplici actu Intelligentiæ mouent Cœlos. Tanta est cuiuscumque Intelligentiæ vis agendi, vt vnica sufficeret ad omnium Cœlorum motionem, nec enim tantus est numerus Cœlorum, nec tam varius eorum motus, nec tanta in Cœlis resistentia, quæ nulla est, vt non posset vna Intelligentia mouere omnes Cœlos. Imò si plures essent, pluribusque motibus mouerentur, sufficeret ea, quæ inter Intelligentias est minima: attamen, & pro maiori pulchritudine totius Vniuersi, pro Cœlorum dignitate, & ad maiorem Dei gloriam, cuilibet Cœlo creditur Intelligentia vna concessa, quæ illius solius Cœli curam habeat; quemadmodum, etsi vnicus sufficeret Angelus ad hominum custodias, placuit tamen diuinæ bonitati, quemlibet hominem suum habere peculiarem Angelum.

Quonam ex loco Intelligentia suum moueat Cœlum, adhuc sub iudice lis est, nihilque certi haberi potest; an ea in Cœlo

Empi-

Empireo sit, & indè, suum moueat cœlum solo motu, & imperio, cum tanta non sit distantia, vt illam impediat Intelligentiæ actionem, cum possit Angelus in summo cœlo existens operari in terra aliquid; vel an sit proxima cœlo suo, ita vt cum cœli sibi inuicem contigui sint, sit inter illos Intelligentia, & in eo loco existens, moueat cœlum; nullas patitur angustias ea sententia, quæ docet Intelligentias ex Empireo cœlo suos mouere cœlos quantumuis distantes; imò ea pro dignitate Intelligentiarum pugnat. Altera sententia, quæ Intelligentiam facit præsentem cœlo, quod mouet, maximas patitur difficultates; nam si, ea vera sit; quærendum est, quanam in parte cœli sit Intelligentia mouens; hoc est, sit ne in polo sedens, & cum duo poli sint, vnusquisque altero nobilior, in quo polo sedeat pro tribunali, vel sit ne in Oriente, aut alia cœli parte. Has difficultates superat ea, in qua quæritur: an, cum Intelligentia præsens suo cœlo inter duos cœlos concludatur, & illi perpetuo moueantur, illa quoque motu locali moueatur: impossibile namque videtur moueri continens, quin ex ineuitabili consequentia, contentum moueatur. Duo cœli continentes sunt, Angelus inter vtrumque cœlum existens, quia est ibi difinitiuè, & præsens secundum substantialem præsentiam, debet moueri; quo nihil absurdius, non enim minus quiesceret Intelligentia, seù Angelus, quam ipsum cœlum: dicere autem non moueri Intelligentiam videtur omninò incredibile. Soluenda est hæc difficultas in fauorem eorum, qui Intelligentias faciunt præsentes cœlis, quos mouent. Dicimus itaque ex hac Intelligentiarum præsentia non oportere illas emoueri, & in quacumque parte cœli sint, eas immobiles manere, nec rapi ad motum cœlorum, in quibus concluduntur, siquidem, adhoc vt moto continente, moueatur contentum, non sufficit præsentialitas, seù continentia, siuè ad motum per se, siuè ad motum per accidens, & quia contentum ad motum continentis non mouetur per se, sed mouetur per accidens, exponamus alias conditiones sine quibus, nec per accidens quidem mouetur contentum ad motum continentis.

Requiritur in primis vt totum continens secundum locum moueatur, & non sufficit vnius, vel plu-

plurium partium motus; hinc anima in nostro corpore inclusa, quamuis sit tota in toto, & tota in qualibet parte, imò quamlibet partem informet; tamen ad motum brachij, aut tibiæ, vel alterius partis, nisi totum corpus moueatur, anima non censetur moueri per accidens, alioquin duo contradictoria de eadem anima annunciarentur, nam cum tota anima in brachio sit, & tota eadem anima in capite, totoque in corpore, quiesceret, & moueretur anima; nam responderi non potest, eam secundum vnam partem moueri, quiescere secundum alteram, cum non habeat partes integrantes, & quantitatiuas anima. Hæc sanè ratio nobis inutilis est in hac materia subiecta; quia cœli, quibus affixæ sunt Intelligentiæ, secundum se totos mouentur. Quærenda alia ratio est, hæc videlicet: quotiescumque agens, sui mouens non potest mouere aliquid per se existens, si illud alteri coniungatur, quod moueri à mouente possit, & moueatur, tamen non ad illius motum mouetur per accidens id quod per se existens, & ante coniunctionem non poterit moueri, nisi coniugatur mobili, vel vt actus potentiæ, vel vt pars toti, vel vt necessariò coiunctum ei, cui copulatur; sed Intelligentia per se existens non potest moueri localiter à quacumque re corporea, ac proindè nec ab ipso cœlo, & non coniungitur cœlo quod mouet, aut vt actus, aut vt pars, aut vt aliquid necessariò coniunctum: ergo Intelligentia in cœlo existens, ad motum cœli non mouetur. Minor propositio est certa, indubitata consequentia; Maior quæ non intellecta, negari posset, intellecta negari non potest; id circò est à nobis explicanda. Quædam sunt, quæ aut nullo pacto ab alijs moueri possunt, aut certè non ab omnibus, quorum quædam coniuncta cum alijs perseuerant in sua immobilitate, alia verò ex coniunctione, eam immobilitatem perdunt. Et perdunt, quæ coniunguntur per modum actus, vt videre est in anima rationali, quæ separata à corpore, immobilis est, ita vt se ipsa tantum moueri possit, & ab vllo agente corporeo localiter moueri non potest; coniuncta tamen corpori per modum actus, mouetur à quocumque, suum corpus mouebitur. Perdunt etiam, quæ in ratione partis, alteri coniunguntur; alioquin ad totius motionem sepa-

rarentur à toto, & amplius partes non essent, induerent enim naturam totius. Perdunt etiam, quæ necessaria coniunctione alteri coniunguntur, vt videre est in graui, & penderosa re aliqua, quæ tantæ sit grauitatis, & ponderis, vt ab vno homine moueri non possit quamdiù res illa per se est, quæ tamen res in naui reposita, ab illo homine mouetur, non alia sanè ratione, quam, quia necessariò res grauis coniungitur rei illi, cui innititur; vt merces in naui. Ita explicata maior propositio nullas patitur angustias, aut difficultates. Quamuis ea omnia, quæ obijci possunt contra præsentiam Angeli ad cœlum, quod mouet, solui possunt; tutius tamen, & facilius, & verò similius est Intelligentias motrices cœlorum. abesse à cœlis, quos mouent, & in cœlo Empireo existentes, cœlos mouere, vt sint cœlo Empireo præsentes per substantiam, & naturam, & quantum ad esse: sint verò præsentes cœlis, quos mouent, sola præsentia operationis, seù virtutis. Non fatigantur Intelligentiæ diuturnitate, & perpetuitate motus cœli: quia omnis fatigatio prouenit, vel ex parte agentis principalis, vel ex parte instrumenti; neutrum horum in Intelligentijs est. Ex parte Intelligentiæ non est fatigatio; quia nulla est in mobili resistentia, & quia ipsa est sempiternæ durationis, summæque simplicitatis; ex parte instrumenti, quo Intelligentia vtitur, nempè ex intellectu, voluntate, & motiua facultate, imò ab intellectione, volitione, & actuali motione, non potest esse fatigatio; Tunc enim solum fatigatur instrumentum, cum, aut corrumpitur, aut minuitur, aut contrahit aliquam imperfectionem; horum nihil aduenire potest instrumentis Angelicis, quæ tantæ sunt durationis, tamdiù in sua perfectione perseuerant, quantum ipsis Angelis, seu Intelligentijs placuerit. Est sanè cælestis motus ex se perpetuus: nam sicut circularis motus non habet vndè incipiat, ita nec habet vbi finiat. Cœlum in quo iste motus ex se perpetuus tanquam in subiecto recipitur, est æternum, & incorruptibile, nullamque patitur ab isto motu læsionem, imò ex eo perficitur. Intelligentiæ mouentes cœlum, sunt infatigabiles, & accidentariam acquirunt perfectionem in motione cœlorum, quia perfectio est bono, sui ipsius communicatio; ergo motus cælestis ex cau-

causa efficiente nempè Intelligentia, ex causa materiali, nempè cœlo, ex causa formali, nempè à se ipso, est æternus & perpetuus. Cessabit tamen aliquando (in finali scilicet iudicio) ita vt hæc cessatio proueniat ab extrinseco, nempè à Diuina voluntate, quæ, cum cœlos moueri velit ad generationem, & corruptionem rerum sublunarium, illos cessare volet post iudicium; quia ex tunc nulla est futura generatio, aut corruptio.

DOCVMENTVM VI.

Nullum concentum, nullumque sonum efficiunt Cæli ex varia circumitione, varioque motu.

HAec est sententia Aristotelis, cui totus Philosophorum cætus astipulatur; siquidem non potest fieri sonus sine medio, quod aqua est, vel aer: sed intra cœlos nullus esse potest aer, nulla aqua: tum quia extra suum locum posita, putrefierent, & corrumperentur; tum quia cœli sunt sibi inuicem contigui, & ita se mutuò immediatè contingunt, vt nihil prorsus inter vtrumque cœlum esse possit, alioquin non essent contigui.

De circulis cælestibus repræsentatis in sphara materiali.

CVm sit quodlibet cœlum globosæ, ac sphæricæ figuræ, nulli propriè sunt circuli; nam si Euclidi credimus, circulus est figura plana, quam circularis linea ambit, ad quam lineam deducuntur lineæ æquales, à medio plani. Non est cœlum planum, non habet ergo circularem lineam, aut circulum. Abusiuè circularis linea in se sumpta, & extra planum considerata, appellatur circulus; nec in hoc sensu sunt realiter circuli in cœlis, sed tantum imaginarij, & virtute intellectus concipientis circulos in cœlis, ac si re vera ibi essent. Circulus ergo in cœlis, aliud nihil est, quam imaginaria quædam circularis figura ad designandos periodos Planetarum, aliarumque stellarum, sit ergo.



DOCVMENTVM I.

Decem sunt in Cælis circuli, qui in maiores, & minores, æquè distantes, & obliquos, mobiles, & immobiles diuiduntur.

SVb hoc denario circulorum numero sunt duo Colubri, duo Tropici, duo polares, æquator, Zodiacus, Meridianus, & Horizon. Hi omnes concipi debent in cœlis eo modo, quo definitur linea à metamaticis. Primò sine latitudine & profunditate, excepto Zodiaco, qui præter suam longitudinem habet latitudinem duodecim graduum. Quantum ad secundam diuisionem, illi appellantur circuli maiores, qui spheram diuidunt in duas partes æquales: quod faciunt duo colubri æquator, Zodiacus, & Horizon. Minores circuli dicuntur, qui cœlum diuidunt in partes inæquales, quod faciunt duo tropici, & duo polares. Quantum ad secundam diuisionem circuli parallæ dicuntur illi, qui aut à se ipsis æqualiter distant, vel ab vtrque polo. Hinc duo tropici vtroque titulo dicuntur æquidistanctes. Duo polares inter se vtroque etiam titulo æquidistantes, si verò conferantur tropici cum polaribus, erunt æquidistantes vno solum titulo; quia videlicet tãta est distãtia vtriusque tropici ab æquatore, quanta est distantia vtriusque circuli polaris ab vtroque tropico. Obliqui circuli sunt, qui inter se non seruant æquabilem distantiam. Quantum ad tertiam diuisionem: illi circuli appellantur immobiles, qui eamdem sedem semper seruant in cœlo, quod faciunt octo circuli; nam soli duo, nempè Meridianus, & Horizon dicuntur mobiles, quia in cœlo non eamdem seruant sedem, quæ omnia ex materiali sphæra deprehenditur. Hinc sit.

DOCVMENTVM II.

Materialis sphæra est instrumentum astrologium rapræsentans celestes circulos.

HAbent Astrologi instrumenta varia, vt sensibus omnium subijciant ea omnia, quæ in cœlis fiunt, quo oculus pertingere non potest, sed omnium primum in quo iaciuntur fundamenta astrologia, & in quo addiscuntur rudimenta astrolo-

ſtrologia, illud eſt quod appellatur ſphæra, quam, qui componere, & fabricare voluerit, hanc ſequatur viam. Eligat quã voluerit materiam, quæ poſſit ſufficere ad circulos faciendos: faciat tres circulos eiuſdem magnitudinis, tam ſecundum longitudinem, & latitudinem, quam craſſitiem, & quemlibet illorum diuidat in trecentas ſexaginta partes, quas appellabit gradus. Deinde faciat alium circulum eiuſdem magnitudinis, ſed maioris latitudinis, ſitque illius latitudo duodecim graduum. Deinde paret duos circulus his paulò minores, & alios duos minimos, quorum magnitudo deprehendetur ex loco, & in quo poni debent. His ita præparatis, accipiat duos circulos priores, nempi ex tribus primis duos, & ita vnum in alio ponat, vt ſe in duobus extremis interſecent, ſed quæ mutuo æqualiter diuidant. Poſtea ab vtraque parte interſecãt, & ſe contingunt, numeret nonaginta gradus, ibique ponat tertium circulum æqualiter diſtantem ab vtroque extremo. Ab illo circulo medio numeret viginti tres gradus cum dimidio ex vtraque parte, & in vtraque parte ponat duos alios circulos. Deinde ab vtraque parte in qua ſe interſecant duo primi circuli, numeret viginti tres gradus cum dimidio, & ibi ponat duos minimos circulos. Deinde accipiat latum circulum, in cuius medio lineam faciat, & duodecim ſingna cæleſtia repræſentet, aptetque hoc modo, vt obliquus ſit, & primus gradus Capricorni contingat vnum ex circulis viciniori-bus medio, & primus gradus cancri contingat alium circulum æquidiſtantem à medio. Poſtea collocentur duo circuli minimi, quorum quilibet ponatur vigeſimo tertio gradu cum dimidio ab vtroque polo, id eſt ab vtraque parte in qua ſe interſecant. His peractis, fiant duo circuli, in quorum quolibet contineri poſſit tota ſphæra, quorum vnus appellabitur Meridianus, ille, ſcilicet, qui capiti ſupereminet, alter verò dicatur Horizon, & & hi duo ſe interſecant, vt de duobus coluris dictum eſt. Poſtmodum globulus fiat; qui ſuſpenſus in medio ſit, terramque repræſentat; & vt in medio ſphæræ ſit, detur ei axis pertingens ab vno polo ad alium, tranſeatque per medium globuli. Sunt qui addunt cœlorum multitudinem, ſed hoc non puto neceſſarium.

De

De æquatore.

DE singulis circulis agendum est seorsim, si primo monuerimus, illos propriè esse in primo mobili, & per quamdam communicationem in cœlo cristallino, & stellifero. Ex quo fit, vt quæcumque à nobis dicenter referenda sint ad circulos primi mobilis, & secundariò ad alios in alijs cœlis existentes. Ab æquatore incipiamus tamquam omnium nobilissimo.

DOCVMENTVM PRIMVM.

VAria sunt nomina huic circulo imposita, quæ extrinsecè illum definiunt, sed melius hæc definitio. Aequator, est circulus omni ex parte æquidistans ab vtroque polo, & cœlum diuidens in duas partes æquales. Definitio hæc ex se patet; nomina exlicemus. In primis appellatur æquator, eo quod sit æquabilis mẽsura motus primi mobilis, quadere postea; & quia cum ad illum sol peruenerit, noctes æquales facit diebus, & dies noctibus: quia ista æquatio dici, & noctis, duas partes complectitur, nempè diem, atque noctem; hinc ex cogitata duo nomina, quæ optimè possunt dici partialia; hinc dicitur æquidialis, idest diem æqualem nocti faciens, & æquinochialis, quia noctem æqualem facit dici.

DOCVMENTVM II.

Multiplex est officium, atque munus æquatoris.

INcipiamus à primo est mensura primi mobilis; cum enim moueatur regulariter, & eodom modo primum mobile, vbicumque habeat motum, mensura illius motus debet esse circulus ille, qui in cœlo illo, maiorem ambitum describit: cum perfectio motus, ex maiori distantia terminorum, & ex velocitate motus consistat; certum autem est omnes alios circulos in primo mobile existentes, qui illud diuidunt à polo vno ad alium polum, æquatorem esse maximum, atque ideo terminos à quo, & ad quem sui motus magis distare, quam distent termini motus aliorum circulorum, nec non suum motum esse multò velociorem reliquis, sicut oportet motu vtriusque tropici

esse

esse velociorem motu vtriusque circuli polaris, quia infra viginti quatuor horas maiorem cœli ambitum perficit. Alij verò circuli minorem. Secunda proprietas; æquatuor est mensura temporis: quia est mensura primi motus, cuius motus mensura est tempus. Propriè hic loquimur de annuo motu, cuius causa efficiens est sol, qui si immobiles maneret, hoc est, non moueretur alio motu, quam motu primi mobiles, solus æquator esset mensura temporis annui: verumtamen, quia retrocedit sol, motu sibi proprio; & obliquo non potest solus æquator suo motu annum conficere; addendi sunt namque illi gradus, quos retrocedēdo sol relinquit, & per quos distat à primo gradu Arietis primi mobilis. Tertia; æquatuor est regula obliquarum extensionum; Assensiones duplices notant Astrologi in cœlis, scilicet rectas, & obliquas: omnes stellæ quæ ex altera parte mundi ad nos veniũt, ac proinde ascendunt, & nobis oriuntur, si illæ fluerint in Zodiaco, quia obliquè positus est Zodiacus, ille obliquæ ascendunt; si verò extra Zodiacum fuerint, rectè ascendere dicuntur. Omnis irregularis, & obliquus motus debet reduci ad regularem, & rectum motum, sed motus, seù ascensio, habet summam regularitatem, & rectitudinem, ergo omnis alius motus obliquus, omnis alia ascensio obliqua debet reduci ad æquatorem. Quarta; æquator distinguit, & ostendit æquinochia duo: æquinochium bis in anno facit sol, tunc videlicet cum reperitur directè sub æquatore primi mobilis, nempè vigesima prima die Martij, & vigesima quarta die Septembris. Hinc fit, vt æquator dicatur ostendere, & distinguere æquinochia. Hæc quamuis vera sint; sciendum tamen est, propriè nullum dari æquinochium, & nullum diem posse dici æqualem nocti, aut noctem dici, propter rapiditatem & velocitatem motus solis, quæ omninò impedit æqualitatem; Attamen aliquot dies circa vigesimam primam diem Martij, & vigesimam quartam Septembris nobis videntur æquales nocti propter terræ paruitatem, si cum cœlo solis comparetur. Huius rei exemplum sit: nauis in mari, secundo vento velocissimè delata, quæ si à longinquo inspiciatur apparet quasi immobilis. Sciendum insuper æquinoctia non fieri vbique terrarum, sed

dum-

dumtaxat in illis partibus, quarum Horizon interſecat æquatorem, ideſt, quæ habent Horizontem diſtinctum, & diuerſum ab æquatore; ac proinde infra viginti quatuor horas, noctis, & diei viciſſitudinem: nam, qui ſub vtroque polo degunt, quia habent pro Horizōte ipſummet æquatorem, propterea quod polus capiti eorum ſupereminet non habere infra viginti quatuor horas noctis, & diei viciſſitudinem, ſed vnicum diem per ſex menſes integros, & noctem per alios ſex menſes.

Hi nullum ſentiunt æquinochium. Aequator demonſtrat ſtellarum tam ſixarum, quam errantium declinationem. Eſt declinatio diſtantia ſtellæ ab æquatore, verſus vtrumque polum, &, cum aliquæ ſtellæ magis diſtent ab æquatore, maiorem propterea dicuntur habere declinationem: idem dicendum de gradibus Zodiaci; quorum duo dumtaxat contingunt ęquatorem, ac propterea nullam habent declinationem: omnes verò alij, cum verſus numerum ex duobus tropicis, ac proinde verſus numerum ex polis, ita deflectantur, vt ab æquatore magis, vel minus diſtent, pati & habere dicuntur declinationem, & cum Zodiacus vltra vtrumque tropicum non diſcurrat, diſtetque æquator ab illis viginti duobus gradibus cum dimidio, maxima declinatio graduum Zodiaci, erit viginti duorum graduum cum dimidio. Sexta: æquator diuidit totum cœlum, atque ſtellas in eo exiſtentes in duas partes, quarum vna eſt ab æquatore verſum polum arctium, & videtur ſeptemtrionalis; Altera pars, quæ ab æquatore, ſe diffundit vſque ad polum antarcticum, dicitur auſtralis, ſui meridionalis, cum ſtellæ ſint partes denſiores ſui Orbis, illæ dicuntur boreales, ſeu ſeptentrionales, quæ ſunt inter æquatorem, & polum arcticum; illæ dicuntur meridionales, ſeù auſtrales, quæ inter æquatorem & polum antarchiū deprehenduntur. Ex quo fit vt cum vna eademque ſtella, nunc in parte auſtrali ſit, poſtea in ſeptentrionalem veniat, & poſtmodum redeat ad auſtrum, pro varietate partes cœli. in qua reperitur, aliquando dicitur meridionalis; aliquando ſeptemtrionalis. Septama: æquator oſtendit longitudinem, ſeù breuitatem diei artificialis in ſingulis partibus mundi, & qualibet die anni. Hoc artificio res depre-

præhenditur: habeatur materialis sphæra, & illius polus eleuetur supra Horizontem, quanta est eleuatio illius ciuitatis, de qua diuinare volumus, quanta sit dici longitudo: postmodum notetur gradus in Zodiaco in quo sol oritur eo die, & ponetur præcisè in Horizonte, deinde moueatur sphæra, donec ille gradus in quo sol est notatus, contingat alteram Horizontis partem: tunc numerentur gradus in æquatore, qui in illa reuolutione sphæræ ab ortu vsque ad occasum excurrerunt, & pro quindecim gradibus numeretur, tandem habebitur certus horarum numerus dici illius. Non diffiteor plures esse æquatoris proprietates, sed tantæ difficultatis, & tam modicæ vtilitatis, sine repræhensione, prætermitti à nobis possint.

De Zodiaco.

PRima cura constituentis Zodiacum in suo situ, dum sphæra materialis componitur, est, vt contingat Zodiacus in duabus partibus æquatorem, illumque diuidat in duas partes, quod prætermittendum non est propter conformitatem vtriusque cœli, mutuam, & reciprocam relationem, quam inter se habet. Ex quo fit, vt vnus sine altero explicari nequeat; quæ res me mouet, vt decurso æquatore, eoque planè inspecto; Zodiacum decurrendum,& vtroque oculo inuiscendum, immediatè post illum subijciam.

DOCVMENTVM PRIMVM.

Zodiacus est circulus maior, obliquus, diuidens cælum in duas æquales partes, ita in cælo positus vt vna pars sit septemtrionalis, alia australis, solus habens latitudinem, estque via, qua gradiuntur Planetæ.

OMnia ferè,quæ in hac definitione sunt, ex nostra antecedente explicatione, ita per se patent,vt sine nobis intelligi possint. A nobis hactenus intacta sunt, in præsentiarum tangenda. Zodiacum oportuit esse obliquum propter resistentiam, & vicitudinem generationis,atque corruptionis. Obliquitas vim habent resistendi ex se, vt quod obliquum est, non tam faciliter moueatur: oportebat Zodiacum non tanta velocitate moueri, quanta æquator moue-

Ddd tur,

tur, & oportebat illum aliquo pacto aduersari motui rapidissimo primi mobilis: ergo oportuit Zodiacum esse obliquum. Ad generationis, & corruptionis alternam successionem, oportebat solem, alíosque Planetas, nunc in partibus australibus, nunc in septemtrionalibus esse. Gradiantur semper Planetæ sub Zodiaco: ergo oportuit illum esse obliquum. De latitudine Zodiaci postea dicemus, si primo monuerimus Zodiacum in tribus cœlis reperiri, nempè in primo mobili, deinde in cœlo cristallino, tandem in firmamento: & multa dici de vno Zodiaco, quæ alteri non possent competere. Quæ disparitas non impedit quo minus hi tres Zodiaci, ita inuicem superponantur, aut supponantur; & ita secundus primo, & tertius, vtrique subijcitur, vt linea ducta à primo Zodiaco penitus secundam, & tertia mecontinga.

DOCVMENTVM II.

Diuiditur Zodiacus secundum longitudinem, & latitudinem; quæ longitudo trecentos sexaginta gradus habet, latitudo duodecim.

Qvamuis omnes circuli cœlestes, & in sphæra materiali hoc habent commune cum Zodiaco, vt in tot diuidantur partes; hæctamen diuisio propria, & peculiaris est Zodiaco, & ab eo tamquam à fonte suos gradus accipiunt alij circuli. Arbitratus Piccolominus lib. 2. suæ sphæræ cap. 3. spontaneam esse, ac liberam hanc diuisionem, ita vt potuissent Astrologi, aut in plures, aut in pauciores gradus diuidere Zodiacum, placuisse tamen hunc numerum, quia satis numerosus est, vt per eum satisfaciat omnibus, quæ deprehenduntur in cœlis per gradus. Potuisse maiorem fieri hanc partitionem, probari ex eo potest, quod tanta sit magnitudo cuiuscumque gradus, vt decimam subdiuisionem recipiat: nam gradus, quilibet diuiditur in sexaginta minuta, & quodlibet minu-

minutum subdiuiditur in sexaginta secunda, & quodlibet secundum subdiuiditur in sexaginta tertia, perseuerantque huiusmodi subdiuisiones, donec quodlibet nonum in sexaginta decima diuiditur, ibique cesset subdiuisio. Aliter sentit clauius caput secundum sphære de sacrobosco putat maturo iudicio diuidi Zodiacum, aliosque circulos in trecētos sexaginta gradus. Ratio huius diuisionis hæc est: omnis circulus naturali actione, & diuisione à mathematicis diuiditur in sex partes: propterea debuit Zodiacus, qui est perfectissimus circulus primò diuidi in partes sex, quarum quælibet pars dicitur signum naturale, & physicum, & tamen continet duo signa ex illis duodecim, quæ in Zodiaco visum datur. Hanc diuisionem primam sequitur alia diuisio, qua quodlibet signum ex his sex, diuitur in sexaginta partes: quod si multiplicaueris sex per sex, integrum reperies numerum trecētorum sexaginta graduum. Missas facio alias rationes à perfectione senarij numeri petit. Hæc longitudo Zodiaci incipit à primo gradu Arietis, percurritque omnes alios gradus. Latitudo in solo Zodiaco depræhenditur, quæ est duodecim graduum, nam in medio latitudinis Zodiaci describitur linea indiuisibilis secundum latitudinem, quæ tantæ est subtilitatis, vt quab nullum occupet locum. Ex vtraque parte istius lineæ, quæ ecliptica dicitur, sunt sex gradus longitudinis eiusdem. Ratio, quæ Astrologus nouit vt latiorem non facerent Zodiacum, hæc est: Zodiacus est via, qua gradiuntur Planetæ, ita vt sint semper sub Zodiaco; quod si sub Ecliptica linea non sint, & ab illa in vtramque partem declinent, non tamen vltra sex gradus diuidantur.

De Coluris.

SVnt hi duo circuli, qui coluri appellantur ex intrinsecis circulis, ex maioribus, seù maximis ex illis, qui non mouentur nisi ad motum cœli, atque etiam sphæræ: hinc fit vt post Aequatorem, & Zodiacum sint explicandi. Sunt autem hi duo circuli, qui cœlum, sphæramque diuidunt in quatuor æquales partes seque mutuò intersecant ad angulos rectos, vbi cœli sunt poli. De his sit.

DOCVMENTVM I.

NOn temerè hi duo circuli appellantur coluri; huius nominis impoſito, varijs aſſigna-tur de cauſis. Prodeat in me-dium author ſphæræ, nempè de Sacrobofco, qui Colurum putat dictum à dictione græca, quod eſt bos ſilueſter; nomine mem-bri caudam intellige; quam cum erigit bos, ea dimidiatum de-ſcribit circulum, quæ eſt ipſa-met coluri figura; ſi illam ta-men partem inſpiciamus, quæ nobis in aliqua ſphæra habitan-tibus conſpicua eſt. Prodeat Clauius, qui hanc nominis im-poſitionem deridens, aliam af-fert, putatque colurum dictum à dictione græca, & idem ſit, ac imperfectum, & mutilatum, quia habitantibus in ſphæra ob-liqua, truncatus, mutilatus, im-perfectus apparet vterque colu-rus.

DOCVMENTVM II.

Coluri omnes habent proprietates, & quilibet eorum ſuas ha-bet proprias.

COmmune habent coluri to-tum cœlum, omneſque circulos in eo exiſtentes, vt in quatuor diuidant partes æqua-les: conſtituant in Zodiaco qua-tuor puncta, quæ appellantur cardinalia: ſunt enim ea ad quæ ſol cum peruenerit, nouum in-cipiat producere tempus, & vna ex quatuor anni partibus in-choat; quæ quatuor puncta car-dinalia ſunt illi quatuor gradus, in quibus linea ecliptica contin-git coluros, qua de re, plura, cum de ſole agemus. Vnus ex duobus coluris eſt peculiare ſor-titus nomen, appellatur enim colurus æquinoctiorum; quia ſcilicet ſol exiſtens in primo gra-du Arietis, aut Libræ, quæ duo ſigna contingunt illum colurum fiant duo æquinoctia. Alter co-lurus dicitur ſolſtitialis, ſeù ſol-ſtitiorum, quia cum ſol perue-nerit ad primum gradum cancri, & ad primum gradum Capri-corni, qui duo gradus in Ecli-ptica linea contingunt duos co-luros, videtur ſol in meridie, quaſi ſtare; velut melius lo-quar, quia, cum ſol ad vtrum-que gradum productum perue-nerit, vltra non progreditur verſus polos, ſed ab illis re-trocedere incipit; Vnde ſol exi-ſtens in primo gradu Can-cri, incipit à nobis recedere, & cum eſt in primo gradu Ca-

pri-

pricorni, ad nos redire incipit.

De Meridiano.

MAiores circulos internos explicauimus; sequitur, vt maiores extrinsecos explicemus; qui cum duo sint; se se primo offert circulus meridianus, qui est circulus maior diuidens sphæram inter duas partes æquales per polos transiens, & intersecens Horizontem ad angulos rectos. Ex quo fit vt eodem modo se habeant meridianus, & Horizon quantum ad coniunctionem, & intersectionem, & diuisionem mundi, sicut duo coluri, de meridiano circulo hæc pauca accipe documenta, plura accepturus, cum de sole agemus.

DOCVMENTVM I.

Meridianus multiplex est, suntque ad minus duodecim meridiani, & ad summum esse debent centum & octoginta.

CErtum est in sphæra materiali, vnicum apponi meridianum circulum, qui est instar omnium, cum aliorum vices gerat: quia infra triginta gradus æquatoris, mutatur hora meridiana; propterea Cosmographi, quia duodecim sunt signa, & in duodecim partes diuiditur æquator, atque Zodiacus, duodecim ponunt circulos meridianos, ita vt inter duos sit distantia triginta graduum, omnesque illi populi, qui à polo vsque ad alterum polum sunt, & continentur intra triginta gradus, & sunt inter duos circulos meridianos notatos, tam in globo terrestri, quam in mappa Cosmographica, habent re vera eumdem meridianum, quantumuis à se inuicem distent qualicumque alia distantia. Alij paulò subtilius rem speculantes, non recipiunt inter duos circulos meridianos maiorem distantiam, quam vnius gradus: vnde fit, vt ex horum sententia sint centum octoginta circuli meridiani, qui ad vitandam confusionem, & ne sint impedimento, neque in mappa Cosmographica, nec in globo terrestri, depinguntur.

***

DOCVMENTVM II.

Multæ ſunt meridiani circuli proprietates.

EST namque immobilis, maximam oſtendit ſolis, cæterorum Planetarum, nec non ſtellarum omnium eleuationem, initium dici Aſtrologici facit.

Immobilem dicimus eſſe meridianum circulum, quia ad motum ſphæræ, & cœli, ipſe non mouetur, quamuis omnes circuli intrinſeci moueantur. Neceſſaria fuit illi hæc immobilitas: quia debet ad angulos rectos interſecare Horizontem, quod non ſemper faceret, ſi moueretur. Adde aliam rationem: debet meridianus circulus ita totum ambire cœlum, vt incipiens ab vno polo, directè tranſeat per verticale punctum, capiti noſtro perpendiculariter ſupereminens, appellàturque Zenith, & poſtmodum protrahetur vſque ad alium polum, à quo protrahitur, donec veniat ad polum primum tranſeundo per illud punctum, quod in altera parte cœli perpendiculariter opponitur verticali. Eſtque directè ſub pedibus noſtris, & appellatur Nadir, & Zerith, ergo & meridianus circulus immobilis eſt. Hic circulus oſtendit maximam cuiuſcumque ſideris eleuationem: ſiquidem quodcumque ſidus à ſuo ortu, quo incipit nobis apparere, aſcendit ſemper reſpectu noſtri, donec ad noſtrum meridianum venerit, à quo meridiano recedens, deſcendit ſemper, donec nobis occidat, & occultetur, ergo ſummè eleuatur ſidus cum in meridiano circulo fuerit. Initium facit diei Aſtrologici; ſiquidem Aſtrologi ad vitandas obliquitates motuum cæleſtium, & quibus obliquitatibus varij ſunt ortus, & occaſus ſolis, ſicut & aliarum ſtellarum, recurrunt ad aliquem circulum immobilem, & eodem modo ſemper ſe habentem; talis eſt meridianus circulus, vndè Aſtrologi primam horam diei faciunt meridianam, & à meridie incipiunt diem, cuius duratio ſit vſque ad alium meridiem, ſicut annum incoant à vigeſima prima Martij.

De Horizonte.

EST Horizon ſicut & meridianus, circulus exterior, cuius propterea explicatio meridia-

ridiani circuli, explicationem sequitur. De hoc Horizonte, hæc accipe pauca documenta.

DOCVMENTVM I.

Horizon diuidatur in rectum, & obliquum: in rationabilem, seu naturalem, & visibilem seu apparentem, quorum quilibet suam habet peculiarem definitionem.

Horizon rectus est, qui diuidit hemisphærium inferius à superiori; vt hæc definitio intelligatur, sciendum est, sphæram diuidi in rectam, & obliquam. In recta sphæra sunt, qui sub æquatore habitant, quia vtrumque vident polum, & sub polo nihil vident, ac propterea illi vident hemisphærium perfectum, & aliud hæmisphærium non vident; quia illis non eleuatur polus vnus, nec alter deprimitur; dicuntur esse in sphæra recta. Quicumque ab æquatore versus alterum polum habitant; dicuntur esse in sphæra obliqua, quia illis vnus eleuatur polus, alter verò deprimitur. Horizon rectus, rectæ sphæræ habitatoribus deseruit, obliquus verò alijs. Horizon obliquus, est circulus, cuius centrum est locus, quem homo pedibus calcat: circumferentia describit partem concauam cœli transeundo ab Oriente ad Occidens, donec redeat ad transiens. Ex quo fit vnicus sit Horizon rectus, sint autem multi obliqui. Horizon naturalis, seu rationabilis, complectitur rectum, & obliquum Horizontem, estque circulus ille, qui re vera cœlum diuidit in duas partes æquales, quarum vna nobis sit conspicua, altera occultetur. Horizon sensibilis, visibilis, atque appares, ille est circulus, qui diuidit cœlum in duas partes secundum extensionem nostri visus; quia noster visus in plana superficie vltra septem leucas non extenditur, in septem illarum leucarum termino videtur Horizon noster; ex quo fit vt iste visibilis Horizon noster diuidat cœlum in duas partes multum inæquales: nam pars cœli, quæ nobis apparet, minor est ea, quæ nobis occultatur.

DOCVMENTVM II.

Horizontis proprietates sunt, quæ sequuntur.

DIuidit cœlum in duas æquales partes eo ipso modo, quo quilibet colurus. Intersecat meridianum ad angulos rectos: est mensura ortus, occasus, & apparitionis stellarum, atque Planetarum: indicat quænam sint stellæ perpetuæ occultationis, sempiternæ apparitionis, & partim apparitionis, partim occultationis; nam illæ stellæ respectu nostri sunt sempiternæ occultationis, quæ numquam ascendunt ad nostrum hæmispherium, ac proindè non perueniunt vltra Horizontem, quales sunt omnes stellæ, quæ à polo antarctico, vsque ad quadragesimum secundum gradum versus æquatorem sunt. Stellæ sempiternæ apparitionis sunt, quæ numquam descendunt infra nostrum Horizontem, quales sunt omnes stellæ, quæ à polo arctico vsque ad vigesimum quartum gradum versus Aequatorem positæ sunt. Stellæ partim apparitionis, partim occultationis sunt illæ, quæ ascendunt ad nostrum vsque hæmisphærium, & sub illo descendunt, ac proinde oriuntur, & occidunt. Ad nostrum veniunt Horizontem dum ascendunt à nostro, recedunt ab Horizonte dum occidunt. Sunt autem huiusmodi omnes stellæ, quæ occupant totam illam cœli partem quæ est infra numerum quadragenarium notatum supra in gradibus.

De Quatuor minoribus circulis.

PRæter maximos circulos antea explicatos, sunt quatuor alij circuli dicti minores, ratione quantitatis tam molis, quam virtutis: sicut enim sunt aliis minores secundum quantitatem, sunt etiam secundum effectum sit.

DOCVMENTVM I.

Duo tropici minores sunt circuli, quorum hoc est munus, ad illos cum sol peruenerit, stare & retrocedere nihil cogitur, vnde, & hæc habent nomina.

DIcuntur tropici à verbo græco, quod est, retrouerto, vel ab alio nomine, quod con-

conuerſionem ſignificat. Mox enim vt ſol alijque Planetæ ad vnum tropicorum venerint, redeunt ad æquatorem, & ab æquatore ad alterum tropicum, à quo altero tropico redeunt ad æquatorem, & tropicum. Dicuntur etiam circuli ſubſtantiales, quia cum ad illos ſol peruenerit, ſtare videtur. Indicant hi duo tropici maximam ſolis, & Planetarum declinationem, non enim ab æquatore diſtare poſſunt magis, quam ſit diſtania vtriuſque tropici ab eo.

DOCVMENTVM II.

Circuli ſolares quorum alter arcticus alter antarcticus appellatur, hoc ſolum munus habent in calo, vt notent polos Zodiaci, qui ſunt diuerſi à polis mundi, à quibus diſtant viginti tribus gradibus cum dimidio, quantum ſcilicet circuli polares diſtant ab vtroque polo.

IN terra commune quoddam officium habent quatuor minores circuli, eam enim diuidunt in tres Zonas, torridam, temperatam, glacialem. Tota illa terræ pars, quæ eſt inter vtrumque tropicum appellatur torrida, ideſt calore ſolis aduſta, quam propterea antiquiores inhabitabilem indicarunt. Tota illa terræ pars, quæ eſt ab vtroque tropico vſque ad vtrumque circulum polarem, appellatur Zona temperata, vel duæ Zonæ temperatæ. Illa terræ pars quæ eſt inter vtrumque circulum polarem, & vtrumque polum, dicitur Zona glacialis ex nimio frigore, propter maximam à ſole diſtantiam. Hæc de circulis ſufficiant.

De Cælo Empireo.

SAtis in conſideratione eorum omnium, quæ ſunt cœlis communia commorati ſumus, & circulos omnes percurrimus. Expedit vt deinceps ea inquiramus, quæ cuilibet cœlo peculiaria ſunt; ne aliquid à nobis intactum, vel prætermiſſum in Aſtrologia dicatur. Incipiamus ab eo cęlo quod reliquis omnibus ſuperueniat. Sitque,

DOCVMENTVM I.

Præter omnes cœlos mobiles admittendum est aliud cœlum immobile, materia constans, & forma eiusdem generis, sed distinctæ speciei ab alijs cœlis.

QVod Empireum, intellectuale dicitur. Dari cœlum aliquod immobile, in cuius ambitu contineantur omnes cœli mobiles, vix potuit diuinare Philosophia, quæ cœlos non nouit nisi per motum; attamen sacra Theologia, & fides catholica, admittendum docet; vult enim ab ipso mundi primordio conditum esse à Deo hoc cœlum, & statim repletum est Angelis; estque aliquando replendum, ne dum animabus, sed etiam hominibus secundum animam & corpus beandis. Decet enim beatorum sedem esse aliquod cœlum summæ perfectionis, cuius materia sit eadem numero cum materia aliorum cœlorum, rerumque sublunarium; ita tamen, vt forma eius substantialis, quæ genere conuenit cum aliorum cœlorum substantialibus formis, specie tamen ab illis distinguatur; sicut, & de alijs cœlis diximus, eos à se inuicem specie distingui. Nobilitate superat forma illius cœli quamcumque aliam cœlestem formam: sequuntur nobiliora accidentia, nobiliores substantias: ergo sunt istius cœli nobilissimæ qualitates. Immobilitas est nobilior mobilitate; hinc illud cœlum est immobile, & quia ad immobilitatem iuuat quadrata figura, erit illud cœlum secundum cōuexam partem omninò quadratum; concaua enim eius pars nobis vicinior, sphæricam habet figuram, quia contigua est primo mobili, secundum vtramque partem, nempe conuexam, & concauam sphærico; cum inter qualitates, nulla sit nobilior lumine, totum luminatum erit illud cœlum, lucetque secundum omnes suas partes non minus quam sol; hinc appellatur Empireum, idest igneum, non, quod, ex ignea constet natura, sed quod luceat instar ignis.

Dicitur intellectuale, quia nullo sensu percipitur, sed solo intellectu capitur.

DOCVMENTVM II.

Cælum Empireum agit in hæc inferiora, non quidem per motum, sed tantum ex propria substantia, & ex innatis qualitatibus.

PRobatur à minori ad maius: agunt omnes cœli, qui sunt imperfectioris naturæ, & ordinis inferioris; ergo multò fortius agit cœlum empireũ, quod est nobilius, præstantius, & in ordine superioris naturæ. Idem docet inæqualis habitudo terrę, quæ deprehenditur ex varia productione rerum; experientia namque docet, in eodem climate, sub eodem meridiano, quædam gigni, & produci in vna parte terræ, quod in sibi vicina, & propinqua non generatur: hæc disparitas, ex terra prouenire non potest, quæ ex se nullam habet qualitatem propriam ad rerum disparium productionem, imò neque ad simplicem rei cuiuscumque generationem. Cœli enim sunt causa istius disparitatis, cum aspectus illorum sit omninò idem respectu earum partium; ergo hæc disparitas, est reducenda ad aliquod cœlum immobile, quod est Empireum; quod, cum semper immobile sit, immobiliter semper seruat eumdem aspectum diuersum, pro diuersis partibus suis, diuersa propterea generantur in terra.

DOCVMENTVM III.

Extra, & supra cælum Empireum non datur aliquod spatium, seù imaginarium, infinitæ, aut finitæ extensionis.

PRobatur hæc nostra assertio ex maximis angustijs, quas patiuntur authores illi, qui hoc imaginarium spatium esse voiunt: siquidem interrogat quid, nam illud sit, quæ, & qualis natura illius, obmutescunt. Interrogati, sit ne corpus quantum metamaticum, negant; quia si tale esset, suscipere aliud corpus non posset; cum tamen ipsi velint in ipso spatio Deum posse creare alium, vel alios mundos. Interogati, sit ne corpus physicum materia scilicet constans, & forma, aut ens aliud reale metaphysicum, negant; quia si tale esset, à Deo fuisset creatum; cum tamen extra hunc

mundum nihil ſit creatum. Interrogati, ſit ne ens rationis, negant, quia nobis etiam de eo non cogitantibus eſt ſuo modo, & in eo poteſt Deus quidquid voluerit creare. Adde Diui Bonauenturæ rationem. Qui dicunt eſſe aliquod ſpatium imaginarium, ponunt illud extra, aut eſt nihil, aut aliquid aliud? ſi nihil eſt, ergo Deum eſſe extra cœlum, eſt Deum eſſe in nihilo; & non eſt maxima laus Deo eſſe in nihilo, cum chimera, quæ nihil eſt, in nihilo ſit: ergo cum Deo extra cœlum eſt, optima ſanè ſocietas. Si eſt aliquid, aut eſt increatum, aut creatum; dici non poteſt creatum, vt etiam aduerſæ ſententiæ authores fatentur, ergo eſt increatum; at qui præter Deum, nihil eſt increatum; ergo cum Deus dicitur eſſe extra cœlum, dicitur Deus eſſe in ſemetipſo, ac proinde reijciendum omninò eſt imaginarium illud ſpatium.

De primo mobili.

Illius cœli naturam, & proprietates inueſtigamus; quod appellatur primum mobile, eo quod primum locum inter cœlos contineat, ſi à ſublunaribus partibus ad terram deſcendentes, cœlos numeremus, & ex eo quod vicinus ſit empireo cęlo immobili, & ex eo quod omnes cœli alij, ab iſto diurnum accipiunt motum; ab illis appellatur decimum cœlum (qui decem cœlos,& non plures mobiles eſſe volunt;) qui autem augent, vel minuunt cœlorum numerum, ei varia imponunt nomina. Hinc conſtat quare ab aliquibus ſecundum cœlum, ab alijs decimum, ab alijs nonum, ab alijs octauum appelletur. De iſto ſit.

DOCVMENTVM I.

Primum mobile eſt in cœlum, quod rapidiſſimo,& æquabili motu ab ortu in occaſum infra viginti quatuor horas, ſuper polos mundi mouetur, circumducens omnes alios cœlos.

Non eſt hæc quidditatiua, & eſſentialis definitio,ſed talis tamen deſcriptio, vt verum contineat genus, & loco propriæ differentiæ nobis incognitæ, varias proprietates quæ ita primo mobili conueniunt, vt nulli alteri cœlo conuenire poſſint.

Cœlum

Cœlum est genus in hac descriptione ; motus rapidissimus, & æquabilis, prima proprietas. Rapiditas primi mobilis deprehensa est ab Astrologis, & ostensa ex illius aptitudine, & extensione, quo enim illud Cœlum maius erit, eo quoque velocior erit motus. Magnitudo, sui extensio primi mobilis, colligitur ex distantia illius à terra, quæ distantia cum sit semidiametrer illius Cœli, superaddita alia semidiatio, habebitur integra diametrex, quæ si triplicatur, & addatur septima illius pars, iste numerus facit totum ambitum primi mobilis, si credimus Piccolomineo lib.4. cap.15. suæ sphæræ, vbi distantiam primi mobilis à terra per milliaria italica explicat, erit distantia terræ à primo mobili tanta, vt contineat ducenta vnum millena millia, quingenta triginta septem millia. Aequalitas primi mobilis motus ex eo maximè prouenit; quod nullo alio motu moueatur, quam diurno, & à Cœlis inferioribus nullo pacto retardetur, monetur ab ortu in occasum à sua propria Intelligentia; alij verò Cœli, etsi, hoc ipso motu moueantur, non tamen à propria Intelligentia, sed raptu primi mobilis; vnde dicuntur circumagi, & moueri, & circumdari ab illo. Mouetur super polos mundi primum mobile: polos appellant Astrologi illa duo puncta extrema supra quæ Cœlum mouetur, idque desumptum à verbo verto, vnde & vertius, & cardines Cœli dicuntur. Non sine causa poli super quos mouetur primum mobile, dicuntur poli mundi, sed ad distinctionem polorum, qui in alijs Cœlis, sunt omninò ab illis diuersi. Duo sunt poli primi mobilis, quorum ille, qui capitibus nostris superemimet, appellatur septemtrionalis à septem illis stellis, ex quibus conficitur vrsa minor, quæ sunt viciniores polo mundi, quam quæcumque aliæ stelle existentes in cælo stellifero. Dicitur etiam borealis à vento, qui ex illis partibus ad nos venit. Dicitur, & polus arcticus, ìdest vrsinus, quia latinè est vrsa. Alter verò polus nobis occultus, sub nostro Horizonte latinè appellatur antarcticus, quasi contra arcticum positus. Dicitur australis, & meridionalis, quia terminat australem, & meridionalem cœli partem, cum nulla sit stella in primo mobili & totum cœlum ita effugiat

giat nostros assensus, vt nulla illius pars aliquo sensu percipi queat.

Quæret aliquis quomodo diuinare potuerint Astrologi, quanam in parte cœli sunt hi duo poli; sed facilis est responsio: Notarunt Astrologi, bis in anno fieri æquinoctium, quæ fieri non possunt, nisi sole occupante mediam cœli partem, mutato isto loco in quo medietas est, pedetentim recedentes ab eo, mente, cogitatione, & oculis corporis peruenerunt facillimi ad illa duo puncta in extremis partibus cœli posita, & quæ, quam maximè ab æquatore, sui dimidia parte cœli distant, & hæc esse polos, non dubitarunt. Eadem via, & nos nostrum polum deprehendimus; cui viæ, & hanc adde, sereno cœlo nocturno tempore lucentibus, & radiantibus stellis, dexteram manum verte ad Orientem, sinistram versus Occidentem, tunc erit facies tua si tantillum eleuetur in ea positione, vt oculi tui ad polum dirigantur, & præcisè punctum illud notes, & vnum polum mundi, nota circulum, quem per totam noctem describet vltima stella, quæ est in cauda vrsæ minoris, nam centrum illius circuli verè polus est.

De Cælo Cristallino.

PRætermittimus illud cœlum, quod aliqui ex recentioribus Astrologis ponunt inter primum mobile, & Cristallinum. Prætermittimus autem, tum quia non est adhuc plenè cognitum, & ab omnibus receptum; tum quia authores, qui illud admittunt, affirmant illud esse eiusdem naturæ cum Cristallino; ac proinde, quæ de cœlo Cristallino dicemus, de altero quoque dicta accipiantur.

DOCVMENTVM I.

Cælum Cristallinum quod & aqueum appellatur, vtrumque nomen sortitur per metaphoram, sui translationem.

COacti fuerunt Astrologi, dare preter primũ mobile, aliud cœlum superius firmamento, propter triplicem motum firmamenti: cumque cogerentur nomen non cœlo imponere, occurrerunt Theologi, qui illud, cristallinum, seu

ſeu aquaneum appellandum eſſe cenſuerunt: quia in ſacra legerant pagina eſſe aquas ſuperiores firmamento, quæ, cum naturales ſeu elementares eſſe non poſſint, indicant aquarum nomine, intelligendum eſſe aliquod cœlum aqueæ, & criſtallinæ naturæ; quemadmodum cœlum Empireum, tale eſt ſortitum nomen ab ignea luciditate, ita criſtallinum, hoc eſt adeptum nomen ab aqua, ſeu criſtallina diaphaneitate, atque frigiditate, eſt enim transparens ſicut aqua, & criſtallum, continetque frigiditatem virtualiter, quam aqua, & criſtallum habent formaliter.

DOCVMENTVM II.

Criſtallinum cælum omnes habet circulos atque polos eodem prorſus ordine, eademque diſpoſitione, quam in primo mobili deprehendimus.

IN medio iſtius cœli, æquator eſt, & ſeruata proportione iam antea notata, in eo reliqui circuli ſunt; ita tamen, vt circuli iſtius cœli nequaquam directè ſupponantur circulis primi mobilis. Ratio eſt, quia huius cœli poli diſtant à polis primi mobilis, ſeu mundi viginti tribus gradibus cum dimidio, quæ diſtantia facit, vt circuli eodem prorſus modo diſtent à circulis primi mobilis. Mouetur illud Cœlum motu diurno raptum à primo mobili, ſed habet quoque obliquum motum, quem abſoluit quadraginta nouem annorum millium ſpatio.

De Firmamento.

OCtaua ſphæra plus ceteris conſpicua radiantibus, & fulgentibus ſtellis dum ſuo fulgore noſtros allicit oculos, illoſque ſuauiſſima oblectatione replet, noſtrum quoque allicit intellectum, vt mente, cogitatione, inueſtigatione percurramus omnes, & ſingulas eius partes, atque proprietates, quæ plura expoſcunt documenta. In præſenti de illius ſubſtantia, & motu dumtaxàt agimus.

DOCVMENTVM I.

Naturam firmamenti, ſeù ſtelliferi cæli, ipſum firmamenti nomen indicat.

FIrmamentum, eſt appellatum hoc cœlum ab antiquio-

quioribus Astrologis, quod illi putarent illud esse primum mobile, ac proinde primum cœlum cuius ambitu firmarentur omnes alij cœli, nec non omnia, quæ cœlorum ambitu continentur; firmamentum insuper appellatur, quia habet aliquas sui partes magis firmatas, & compactas, estque primum cœlum quod numerando à primo mobili recipit distinctionem partium. Siquidem primum mobile, & cristallinum non habent aliquas partes solidiores alijs, imò omnes partes sunt eiusdem crassitiei, & soliditatis, quæ proprietas in alijs cœlis inferioribus non reperitur, & primum cœlum hanc distinctionem admittens, habensque aliquas partes magis compactas, & firmatas est illud firmamentum. Appellatur insuper firmamentum, quod stellas fixas, & situ firmatas obtineat, quæ stellę etsi ad motũ cœli moueantur, ideo tamen fixæ sunt, & appellantur; quia eamdem inter se firmam habent distantiam. Itaque definitionis loco est nobis hæc dictio firmamentum dicitur stelliferum cœlum ab offiicio, quod stellas ferat.

DOCVMENTVM II.

Habet hoc cœlum omnes circulos, suosque polos similes circulis, & polis cristallini cœli.

SVnt in stellifero cœlo circuli dispositi secundum pręscriptas regulas in communi. Abundat ipsum cœlum polis, quia triplici motu vehetur, siquidem motus diurnus expostulat in firmamento suos polos correspondentes polis primi mobilis. Motus obliquus, quo suum absoluit cursum spatio 36000. annorum expostulat alios polos, qui dicuntur poli Zodiaci, distantque ab alijs polis viginti tribus gradibus cum dimidio. Motus trepidationis seù accessus, atque recessus, quo istud cœlum, nunc ad australem partem, nunc ad septemtrionalem accedit, titubando, & ab vtraque parte recedit, alios expostulat polos, quos Astrologi esse dicunt in proprio Arietis, atque Libræ.

De Stellis existentibus in Firmamento.

MIrantur oculi nostri inter omnes prætiosos lapides,

ada-

adamantem, ratione suæ soliditatis, & luciditatis: mirabuntur magis ijdem oculi gemmas in cœlo stellifero lucentes, si eas sciuerint esse maximè solidas. De his gemmis, nempè stellis, earumque quibusdam accidentibus sit.

DOCVMENTVM I.

Stellæ omnes fixæ in cælo stellifero sunt.

Nihilque aliud sunt, quam partes densiores illius cœli, aduentitio solis homine lucentes, ita vt luce sua nunquam priuentur, dentis septem Planetis omnes aliæ stellæ sunt in firmamento, vt colligitur earum motu, & ex æquabili distantia, quam inter se perpetuò seruant. Obseruatione perpetua notarunt Astrologi stellas omnes fixas triplici motu moueri, quemadmodum, & firmamentum triplici agitatur motu. Hæc identitas motuum ostendit omnes illas stellas in eodem esse cœlo, sicut è contrario, ex vario motu Planetarum colligimus eos esse in varijs cœlis; eamdem distantiam, quam à primo habuerunt stellæ fixæ à se inuicem, retinent vsque ad præsens tempus: hæc constans, & firma distantia ostendit illas esse in eodem cœlo, sicut è contrario inæqualitas distantiæ Planetarum ostendit Planetas in diuersis esse cœlis. Stellas esse partes densiores sui orbis lucentes ex lumine solis, ita explicamus: stella est ens per accidens, habens pro materia partem aliquam densam, & solidam, & pro forma lumen solis, quod receptum in parte densiori, cohibetur, & retinetur. Hoc enim proprium est corporis densi, solidi, terminati vt non patiatur transitum luminis, sed prohibeat vltra trasire, vnde fit lucidum. Res exemplo patebit: si quis speculum præ manibus gerens labefactatum in aliqua parte, illud opponat radijs solaribus pars labefacta-ta, quia est diaphana præbebit transitum radijs solaribus, ac proinde nō repræsentabit splendorem solis, nec lucebit: pars vero integra quia opaca est, & densa, ratione corporis opaci vitro coniuncti, solarem splędorem retinebit, & instar solis lucida erit. Simili modo fit in cœlis, nam partes subtiliores non retinent lumen solis aduenientes, hinc non lucent, sed densiores, propter suam soli-

ditatem, & opacitatem retinent superueniens solis lumen, vnde & lucent. Hinc collige omnes stellas solis lumine lucere, quod probat Aristoteles, alijq; Astrologi ex luna, quam ex se nullum habere lumen, sed totum mendicare à sole, eclipsis docet; nam si luna proprio lumine luceret non priuaretur illo, dum eclipsim patitur, accipe tale argumentum: omnes stellæ tam errantes, quam fixæ eiusdem sunt naturæ: sed luna propria luce non lucet, sed totam suam lucem à sole mutatur; ergo idē faciunt omnes stellæ. Hoc habent priuilegium stellæ vt non solum nocte luceant, sed etiam in die. Quod si quis quærat, quare à nobis non videantur in meridie, imo nec in aurora. Responde hoc non prouenire ex defectu stellarum, quasi illæ non luceant, sed à maiori solis lumine impedire minus stellarum lumen, ne à nostro oculo sentiatur, vt videre est cū quis in meridie accensam candelam affert, vbi radij solares perpendiculariter lucent.

DOCVMENTVM II.

Stellæ omnes firmamenti scintillant, suntque globosæ, & sphericæ figuræ.

CErtissimum est stellas non scintillare, qemadmodum nec Planetæ scintillant, sed videntur tantum nobis scintillare stellæ fixæ multiplici ratione. Prima: Distantia est causa scintillantis, quæ cum sit maxima in firmamento non est mirum si multum scintillare videantur stellæ. Secunda est rapiditas, seù velocitas motus illarum stellarum, cum etiam radiantibus solis radijs tremulus aer appareat. Tertia interpositi vapores, & medij inter stellas & nos, eas reddunt quasi scintillantes: quemadmodum turris quadrata propter interiectum aerem, & interiectos vapores rotunda apparet, & baculus integer in aqua positus apparet oculis fractus. Admitto nullam harum rationem ex se sufficere, sed requiri plures ex illis vt stella scintillet. Ex quo fit vt concurrentibus ex illis quibusdam aliqui Planetæ nonumquā scintillare videantur. Figuræ rotundæ seu sphericæ esse stellas,

las, colligũnt Aſtrologi ex duobus, quorum primum eſt iudicium viſus: nam non eſt, qui ſi cœlum aſpiciat, non videat omnes ſtellas, tam fixas, quam errantes eſſe globoſas. Secundum eſt, Lunæ exemplum; nam Lunam eſſe globoſam, & ſphæricam perſpicuè conſtat ex ſua eclipſi, nec non ex modo ſui augumenti, atque decrementi; ſunt autem aliæ ſtellæ eiuſdem naturæ cum Luna: ergo ſunt eiuſdem figuræ cum illa. Magnitudinem ſtellarum eſſe diuerſam docent Aſtrologi, qui ſtellas diuiſerunt in ſex claſſes. In quarum prima ponunt illas ſtellas, quæ alias ſuperant magnitudine. Vnde dicuntur ſtellæ primæ magnitudinis. In ſecunda claſſe ponũtur omnes illæ ſtellæ, quæ ſunt minores præcedẽtibus, ſunt tamen ſubſequentibus maiores, & ita conſequenter in alijs claſſibus; ita vt in ſexta claſſe reponantur omnium minimæ, quæ dicuntur eſſe ſextæ magnitudinis, quæ quamuis minimæ ſint, tamen quælibet earum eſt viceſies maior terra. Hinc collige quantæ debeat eſſe magnitudinis ſtella quælibet primę magnitudinis.

DOCVMENTVM III.

Omnes Stellæ in firmamento exiſtentes aſpectu, & effectu notabiles ſunt tantum mille viginti duæ, quas Aſtrologi ſummo artificio redegerunt ad viginti octo imagines.

Veraces eſſe Aſtrologos in numerandis Stellis reperiet quicumque experimentum faciet, non plures in cœlo videri ſtellas, quam notantur in globo cœleſti; imò multò plures in globo cœleſti reperientur, quam notari poſſint in cœlo, ſi turbidus aliquantis per fuerit aer, aut ſi aliquis in oculo defectus. Scio tamen ex ſacra pagina, tum ex patribus multum ſibi perſuadere infinitum eſſe numerum ſtellarum. His reſpondemus admittere nos cum cęteris Aſtrologis aliquas ſtellas eſſe in cœlo, nullo Aſtrologo viſas, ratione ſuæ paruitatis, & exiguitatis, quarum numerum maximum, & infinitum quaſi concedimus; ita tamen vt vera ſit Aſtrologorum ſententia, quia dumtaxat illi, illas enumerarunt ſtellas, quæ ſub ſenſum noſtrum cadunt; & ſunt aſpectu notabi-

 les.

les. Obijciet aliquis sereno cœlo apparere aliquas stellas aspectu notabiles, & tamen in globo cœlesti non sunt. Respondemus non esse veras stellas, sed tantum apparentes: apparere autem, cum duæ stellæ in debita distantia dispositæ, ad se inuicem suos transfundũt radios, qui radij, vbi coniunguntur, præseferunt stellam, quam veram stellam non esse, experientia docet, nam ad breue tempus conspicitur. Ad imagines viginti octo reducuntur omnes illæ stellæ, vt hoc pacto diuisæ, & ad certum ordinem dispositæ, melius notentur. Vocant Astrologi imaginem constillationem, congregationem aliquarum stellarum, quæ à figura, quam oculis obijciunt sua sortiuntur nomina.

DOCVMENTVM IV.

Stellæ in firmamento existentes habent longitudinem, latitudinem, & declinationem.

IN longitudine definienda, discrepant recentiores Astrologi ab antiquioribus, siquidem antiquiores longitudinem stellarum dicebant esse distantiam earum à primo gradu Arietis primi mobilis; recentiores verò maluerunt longitudinem stellarum esse distantiam earum ab illa stella, quæ est in cornu dextero Arietis eiusdem firmamenti. Prudentiores hac in re sunt recentiores antiquioribus: quia firmamentum obliquo suo motu recedit, à situ, & positione primi mobilis, & cum centesimo quolibet anno recedat per vnum gradum, necessum quoque est stellas fieri longiores, idest magis distare à primo gradu Arietis primi mobilis per annuum quoque gradu, & ita singulis sphæræ annis variabitur longitudo stellarum, quæ inuariata manet, & semper eadem, si sumatur à stella prima Arieti firmamenti. Latitudo stellæ est recessus, seu distantia illius à linea ecliptica; & quo fit vt illæ stellæ, quæ in ecliptica recedunt versus vtrumque polum tantum dicuntur habere latitudinem, quot gradibus distant ab ecliptica. Declinatio est distantia stellæ alicuius ab æquatore versus vtrumque polum. Imagines, constillationes omnium stellarum firmamenti, earumque longitudines, latitudines, declinationes, & magnitudines, qui volet, consulat clauium com: in sphæram de

sacro-

sacrobosco, vbi tabulam reperiet hæc omnia continentem.

De Stellis, signis, & imaginibus Zodiaci.

NVlla est in cœlo firmamenti stella quamtumuis parua, cuius non sint multiplius effectus, sicut sicut sunt aspectu, sic etiam effectu notabiles. Ad ũitandam nihilominus prolixitatem, eas tantum contemplamur, ex quibus Zodiaci signa componuntur, quia scilicet sub ipsum gradiuntur. Planetæ omnes plurium effectuum sunt causæ. De illis idcirco agamus.

DOCVMENTVM I.

Firmamentum habet Zodiacum sex signis naturalibus, seu physicis, & duodecim signis absolutè nuncupatis, illustrem, & conspicuam rutilãtibus, & fulgentibus stellis.

NIhil ferè noui videtur hæc nostra propositio: ziam enim alias dictum est, quemlibet Zodiacum diuidi in sex signa physica & naturalia, quæ absolutè signa dicuntur. De prima diuisione nihil in præsentiarum dicemus: sed à nobis quærendæ sunt rationes, quare Zodiacus distinguatur duodecim signis, idest quare diuidatur in duodecim signa, quorum quodlibet in sua extensione gradus triginta habeat. Sit hæc ratio prima. Notarunt peritissimi Astrologi, Solem, Lunam, aliosque planetas cum gradiuntur sub Zodiaco subire quasdam proprietates quolibet gradu trigesimo, paulò curiosius speculantes sidera, & stellas deprehenderunt intra triginta gradus integram constellationem imaginem, seu figuram, ex quo necessarium fuit tam ex parte stellarum, quam ex parte Planetarum in duodecim signa diuidere Zodiacum. Secunda ratio desumitur ex totius vniuersi armoniæ, quæ in hoc consistit, vt vltima primis, & prima vltimis correspondeãt. Prima sunt cœlestia corpora, cœlestes circuli, & inter eos plus reliquis Zodiacus. Vltimæ sunt res omnes sublunares, & inter eas elementa, vt verè dicere possimus, elementa esse res materiales, seu omnium rerum materiam, Zodiacum verò esse causam effectricem. Inter has duas causas hæc est conuenientia vt sint quatuor elementa

quæ tribus deseruiunt, generationi, conseruationi, corruptioni, quæ tria appellantur, principium, medium,& finis. Quod si quaternarium elementorum multiplicaueris per tria quæ ab illis manant, vel illa tria multiplicaueris per quatuor reperies duodenarium. Simili modo in Zodiaco reperies quatuor puncta, quæ cardinalia dicuntur, quorũduo faciunt æquinochia, alia duo faciunt solstitia, & hæc quatuor elementis correspõdēt; inter autem duo puncta, tria continentur signa, quæ triplici effectui elementorum correspõdent. Horum quatuor punctorum per ternarium signorum, & ternarij signorum per quaternarium punctorum cardinalium multiplicatio, duodenarium absoluit.

DOCVMENTVM II.

Explicant nomina duodecim signis imposita, eorum figuræ, & proprietates.

QVantum ad figuram spectat, admitto in stellis Zodiaci nullam prorsus esse figuram, nec re vera illius esse figuræ, quali describitur in globo cœlesti; attamen negari non potest quia ratione ordinis, quem inter se eiusdem signi stellæ seruant,& propter maximam distantiam firmamenti à nobis, talem videātur habere figuram, qualem habent in globo cęlesti, vt videre est in primo signo cui nomen Aries, cuius stellæ Arietis figuram præseferunt: hinc duo habet cornua, & in extremitate cornu dexteri posita est illa stella,ex qua incipit aliarum stellarum longitudo. De alijs signis idem sit iudicium. Quantum ad proprietates, quæ nomina dederunt signis Zodiaci, illæ sunt innumeræ, & mirabiles ex quibus eas dumtaxat seligemus, quæ ad vniuersi statum spectant. Plures esse rationes, atque proprietates ob quas oportuit talia nomina imponere signis, satis sit ostendere in Ariete. Aries appellatur primum signum Zodiaci, quia vt Aries animal est calidæ, & siccæ naturæ, ita sol inArietis ingressu incipit expellere humiditatem, & frigiditatem hiemalem, & indûcere caliditatem, & siccitatem vernam. Adde agnum diuidi in tot ætates, in quot diuiditur hominis ætas, & quia hominis ætas prima, est iuuentus seù iuuenilis, ita sol videtur iuuenescere in Arietis ingressu, quo tem-

tempore agni nascuntur, quorum pater Aries est. Adde, eam esse vim signis Arietis, vt qui nascuntur homines sub eo in corporis figura aliquo pacto Arietem repræsentent; vnde, & malcata fronte, & capillatum, imò quasi duo cornua in fronte apparent, & in moribus mores Arietinos præseferunt, vnde & primi vbique esse volunt, quasi gregis duces, & arietino more capite colluctantur. Alias missas facio rationes, vt dicam secundum signum appellari Taurum, quia quemadmodum Taurus est corporea mole, & viribus maior quam sit Aries ita sol in Tauro existens, valentior, & calidior est. Tertium signum appellatur Gemini, quia geminatur, & ad duplum calidior est sol in Geminis existens, quam fuerit in Tauro. Quartum signum appellatur Cancer. quia quemadmodum Cancer non directè graditur, sed per retrograditionem, ita sol in Cancro existens, vltra non progreditur, sed retrocedendo redit ad æquatorem à tropico Cancri. Quintum signum appellatur Leo, quia sicut Leo animal est calidissimæ, & siccissimæ naturæ, & apertis oculis, atque terribilis dormit, ita sol in Leone existens, intensissimam caliditatem, & siccitatem in his sublunaribus producit, & quasi toruis oculis terrorem incutit mundo, vel quia homines eo tempòre collationi messis immorantes, nihil ferè dormiunt. Sextum signum Virgo est, quod hoc nomen habet, quia sicut virgo sterilis est, ita toto eo tempore, quo sol in Virgine signo est sterilis terra appareat, nullumque nouum fructuum adducat. Septimum signum Libra appellatur, quia sicut mercatoris æquabilitatem seruant, & æquilibrium in rebus quas vendunt libra, & pondere, ita sol in signo Libra existens in hominibus diuendat noctem, & diem in æquilibrio, & æqualitate; sunt enim tunc noctes æbuales dici. Octauum signum dicitur Scorpius, quia quemadmodum Scorpius animal capite blanditur, cauda mordes, ita dum sol Scorpium signum agreditur, blandiri hominibus videtur, & temperatum tempus pollicetur, sed à medio illius signi ad finem vsque intendat minus, humiditatem, & frigiditatem, quas odio habere qualitates humanas, incipit imitari. Nonum signum appellatur sagittarius, quia quemadmodum homo sagittarius arcu sagittas

gittas emittit, ita sol in sagittario signo existens, glacies, niues, aliaque id genus instrumenta figuris, aut effectus producit. Decimum signum appellatur caper, seù capricornus, tum quia sicut caper est animal erecto incedens capite, arbores, montesque conscendas, ita sol dum ingreditur signum capricorni, quasi erigitur, dum tunc incipit ad nos redire ex tropico capricorni: tum quia sicut caper animal est naturæ malenconicum, ita sole in Capricorno signo existente, tempus malenconicum efficitur. Vndecimum signum appellatur Aquarius, quia tunc incipit pluere cum in eo sol extiterit. Duodecimum appellatur Pisces, quia tunc cum in eo sol est, tanta est plerique copia, vt sit terra instar maris, seù fluuij, homines verò sunt similes piscibus.

DOCVMENTVM III.

Esse in signo aliquo dicitur aliquid quatuor modis.

PRimus modus est cum aliquid est sub Ecliptica. Quamuis in ea parte Eclipticæ sub qua illud est nullum sit signum, quod plerumque accidit soli, quia semper sub ecliptica linea graditur, semper dicitur esse in aliquo signo. Iste modus essendi in conuenit aliquando Planetis, quia cum erraticæ stellæ sint aliquando sub ecliptica linea sunt. Secundus modus essendi in conuenit præcipuè Planetis, qui quia numquam sunt extra latitudinem Zodiaci, sunt perpetuo sub aliquo signo. Tertius modus conuenit omnibus stellis firmamenti, exceptis illis ex quibus componitur Zodiacus: siquidem omnes stellæ illæ quæ sunt à latere alicuius signi, siuè in parte australi, siuè boreali, dicuntur esse in illo signo. Quartus modus essendi in aliquo signo conuenit rebus sublunaribus, quæ aut directè supponuntur alicui signo Zodiaci, vel si à latere fuerint reduci tamen debent ad aliquod signum, sicut reducuntur stellæ.

***

DO-

DOCVMENTVM IV.

Signa Zodiaci appellantur domus, detrimenta, exaltationes, & casus Planetarum propter simpatiam, quæ inter aliqua signa, & Planetas reperitur.

EA signa dicuntur domus eorum Planetarum, quia, cum in eis Planeta fuerit, valentius suas exerit vires propter antipatiam, quæ inter aliqua signa, & aliquos Planetas reperitur. Quædam signa dicuntur detrimenta Planetarum, quia, cum Planeta in illis signis fuerit, impeditur ne suam exequatur vim; ac proinde est hæc regula generalis. Quotiescumque aliquod signum est domus vnius Planetæ, signum sibi è diametro oppositum, appellatur illius Planetæ detrimentum. Est insuper notandum solem vnicũ habere signum pro domo sua, & Luna similiter habet suum signum; alij verò Planetæ ditiores sunt, cum Planeta quilibet duas habeat domus, duo videlicet signa pro domibus, ita tamen vt prima domus mobilior sit secunda. Dicuntur signa exaltationes Planetarum, quia in illis aliquid facit Planeta, quod in aliijs non faceret, ac proinde signum oppositum illi signo quod est exaltatio, appellatur illius Planetæ casus.

De Ortu, occasu signorum Zodiaci, aliarumque stellarum.

NVllas inducias petunt stellæ vt ab actione quiescant, tantaque est earum virtus, & actio, vt non solum præsentes, sed etiam absentes agant in hæc inferiora; fateri nihilominus cogimur, maiorem esse vim præsentis, quam absentis: fiunt autem præsentes, dum nobis oriuntur, fiunt absentes, dum in occasum vrgunt. Hinc de ortu, & occasu stellarum, hæc accipe documenta.



DOCVMENTVM I.

Ita ortus, & occasus stellis conuenit, vt inde aliqua dicuntur perpetuæ apparitionis, aliæ perpetuæ occultationis, aliæ verò ortus, & occasus participes, nunc apparent, postea occultantur.

PRæmittenda est ortus, & occasus definitio, signi, Stellæ, Planetæ ortus est illis ascentio ab altero hemispherio ad nostrum hemispherium, seù apparitio supra nostrum Horizontem. Occasus est descentio, atque depressio, cum nostrum deserit hemispherium, & sub Horizonte latitat. Est adhibenda altera definitio propter Poetas, qua dicemus ortum esse manifestationem stellæ occultatæ pre nimio solis splendore, & occasum esse occultationem stellæ ex splendore solis. His præmissis, dicimus eos, qui sub æquatore habitant, suntque in sphæra recta videre omnes stellas orientes, & occidentes. Habitantes sub polo arctico, quibus æquator est pro Horizonte, nullum prorsus sentiunt ortum vel occasum stellarum: nam omnes stellæ, quæ à polo arctico sunt vsque ad æquatorem, ita semper sunt conspicuæ, vt numquam Horizontem transeant, aliæ verò stellæ, quæ sunt ab æquatore vsque ad polum antarcticum, numquam videntur ab hominibus habitantibus sub polo arctico, ac proinde nullæ stellæ oriuntur illis, nullæ occidunt. Alij homines qui in sphæra obliqua habitant secundum eleuationem vnicam poli, vnicas habent stellas orientes, & occidentes, nam stellæ quæ sunt à polo vsque ad gradum eleuationis, sunt perpetuæ apparitionis, & illis numquam oriuntur, numquam occidunt. Aliæ stellæ, quæ sunt sub alio polo depræsso vsque ad gradum depressionis, numquam sunt illis conspicuæ, sed sunt sempiternæ occultationis, numquam oriuntur, numquam occidunt: omnes verò aliæ stellæ, quæ sunt Infra designatos gradus, infra viginti quatuor horas, & oriuntur, & occidunt.

DOCVMENTVM II.

Ortus est duplex, sicut & occasus, nempè poeticus, & astro. logicus.

SVbdiuiditur poeticus in Cosmierum, Chromicum, & Hestiacum. Subdiuiditur astrologicus in rectum, & obliquum; differunt Poetæ, & Astrologi in explicando ortu, & occasu stellæ, nam apud Poetam, ortus stellæ est apparitio illius, designando quo tempore apparet, videlicet, quo anni mense, quo mensis die, qua dici hora, & occasus est depressio eiusdem stellæ prædictas differentias temporis connotando. Apud Astrologum, ortus stellę est apparitio illius, & ascentio ad nostrum hemisphериum. connotando quantum temporis impendit sibi cœleste, à quo incipit nobis apparere donec appareat totum; siquidem quodlibet Zodiaci, ex varijs stellis compactum, triginta habet gradus, ac proinde non potest totum simul oriri, sicut nec totum simul occultari, proinde indiget tempore. Idem dicendum est de aliis imaginibus cœli, imò de Sole, & Luna. Explicemus varias species poetici ortus, & occasus. Illæ stellæ crosmicæ oriuntur, quæ cum Sole oriuntur: Chrosmicæ oriuntur, quæ per totam noctem ab occasu solis vsque ad illius ortum oriuntur; Heliacæ oriuntur stellæ, ex quibus sol recedit, & ex vnius recessu non prohibentur videri à Solis splendore; ergo illæ stellæ à quibus sol est, dicuntur esse in occasu heliaco, quia videri non possunt prohibente solis splendore. Explicemus Astrologici ortus, & occasus duas species, ortum videlicet rectum, & obliquum. Intelligi non possunt hæ duæ specis, nisi prius supponatur ortum Astrologium esse portionem æquatoris ascendentem cum signo & stella, siquidem Astrologi aduertentes inæqualitatem, ortum, & occasum stellarum recurrunt ad æquatorem directè semper ascendentem, & occidentem. *Hinc* fit vt illud signum apud Astrologos dicatur ascendere rectè, cum plures gradus æquatoris, quam Zodiaci ascendant in ortu illius signi: illud verò signum obliquè oritur, in cuius ortu pauciores sunt gradus æquatoris ascendentis, quam Zodiaci.

DOCVMENTVM III.

Possent Stellæ firmamenti quadruplici via deprahendi, & cognosci, vt illas in cælo videntes nomina illarum sciant.

PRima via est docti, & eruditi magistri ostentio, & manifestatio; nam, qui stellas cognoscit in cœlo, illas potest alium docere, & monstrare digito. Secunda via est in illis libris, qui seruato ordine, seruatis quoque longitudine, latitudine, & declinatione stellarum, ita illas demonstrant, vt, sine alio magistro loquente, quæ in illis libris stellæ videntur, in cœlo quoque videantur. Tertia via est mediante globo Cœlesti vnius polus si eleuetur secundum eleuationem poli cœlestis respectu illius loci, in quo fuerimus: sereno cœlo oculos dirigentes in polum, deprehendimus ex globo stellas viciniores polo, & per illas manifestabuntur reliquæ omnes. Quarta via est Galaxia, seu lacteus circulus, qui cum totum ambiat cœlum multas tangit stellas, & stellarum imagines vt videre est in globo cœlesti: in quo si quis deprehenderit cassiopticam, manu duceretur ab ipsamet Glaxia ad alia signa, aliasque imagines per quas transit Glaxia, idem seruatur in cœlo, quod in globo cœlesti, & cum oculis sit visibilis Glaxia, se ipsam prodet: proinde illa manifestabit signa, quæ illius ambitu continentur. His autem cognitis nullo negotio manifestabuntur alia, quia multum ab illis distant.

De Glaxia, seu lactee circulo.

PRætermitti à nobis non debet inquisitio illius splendoris, seu fulgoris, qui in firmamento videtur appellaturque à candore, & albore Galaxia, Via Lactea, circulus Lacteus, nam præter stellas firmamenti, ita lucet circulus lacteus, vt Astrologum inuitet ad sui inquisitionem.

DOCVMENTVM I.

Circulus lacteus est vnicus in solo firmamento existens.

ARistoteli non subscribimus dicenti in libris metheorologicis, Galaxiam esse in aere, confiareque exhalatione, in

in qua recepti radij solares, splendorem, & candorem efficiunt. Nec subscribimus eorum sententiæ qui duas faciunt Galaxias, vnam quidem in aere, alteram verò in firmamento; fieri namque potest, vt præter eam, quæ in firmamento est, sit alia in aere ex vapore, seu exhalatione: vt hæ probabunt rationes. Prima: Quæ in aere generantur, non deprehenduntur esse in eodem loco omni tempore, & ab hominibus in diuersis mundi partibus existentibus videri, vt videre est in cometis, qui quia in suprema aeris regione generantur, in ea quæ permanent iudicantur à diuersis varium habere situm, variamque positionem, sed Galaxia in eodem loco visitur; nec vnquam suam mouet sedem; vnde colligimus esse in firmamento Galaxiam, sicut concludimus stellas fixas omnes in eodem cœlo, quia immobiliter sunt in eadem cœli parte. Secunda ratio. Metheora, quæ in aer generantur non sunt semper eiusdem quantitatis, exigua namque sunt cum generantur, pedetemtim augentur post augumentum, pedetemtim minuuntur, tuncque aut pereunt omnino, aut incrementum nouum suscipiunt; sed Galaxia eamdem semper seruat magnitudinem, nec augumentum, nec decretum suscipit; ergo in aere non est, aut corpus metheorologicum. Tertia ratio, nunquam deprehensi sunt circuli lactei duo, deinde sed vnus tantum videtur diuisus quidem in duas partes, quæ tamen tandem coeunt in vnum, ac proinde vnicus est lacteus circulus in firmamento simillimus fonti, quia quasi in duo flumina diuiditur, vt tum in globo cælesti, quam in ipso cœlo videre est.

DOCVMENTVM II.

Est Galaxia, vel congeries minimarum stellarum, vel pars firmamenti mediocris densitatis, quæ suscipiens radios solares, illosque aliquo pacto retinens, albescit lucet, splendet.

Placuit Democrito Philosopho Galaxiam nihil aliud esse, quam multitudinem minimarum stellarum, quæ ratio est suæ paruitatis; & quia vicinæ sunt ad se inuicem, & à nobis

bis maximè distant, non possunt diuisim ad nos transmittere lumen, sed collectim: hinc solum à nobis conspicitur splendor, resultans ex partialibus splendoribus earum stellarum. Mihi valde probatur hæc Democriti sententia, nequè satis mihi impugnare videntur, qui illam hoc argumento exagitant: si (inquiunt illi), plures stellæ concurrent, & ex earum concursu fieret circulus lacteus, aliqua illarum stellarum visa fuisset, & notata ab Astrologis, & in globo cælesti posita non minus quam stellæ nebulosæ: sed nullus Astrologorum illam ex illis stellis vidit, notauit, in globo cælesti reposuit: ergo non sunt concedendæ huiusmodi stellæ. Respondemus negando consequentiam in maiore propositione inclusam; videri namque possunt stellæ nebulosæ, quia à se inuicem maximè distant, quæ si viciniores forent, non viderentur, earum namque lumina, ita miscerentur, vt distingui, & secerni stellæ non possent, idquod euenit stellis ex quibus Galaxia conflatur: hæ enim quia sibi inuicem propinquę sunt, miscentur earum lumina, ita vt distincta ad nos venire non possint; quæ tamen si à se inuicem elongarentur, non minus perciperentur quam stellæ nebulosæ. Eiusdem probabilitatis est illa sententia, quæ Galaxiam vult esse, non quidem stellarum congeriem, sed densitatem mediocrem in tota illa cœli parte, quæ Galaxia appellatur; siquidem pars illa non est tantæ densitatis, quantam requirit stellæ constitutio; nec tantæ est raritatis, vt illam penetrare possint radij solaris: mediocris est densitas, quæ sufficit ad retensionem radiorum solarium, ex qua retensione prouenit fulgor, & candor ille, qui Via lactea appellatur.

De his omnibus, quæ communia sunt omnibus Planetis.

QVæ de Planetis sciri, & dici possunt, in duplici sunt differentia: nam quædam sunt omnibus Planetis communia; quædam autem singulis, aut quibusdam ita peculiaria, & propria, vt alijs conuenire non possint. Nos, quæ communia sunt, primò explicabimus loco, in sequentibus quæ propria sunt, explicaturi.

DO-

DOCVMENTVM I.

Quilibet Planeta suum habet cœlum ex pluribus orbibus compactum, quorum alij concentrici, alij exentrici sunt, & in illis duo sunt puncta, quorum vnum appellatur Aux, aliud verò oppositum Augis.

IN hoc Planetæ differunt à stellis fixis, quod firmamentum, in quo fixæ sunt stellæ, vnicum est cœlum, sicut primum mobile vnicum est, & cristallinum aliud vnicum; cœlum verò cuiuscumque Planetæ non sit tali vnitate vnum, nam constat ex pluribus cœlis, qui orbes appellantur, & insimul coniuncti faciunt vnum cœlum vnitatè aggregationis. Est & alia differentia, quia primum mobile, Cristallinum, & firmamentum tres sunt cœli mundo omni ex parte concentrici, tam secundum partem conuexam, quam secundum partem concauam, nec maior crassitudo vnius partis, quam alterius; cœlum autem cuiuslibet Planetæ habet suos orbes, quosdam concentricos mundo, alios exentricos; ita vt oporteat eos ex vna parte habere maiorem spissitudinem, ex alia verò parte minorem. Hæc vt intelligamus; sciendum, illud cœlum dici concentricum, quod secundum partem concauam, & conuexam idem habet centrum cum mundo. Excentricum simpliciter illud cœlum est quod habet aliud centrum à mundo secundum partem concauam;& conuexam. Excentricum secundum quid illud cœlum est, quod secundum vnam quidem partem habet idem centrum cum mundo, & secundum alteram habet diuersum centrum à mundo. Excentricitates videre est in singulis Planetis; etsi nullo sensu percipiantur Planetarum cœli, sicut nec excentricitalis, coacti tamen fuere Astrologi cœlos admittere excentricos, & hanc variam spissitudinem in orbibus propter exaltationem, & depressionem Planetarum; propter velocitatem, & tarditatem in illòrum motu: sereno siquidem cœlo, & purgato aere, apparet idem Planeta aliquando maior, aliquando minor; certum autem est Planetam nec crescere, nec minui, & istud augumentum, seù decrementum tribui non posse nubibus intericctis; hinc quærenda causa est, quæ est hæc: res in distantia maiori, minores apparent, quæ

in minori distantia maiores apparent; ergo cum Planeta nobis minor videtur, magis distat à nobis, eleuaturque à terra magis, & à terra recedens, accedit proprius versus firmamentum; cum autem maior videtur, est propinquior nobis, terræ vicinior, à firmamento remotior; atque impossibile est magis, aut minus Planetam distare à terra, si sui orbes concentrici fuerint: potest autem distare à nobis plus, aut minus si orbes sui fuerint excentrici; ergo admittendi sunt cęli excentrici, mirum sanè est, Planetas, qui eodem semper motu mouentur, ita vt nullus sit Planeta cuius motus sit aliquo tempore velocior, & alio tempore tardior; tamen aliquando plures dies, aliquando pauciores in peragrandis partibus æqualibus cœli insumere, quod luce meridiana clarius in sole inspicitur; nam, cum Zodiacus in duas æquales partes diuidatur, ita vt quælibet pars sex signis complectatur, sol plures dies in peragrandis signis septemtrionalibus, quam in peragrandis signis australibus insumit; huius inæqualitatis ratio reddi non potest, quam quia cœli sunt excentrici; ex quo fit vt tam sol, quam alij Planetæ pluribus diebus vt partem spissiorem conscendant, quam vt subtiliorem, absoluant. In istis cœlis extrinsecis sunt puncta duo, quorum aliud vocatur Aux, aliud verò oppositum Augis. Pars illa cœli excentrici, ad quam, cum Planeta peruenerit, maximè à nobis distat, appellatur Aux, prima eleuatio, seù exaltatio, & elongatio: pars illa cœli; ad quam, cum Planeta peruenerit habet summam depressionem, & terræ appropinquat, appellatur, oppositum Augis, quia opponitur diametraliter alteri parti.

DOCVMENTVM II.

Sole excepto, quilibet Planeta habet in orbe deferente Epiciclum.

EX varijs orbibus ex quibus conflatur cœlum Planetæ, vnus orbis est, nempè medius, qui appellatur deferens, quia fert Planetam, illumque defert, & transfert suo motu. Ille orbis medius qui deferens nuncupatur, habet in vna parte sui globum quemdam maximæ magnitudinis, solidum, & benè compactum, immersum,

ſum, & concluſum in ſuo orbe, qui globus appellatur Epiciclus, & in eo eſt Planeta, qui Planeta eſt pars dentior ſui Epicicli, vndè colligere licèt aliud diſcrimen inter Planetas habentes Epiciclum, & ſtellas fixas, quæ nullum habent. Vndè & aliud oritur diſcrimen: nam ſtellæ fixæ ſunt partes denſiores ſui orbis; Planeta non eſt pars ſui orbis ſolidior, ſed eſt pars ſolidior ſui Epicicli. Non temerè Aſtrologi hos globos ſeù Epiciclos in Planetis admittunt, ſed vrgente veritate, quæ motu manifeſtatur, propter depreſſionem, & eleuationem Planetarum concedimus eſſe cœlos excentricos: ſed neque eleuatio, neque depreſſio ſemper æqualis eſt; immò Planeta in ſui eleuatione; & Auge exiſtens, aliquando magis eleuatur, aliquando minus, & cum idem in oppoſito Augis fuerit, ideſt in ſua depreſſione aliquando magis, aliquando minus deprimitur; huius autem inæqualitatis pars tam in exaltatione, quam in depreſſione depræhenditur, non poteſt eſſe cauſa deferentis, & aliorum orbium excentricitas; quærenda ratio eſt; quæ alia fingi non poteſt ab Epiciclo, qui qui ſolus erit huiuſmodi inæqualitatis cauſa; vt videre eſt comparatione facta ſoli cum alijs Planetis. Sol eleuatur, & deprimitur, ſicut & alij Planetæ, propterea habet ſuos orbes exentricos, ſicut & illi habent, ſed tamen eleuatio ſolis ſemper eſt eadem, habetque in Auge eamdem ſemper eleuationem, & in oppoſito Augis eamdem depreſſionem; vnde colligunt Aſtrologi ſolem non habere Eciclum: ergo Planetæ Epiclum habent cum nullam ſeruent in Auge, & oppoſito augis paritatem in exaltatione, & depreſſione.

DOCVMENTVM III.

Non eodem motu mouentur orbes ex quibus conflatur vnicum Planetæ cœlum; & vniuſcuiuſque Planetæ Epiclus diuerſo motu mouetur.

EX varijs orbibus etſi componatur vniuſcuiuſcumque Planetæ cœlum, differunt tamen in ortu: nam deferens Epiciclum, ſeù Planetam, peculiarem ſortitur motum obliquum, ſeù ab occaſu in ortum; cum tamen alij orbes, inter quos deferens continetur eodem motu mo-

moueantur cum firmamento: ũ. g. cœlum Saturni ex tribus orbibus conſtituitur, quorum deferens infra triginta annos, obliquum abſoluit motum, cum tamen duo orbes, nempè ſuperior, & inferior eumdem curſum non abſoluant, niſi triginta ſex millium annorum ſpatio. De alijs Planetis idem fit iudicium. Hoc ſolo excepto, quod eorum deferentes non tanto indigeant tempore, quanto indiget Saturnus; Epiciclus peculiarem quoque motum habet; ita vt intra concauitatem in qua continetur, moueatur circulariter, & cum Planeta ſit in Epiciclo tamquam pars illius, neceſſum eſt Planetam moueri ad motum Epicicli, ac proinde tres rationes dephenduntur in Planeta ex motu ſui Epicicli; vnus namque eſt, & idem Planeta nunc dicitur Retrogradus, poſtea ſtationarius, demum directus. Eum Epiciclus motu ſuo defert Planetam verſus terram, dicitur Planeta Retrogradus, quia ad motum ſui Epicicli mouetur, & contrario motu motui ſui orbis; Cum Epiciclus eleuat Planetam à terra, tunc appellatur Planeta ſtationarius, qui quaſi ſtare videtur. Cum Epiciclus eleuat Planetam quantum eleuare poteſt, tunc Planeta directus dicitur; tum quia firmamentum directè reſpicit; tum quia perpendiculariter, & directè ſupereminet capitibus noſtris.

DOCVMENTVM IV.

Varios habent polos Planetæ, diuerſos, & diſtinctos à polis mundi, ſeu primi mobilis: hinc varios aſpectus admittunt.

VArios eſſe polos Planetarum, ex eo ipſo colligimus, vnde concluſimus firmamenti polos non eſſe eoſdem cum polis mundi; nam ſicut firmamentum, aut ſtellæ firmamenti nunc maiorem, nunc minorem habent declinationem, & aliquando magis appropinquant polo aliquando ab eo recedunt, quod fieri non poteſt niſi conceſſa diuerſitate polorum. Idem de Planetis eſt dicendum, quia ſubeunt eamdem declinationē, & elongationem à polo, ſeù æquatore, nec non approximationem ad vtrumque. Poli Planetarum ſunt ijdem cum polis Zodiaci latitudinem. Aſpectum, ſeù radiationem Planetarum appellant

lant Astrologi situm, & positionem Planetarum, ex quo resuldat, aut impedimentum, aut adiuuamentum actionis. Quinque sunt aspectus planetarum, nempè sextilis, Tretagenus, Trigenus coniunctio, & oppositio. Sextilis aspectus, est distantia duorum signorum inter Planetas duos, vt, si sol in primo Arietis fuerit, & luna in primo Gemini, dicuntur sol, & luna habere ad se inuicem aspectum sextilem, Aspectus Tretagenus est, cum inter duos Planetas tria sunt signa, vt si sol est in primo Arietis, & luna in primo Cancri. Aspectus Trigenus est, cum inter duos Planetas est distantia quatuor signorum, vt cum sole existente in primo Arietis, luna in primo Leonis fuerit. Coniunctio est, cum in eodem gradu eiusdem signi duo Planetæ sunt, vt cum sol, & luna sub aliquo gradu coniunguntur, vt fit singulis mensibus paulò ante nouilunium. Oppositio est, cum inter duos Planetas est distantia sex signorum, cum sole existente in primo Arietis, Luna in primo Libræ fuerit.

DOCVMENTVM V.

Si cum sole comparentur alij Planetæ, nouas subeunt rationes, nouaque acquirunt nomina.

Dicuntur enim Orientales, occidentales, combusti, compressi, aucti, diminuti. Planeta, illo dicitur orientalis, qui cum sole oritur, & quia sol manè oritur, Planeta matutinus dicitur. Planeta, qui occidente sole occidit, dicitur occidentalis, seu vespertinus. Quamdiù Planeta est cum sole dicitur combustis, quia eius lux quasi comburitur, & deuoratur à lumine solis. Quamdiu Planeta non distat à sole nisi duodecim gradibus aut circa, appellatur oppressus, quia quamuis lumen solis, lumen Planetæ non abserbeat omninò, tamen opprimit, & minuit. Quando Planeta est in Auge, & in summa sua exaltatione dicitur diminutus, quia minor nobis apparet; cum autem est in opposito Augis dicitur auctus, quia maior nobis apparet.

De tribus planetis superioribus, & Venere.

MVlta sunt in quibus hi Planetæ conueniunt, pauca in quibus differunt, propterea insimul expediri, & explicari debent. Alij Planetæ explicabuntur seorsim, & diuisim, cum dubia maiores habent difficultates, & magis tam à se ipsis, quam ab istis differunt.

DOCVMENTVM I.

Quilibet horum quatuor Planetarum habet suum cœlum ex tribus orbibus compactum, & in orbe medio est Epiciclus cum Planeta.

IN hoc conueniunt quatuor Planetæ, vt quilibet eorum habeat cœlum concentricum mundo dubia, superficies concaua cœli inferioris, & superficies conuexa orbis superioris est concentrica mundo, ita tamen vt si orbes, ex quibus componitur cœlum, considerentur quatenus orbes sunt, re vera sint excentrici mundo; nam tam superior orbis, quam inferior est excentricus secundum quid, orbis nempè superiore secundum cõcauam superficiem, & orbis inferior secundum connexam; orbis verò medius est excentricus simpliciter, secundum vtramque videlicet superficiem.

DOCVMENTVM II.

Differunt maximè in motu hi quatuor Planetæ, si tarditatem, & velocitatem spectes.

SAturnus suum absoluit cursum triginta annis, aut viginti nouem; Iupiter duodecim annis; Mars duobus; Venus vno solari. In hoc à reliquis Planetis Venus differt, quod alij Planetæ (Mercurium si excipias) elongantur à sole sæpè numero, quantum elongari possunt; at verò Venus ita est amica solis, vt ab illo recedere non possit per duo integra signa; eiusque maior elongatio à sole, non est nisi quadraginta septem graduum; hinc paulò ante ortũ solis videtur, & paulò post illius occasum.

De

De Sole.

EA est solis dignitas, & pręstantia, vt qui de Deo loquuntur nihil in tota natura reperiant, quod magis præseferat diuinæ naturæ excellentiam, quam sol. quem vnanimi consensu Philosophi appellant secundarum causarum primam, vt Deo sublato, & inter causas nō adnumerato, sol diceretur prima causa. Hinc fit vt plura de eo dicenda sint, quæ documento vnico explicari non possunt. In hoc naturam eiusque varios effectus explicamus, qui ad Astrologiam spectant.

DOCVMENTVM I.

Sol est sidus, & parte cæli constans, & luce.

IN hoc conuenit sol cum stellis firmamenti, vt quemadmodum illæ sunt partes sui cœli, quod materia, & forma substantiali constans est stella materia, habensque lucem pro forma: ita solis materia est pars sui cœli, seu orbis, in quo differt ab alijs Planetis, qui non sunt partes sui orbis, sed partes sui Epicicli, quo Epiciclo sol caret. Forma, seu formalis ratio solis est lux, non quidem aliunde manens, sed congregata cum sole, nec enim emendicat sol lucem suam, vt faciunt stellæ, & Planetæ. Lux autem hæc, substantia esse non potest, aut completa, & per se subsistens, aut incompleta, & cum alio faciens compositum physicum. sed est accidens, tum quia sensibilis est, quod solius est accidentis, tum quia in multis entibus physicis accidens est; quod autem vni accidit, & in vno accidens est, vbicumque fuerit accidens erit. Lux accidens est de prædicamento qualitatis, estque passibilis qualitas. Esse qualitatem constat, quia intensionem, & remissionem suscipit, & per eam corpora lucida dicuntur similia, quæ duo soli competunt qualitati.

DOCVMENTVM II.

Lumen est qualitas, & species intentionalis emissa a luce.

NOn est substantia, aut quantitas. Certum est rem quamlibet positiuam producere imaginem, & speciem sui, per quam sentiatur, si sensibilis est, intelligatur, si intelligibi-

ligibilis est : non est lux deterioris conditionis, cum sit qualitas, & vna ex nobilissimis, propterea diffundit imaginem, & speciem sui, quæ lumen appellatur, estque ens positiuum, & intentionale. Positiuum, quatenus ens reale est, intentionale, quatenus est ratio, qua facultas visiua tendit in rem visibilem, ipsamque lucem: habet propterea suum esse in fieri, & in perpetuo fluxu, ita vt non sit de numero rerum permanentium, & sed est sicut tempus, cuius partes priores pereunt, posterio sque consequuntur. Est instar aquæ fluminis, atque fontis, quæ est in perpetuo fluxu, & instar flammæ, quæ flamma, cum sit aer accensus, & aer sit in perpetuo motu, perit singulis momentis, nouoque succedit. Non potest lumen esse substantia contradicentibus rationibus quas habet communes cum luce. Non potest esse corpus, siuè physicum, siuè mathematicum, quia duo corpora insimul esse non possunt, videmus tamen lumen esse cum quolibet corpore diaphano. Obijciet aliquis, lumen subire rationes rei corporæ, quia diuiditur in rectum, reflexum, & fractum. Tamen facilis est responsio: hæ enim denominationes non sunt propriæ, sed metaphoricæ, vnde & conueniunt speciebus emissis à quocumque corpore, quas tamen intentionales species, nemo vmquam dixerit corporeas.

DOCVMENTVM III.

Lumen est duplex, scilicet primarium, & secundarium, cui opponitur umbra, & tenebræ.

LVmen primarium est ipsemet radius missus à corpore luminoso, est inquam ipse fulgor, splendor, & candor absque vlla diminutione sui. Lumen secundarium est quasi primarij luminis participatio quædam, imperfecta tamen, qualem videre est extra prænominatum fulgorem, & radium. Tenebræ nihil sunt positiuum, sed simplex & pura negatio tam primarij, quam secundarij luminis, & consequenter includit retractionem, & prohibitionem luminis. Vmbra non est mura negatio, sed diminutio secundarij luminis: vel vt clarius dicam: Vmbra est diminutum lumen secundarium, & consequenter includit negationem prima-

primarij luminis. Vmbram esse aliquid positiuum, colligo ex fine, causis, & suo effectu Causæ positiuæ non producunt nisi effectus positiuos, sed vmbra habet duas causas positiuas, nempè lumen emissum à luminoso corpore, & corpus opacum interiectum; ergo vmbra erit aliquod positiuum. Effectus vmbræ positiui sunt, nam in illa colores videntur, qui sine aliquo lumine videri non possunt: ergo vmbra habet aliquid luminis.

DOCVMENTVM IV.

Vmbra est duplex, scilicet recta, & versa, & ex varietate vmbræ recta, Geographi varia imponunt hominibus nomina.

VMbram rectam appellamus eam, quæ fit à corpore in terra existente, & sursum eleuato. Vmbram versam appellamus eam. quæ fit à corpore suspenso in aere. Obseruant maximè Geographi vmbras emissas variè ab hominibus in diuersis mundi partibus existentibus. Qui habitant sub Zonis glacialibus, quia habent æquatorem pro Horizontem, sol parum eleuatur respectu illorum, & cum infra diem quę est sex mensium, circumeat totum Horizontem, necessum est hominis illos emittere vmbram in omnes Horizontis partes, vnde appellantur herotis. Qui in Zonis temperatis habitant, emittunt vmbras versus vnicum polum, septentrionales in arcticum, australes in antartichum, vnde appellantur heterotij. Qui habitant in Zona torrida, modo in vnum polum, modo in alterum vmbras emittunt, vnde appellantur amphitrij.

DOCVMENTVM V.

Sol quia est quantitate molis maior reliquis sideribus, maior quoque quantitate virtutis, cuius quasi innumerabiles sunt effectus, quos præcipuo suo colore, suaque luce efficit.

QVantum sit solare corpus non est omninò compertum, sanior tamen sententia ea est, quæ solem facit maiorem terra centies sexagesies septies, ac proindè ridenda est Heracliti sententia, qui pedalem faciebat solem, nec maiorem, quam oculi videant. Ex com-

communi sententia constat solem esse maiorem quacumque stella magnitudinis primæ, quia stellarum fixarum maxima est maior terra dumtaxat centies septies. Nomine terræ illum intelligimus globum, qui ex terra & aqua constat, facit hæc magnitudo corporea solis, vt sit ille ad plures effectus producendos efficacissimus, quos recensere, nimis prolixum foret. Cuiuscumque alterius causæ effectus esse quoque solis effectus, docet vulgaris hæc sententia: Deus, sol, & homo generant hominem; idem namque dici debet de reliquis effectibus: Deus, sol, & aquila, aquilam generant, &c. Præcipua agendi vis solis, in eius luce, & calore consistit. Lux est quidem in sole formaliter, sed calor dumtaxat virtualiter. Solem nequa. quam esse calidum formaliter noscet, quicumque nouerit caliditatem formalem vnam esse ex primis qualitatibus, quæ primis corporibus, idest elementis primo conueniunt, & alibi non reperiuntur sine compositione ex elementis: cœlum non componitur ex elementis, nec etiam sol; ergo non admittit caliditatem formalem. Docet item Aristoteles capite de oppositis, vbicumque fuerit vnum oppositorum contrariorum, ibidem aliud contrariorum esse debere. Ex quo fit, vt si calor formalis in cœlo, soleque fuerit, in eo quoque admittendum sit frigus, quo concesso, erit admittenda generatio, & corruptio in cœlis cum antecedentibus, & consequentibus rationibus, quæ omnia pugnant cum simplicitate, & æternitate cœli, solisque. Negare non possumus solem esse calidum, cum lucem habeat, quæ lux est calefactiua, sed ita tamen vt effectiuè, & virtualiter tantum intelligatur sol calidus.

De Orbibus, cœloque solis.

IAm abundè dictum est supra de Planetarum cœlis, atque orbibus, vt si ea applicantur soli, nihil addi; nos itaque sola hac applicatione contenti simus.



DO-

DOCVMENTVM PRIMVM.

Habet sol suum cælum ex tribus orbibus compositum, simile per omnia cælis, & orbibus trium Planetarum superiorum, excepto Epicicło solo, quo sol caret.

COelum solis tribus orbibus constat à se inuicem distinctis, sibique inuicem contiguis, quorum extremi, duo sunt exentrici mundo secundum quid, medius autem est exentricus simpliciter: duo extremi sunt differentes Augem solis, & oppositum Augis. Medius est deferens solare corpus. Duo extremi mouentur ad motum firmamenti, medius anno totum percurrit Zodiacum, & obliquum absoluit cursum. Ex motu deferentium Augem solis constat non in eodem signo perpetuo fore Augem, idest summam eleuationem solis; hoc namque tempore est in nouo gradu Cancri, sicut oppositum Augis, idest, summa depressio solis, est in nouo gradu Capricorni. Et si iudicium finale differatur ad Deum & octo millia annorum, erit Aux solis in Capricorno, & oppositum Augis in Cancro.

DOCVMENTVM II.

Excentricitas orbium solis causa est, vt sol plures dies in peragrandis signis septemtrionalibus, in signis australibus impendat.

RES sanè miranda, quam docet experientia: sol ab æquinoctio verno, vsque ad æquinoctium autumnale, quo tempore perlustrat signa septẽtrionalia, pluries dies, quam ab æquinoctio autumnali vsque ad æquinoctium vernum, quo tempore per lustrat signa australia, consumit: nam si numerentur à vigesima prima die Martij cũ ingreditur sol primum gradum Arietis, vsque ad vigesimam tertiam diem Septembris, qua die sol ingreditur primum gradum libræ, inueniemus centum octoginta septem dies; si verò numeremus à vigesima tertia die Septembris, vsque ad vigesimam primam Martij tantum inueniemus centum septuaginta octo dies: ex quo constat per vndecim dies tardius absolui cursus solis, per signa septemtrionalia, quam australia.

Huius retardationis quærendą causa est, quam aliam inuenire non possunt Astrologi, nisi excentricitatem orbium cœli solis, hæ enim cum sint excentrici mundo habent illam partem remotiorem à centro mundi, in qua parte remotiore, quæ est maior altera parte, sunt signą septemtrionalia, cumque peragranda maior via sit, & sol eodem semper motu moueatur, plus temporis requirit.

De Motu diurno cæli solis.

QVamuis maneret sol immobilis, non tamen minueretur eius vis, quæ motu, neque inteditur, neque remittitur, nihilominus tamen, vt in varias partes mundi diffundatur eius actio, multiplex ei assignatur motus; attameņ duo sunt præcipuè eius motus, diurnus videlicet atque annuus; de quibus eorum effectibus, deinceps agendum est. De motu diurno agamus primuņ.

DOCVMENTVM I.

Raptu primi mobili mouetur sol, non secus ac omnes alij cæli.

COelum solis, eiusque orbes ab ortu in occasum,& consequenter ab occasu in ortum, circulari mouentur motu. Sol cum sit pars sui orbis eumdem perficit cursum, cuius varij. ac multiplices sunt effectus; Inde enim oritur altitudo solis, horarum æqualium, & inæqualium dierum naturalium, atque artificialium, climatum quoque distinctio, quæ omnia sunt sigillatim discutienda.

DOCVMENTVM II.

Altitudo solis est eleuatio illius supra nostrum Horizontem.

QVamdiù sol latet sub nostro Horizonte, aliudque Emispherieum illuminat, nullam eicitur habere respectu nostri latitudinem, sed magis depressionem, quamuis re vera respectu eorum, qui in altero hemispherio habitant, suas tunc habeat lalitudinis. Illis

Illis dimiſſis, de nobis loquamur. Reſpectu noſtri dicitur ſol eleuari, & in altum conſcendere, cum ſupra noſtrum Horizontem incipit apparere; augeturque illius exaltatio, ſui eleuatio, atque altitudo, donec ad noſtrum perueniat meridianum, in quo finit altitudo ſolis, quia ex tunc incipit deſcendere. Hinc fit vt ſit altitudo ſolis triplex, ſcilicet, minima, maior, & maxima. Minima eſt ab hortu ſolis vſque ad mediam viam, qua itur ad meridianum. Maior altitudo eſt ipſa media via. Maxima, ſeu ſumma altitudo eſt meridiana, quando videlicet ſol eſt in meridie, meridianumque occupat circulum. Sciendum inſuper eſt, hanc ipſam ſummam ſolis altitudinem non ſemper eamdem eſſe cum reſpectū, qui inter tropicum Cancri, & polum habitamus, quando ſol eſt in Cancro, maximam obtinet altitudinem, quam poteſt habere ſol: cumque declinat à Cancro, & verſus capricornum tendit, quò magis recedit à Cancro, eò minorem obtinet ſummam in meridie altitudinē, & cum in capricorno fuerit; tunc ſūma eius altitudo minima inter omnes altitudines meridianas.

DOCVMENTVM III.

Horas perficit ſol motu diurno quarum aliæ æquales, aliæ inæquales.

Horas æquales appellant Aſtrologi viginti quatuor illas horas, ex quibus conſtituitur dies naturalis. Dicuntur illæ horæ æquales, quia quælibet earum eſt tempus illud, quo æquatoris gradus quindecim ſupra noſtrum aſcendunt Horizontem, quia æquator ſecundum omnes ſuas partes æqualiter aſcendit, neceſſum eſt horas illas eſſe æquales, quas æquator efficit. Inæquales horæ in duplici ſunt differentia: aliæ enim dicuntur inæquales, quia efficiuntur à motu Zodiaci, qui cum obliquus ſit, non eodem aſcendit modo ſecundum omnes ſuas partes, & quia vna pars Zodiaci tardius, alia velocius aſcendit, horæ, quæ ex hoc inæquali aſcenſu proueniunt, debent eſſe inæquales. Aliæ inæquales horæ ſunt, quas numeramus ab ortu ſolis vſque ad occaſum, diuidentes totum illud tempus in duodecim æquales partes. De

nocte idem sit iudicium, nam cum dies sint inæquales, horæ duodecim vnius diei, erunt inæquales horis alterius diei.

DOCVMENTVM IIII.

Sol motu diurno dies facit naturales, & artificiales.

Naturalem diem appellant Astrologi reuolutionem totius æquatoris, hoc est spatium viginti quatuor horarum, quia quindecim gradus æquatoris faciunt vnam horam; quod si quindecim multiplicaueris per viginti quatuor, reperies infra viginti quatuor horas reuolutionem fere trecentorum sexaginta graduum æquatoris; ex quo fit, vt dies naturalis duabus constet partibus, quarum vna retinet diei nomen, altera vero dicitur nox. Miranda est proportio inter diem naturalem & annum; siquidem annus in quatuor diuiditur partes; quarum prima est ver, & omnia virescere, & florescere incipiunt. Secunda æstas, fructuum amica, & calida valdè. Tertia est Autumnus sub obscuræ, humidæ, & parum grata. Quarta est hiems omniũ pessima, frigore, & niue plena, quam optimè pigram appellare possumus. Veri correspondet matutinus dies, ab aurora vsque paulò ante meridiem; æstati correspondet meridies vsque ad vesperam. Autumno similis est vesper vsque ad mediam noctem: Hiemem præsefert media nox vsque ad auroram. Vbique idem est dies naturalis, vbi habetur vicissitudo noctis, & diei infra viginti quatuor horas, non tamen vbique habet dies naturalis idẽ principium: Nam Babilonij, & qui insulas Maioricam, & Minoricam inhabitant principium diei primamque horam faciunt in ortu solis; Athenienses, atque Itali principium diei, & horam primam illius faciunt ab occasu solis, Iudei à media nocte; Astrologi in ipso meridie. Artificialis dies incipit in ortu solis, desinit in eiusdem occasu; appellaturque artificialis, quia prouenit ex motu Zodiaci, quia obliquo cietur motu: & obliquè est positus in cœlo, præter naturam est, atque ideo artificialis, artificialia quoque quæ ex eo proueniunt. Declimatibus nihil in præsentiarum, sed de terra agetur.

De Proprio Solis motu.

SI alijs Planetis, alijsque cœlis, varij, & multiplices concessi sunt motus ad totius Vniuersi bonum, & præter communes motus, cuilibet stellæ cœlo assignatus est proprius; cum sit sol aliorum siderum princeps, hac multiplicitate motuum priuari non debet, imò peculiarem habebit motum, quem annuum appellant Astrologi. De hoc motu, eiusque effectibus, subsequentia accipe documenta.

DOCVMENTVM I.

Proprius solis est motus, quo ab occasu in ortum vergens, & ab ortu in occasum rediens, totum percurrit Zodiacum sub Ecliptica linea semper manens: ab Aequatore versus vtrumque tropicum declinans.

SIcut alij Planetæ certo spatio temporis procurrunt Zodiacum, ita etiam sol, qui infra trecentos sexaginta quinque dies, & horas quinque, & aliquot minuta, totum perlustrat Zodiacum. Hunc versum peragit sol sub Ecliptica linea, à qua numquam recedit. Numquam recedere solem sub Ecliptica linea adnotarunt Astrologi. Ex quatuor punctis cardinalibus, in quibus Zodiacus contingit, & intersecat coluros, & Aequatorem, quod fit quatuor in anno, scilicet in vtroque Aequinoctio & vtroque solstitio, in quibus diebus, & singulis annis sol depræhenditur in illo gradu Zodiaci, qui aliquem horum circulorum contigit, qui gradus est Eclipticæ lineæ, ac proindè sol non diuagatur extra hanc lineam: alij verò Planetæ, quia non in ijsdem punctis reperiuntur, singulis annis diuagantur ab Ecliptica linea. Declinatio solis est eius elongatio, sui distantia ab Aequatore, quæ maior esse non potest, quam viginti trium gradùum, aliquot minutorum: siquidem sol manens semper sub linea Ecliptica, non potest magis declinare ab æquatore, quam Ecliptica elongatur ab eodem: sed linea Ecliptica non habet maiorem distantiam, idest, declinationem ab Aequatore, quam viginti trium graduum, & aliquot minutorum: ergo idem de sole dicendum est. Notabis propterea nullam esse solis declinationem bis in anno, in vtroque scilicet Aequinoctio, à quo cum sol recedat,

cedit, etiam declinet, ita vt maxima eius declinatio contingat bis in anno, ſcilicet in vtroque ſolſtitio.

DOCVMENTVM II.

Annum facit ſol ſuo motu proprio, qui propterea debet eſſe trecentorum ſexaginta quinque dierum, & horarum quinque.

ANnum tropicum agnoſcunt Aſtrologi, ſcilicet magnum, ſolarem, & lunarem. Annus magnus eſt totum illud ſpatium temporis, quod requiritur adhoc vt ſidera omnia redeant ad illud punctum in quo creata fuere, qui reditus cum fieri non poſſit, niſi poſt triginta ſex millia annorum, annus magnus eſt ſpatium triginta ſex millium annorum, quem annum, quia adnotauit Plato, poſtquam reditura omnia, ſicut antea fuerunt, videtur annus Platonicus. Annus Lunaris duplex eſt, primus idem eſt quod menſis, ſcilicet ſpatium triginta dierum, quo tempore Luna totum decurrit Zodiacum, & aliquid vltra. Secundus eſt ſpatium illud temporis, quo Luna duodecies Zodiacum decurrit, ac proindè iſte annus conſtat trecentis ſexaginta quatuor diebus. Annus ſolaris eſt reuolutio ſolis, & reditus ad idem punctum à quo receſſerat. De hoc anno vſuali eſt maxima diſceptatio, an videlicet apud omnes gentes, & ab ipſo mundi primordio, annus vſualis ſit annus ſolarls: ſiquidem notat Plinius lib. 2. naturalis hiſtoriæ cap. 37. aliquos eſſe, qui menſem pro anno habent; alios, qui annum fecerunt trium menſium. Quidquid ſit de Barbaris nationibus, nobis certum eſſe debet primos illos homines, qui à mundi primordio extiterunt, peritiſſimos in Aſtrologia fuiſſe, ac propterea non ignoraſſe verum ſolis curſum, eumque eſſe anni menſuram, ac proindè illi habuerunt ſimilem noſtro, qui conſtat trecentis ſexaginta quinque diebus; & quia curſus ſolis diebus his addit quinque horas ſingulis annis, quæ horæ ne pereant quolibet anno, quarto additur dies integra in menſe Februario, qui annus appellatur biſſextilis; quia eo anno in menſe Februario bis dicitur ſexto calendas Martij. Apud antiquiores veri Dei cultores, & ante diluuium

luuium Noeticum annum habuiſſe duodecim menſes, & quemlibet menſem habuiſſe triginta dies, aut circiter colligimus ex cap.7. & 8.Geneſeos, in quibus deſcribitur principium, duratio, & finis diluuij annotatis diebus, menſibus, & anno, ibique legimus menſem ſeptimum, menſem decimum,nec non vigeſimum ſeptimum diem menſis, ex quibus, alijſque deſcriptis colligitur æqualitas anni illius, & noſtri.

DOCVMENTVM III.

Habet annus apud diuerſos varium principium: partes habet in duplicii differentia, quarum aliæ dicuntur menſes, aliæ verò diſtincta tempora appellantur.

ASTrologi annum incipiunt vigeſima prima die Martij; alij verò menſe Septembri. Iam omnes ferè menſe Ianuario. Diuiditur aliquando annus in menſes duodecim, quaſi in partes integrantes. Eſt autem menſis duplex, ſcilicet naturalis, & ciuilis. Menſis naturalis eſt totum illud tempus, quod inperagrando integro ſigno ſol impendit, ita vt menſis naturalis principium ſit dies ille, quo ſol ingreditur ſignum, eſtque in primo ſigni gradu: finis eſt vltimus dies, quo ſol deſinit eſſe in tali ſigno: ergo principium menſis Martij naturalis erit vigeſimus primus dies Martij, & ſic de reliquis. Menſis ciuilis eſt ſpatium triginta dierum, aut triginta vnius, excepto Februario, qui eſt viginti octo dierum, & in anno biſſextili eſt dierum viginti nouem. Principium menſis ciuilis eſt ad libitum eorum, qui rebus ciuilibus præſunt. Diuiditur etiam annus in quatuor diuerſa tempora, ſcilicet Vernum, Aeſtiuum, Autumnale, Hiemale, quæ diuiſio ſumitur ex eo, quod quatuor in anno variatur temporis diſpoſitio, quæ varietas, quia incipit, & maximè depræhenditur ſole exiſtente in quatuor punctis cardinalibus,facit vt dies illi inquibus ſol eſt in huiuſmodi punctis, ſint principia harum quatuor partium anni. Ver incipit vigeſima prima die Martij, qua die ſol ingreditur Arietis ſignum, duratque tamdiù, quamdiù ſol eſt in Ariete, Tauro, & Gemini; ſcilicet à vigeſima prima die Martij, vſque ad vigeſimam ſecundam diem Iunij incluſiuè.Aeſtas

inci-

communis tamen ſententia fert rebus publicis, atque Prouincijs annum periodiacum eſſe centeſimum; Imperijs autem & Monarchijs, nec non Regnis potentiſſimis, periodiacus annus eſt quincenteſimus. Quæ diximus de annis Climmantericis, & periodiacis, intelligenda ſunt euenire plurimum, & frequenter; impediri autem ne ſemper eueniant à Diuina prouidentia.

De Mercurio Planeta.

POſtulat Planetarum ordo, vt ſicut ſub ſole Venus eſt, ita poſt ſolem Venus explicaretur; verumtamen neceſſum fuit Venerem coniungere cum Planetis ſuperioribus in eorum explicatione propter maximam huius, & illorum affinitatem. Hinc poſt ſolem, de Mercurio agemus, de quo pauca addi poſſunt, his quæ de Planetis in communi dicta ſunt. Hæc pauca documenta de Mercurio accipe.

DOCVMENTVM I.
Quinque orbibus conſtat cœlum Mercurium.

CVipiam ſanè mirum videtur, alios Planetas tribus dumtaxat conſtare orbibus, Luna excepta, quæ quatuor orbes habet, Mercurij cœlum quinque habere orbes; ſed reſpondebunt Aſtrologi neceſſariò tot eſſe admittendos orbes propter maximam irregularitatem motuum, & eorum multiplicitatem, quæ in Mercurio depræhenditur. Ex hac varietate, multiplicitate, & irregularitate motuum, tot depræhenduntur apparentiæ in Mercurio, vt illis ſatisfieri non poſſit niſi plures habeat Mercurius orbes, quam alij Planetæ. Totum cœlum Mercurij ex quinque orbibus conſtans eſt quidem concentricum mundo, quia ſuperioris orbis conuexa ſuperficies, & orbis inferioris concaua ſuperficies eſt concentrica mundo: attamen hi ipſi duo orbes ſunt excentrici ſecundum quid, & alij ſunt excentrici, aut ſecundum quid, aut ſimpliciter. Duo ſuperiores, & duo inferiores orbes ſunt differentes Augem, & oppoſitum Augis, medius autem orbis eſt deferens Epiciclum, cuius pars eſt Planeta Mercurius.

videre imaginem, quæ similis est humanæ faciei, appellatur facies Lunæ. Tertia pars propositionis rem incredibilem docet, nempè lucem esse minimam, in ea tamen sunt sententia Astrologi, vt Mercurio excepto, sit Luna minima inter omnes Planetas, cuius tam parua est quantitas, vt terra sit maior quam Luna triceties nouies. Quæret tamen aliquis, quare in sacra pagina appellatur luminare magnum, & tantæ magnitudinis nobis videatur; Respondemus Lunam esse luminare magnum, non quantitate molis, sed virtutis, ob varios, atque multiplices eius effectus, Lunam esse maximam effectiuè. Nobis magna apparet propter minimam distantiam, quæ est inter Lunam, & nos.

DOCVMENTVM II.

Cælum Lunæ quatuor orbibus constat, quorum tres interiores similes omninò sunt tribus orbibus Planetarum superiorum; quartus qui exterior est alios inuoluens est concentricus mundo secundum vtramque superficiem.

De rebus orbibus cœli Lunæ nihil habemus noui; de quarto orbe notandum est, coactos fuisse Astrologos illum admittere, vt rationem reddant ex qua fit vt Luna coniuncta soli non facit Eclipsim solis, & quare ipsa Luna Eclipsim non patiatur quotiescumque est opposita soli; huius ratio est, quia neuter horum Planetarum Eclipsim pati potest, nisi vtroque existente in Ecliptica linea, cum Luna soli, aut coniungitur, aut opponitur, non contingit autem Planetarum reperiri sub Ecliptica linea, nisi cum duo puncta quarti orbis Lunæ fuerint in Ecliptica, & in illis hi Planetæ fuerint, quæ duo puncta appellantur caput, & cauda dragonis.

DOCVMENTVM III.

Duo sunt præcipui motus Lunæ scilicet secundum longitudinem, & latitudinem Zodiaci.

Qvantum ad motum secundum longitudinem Zodiaci sciendum est Lunam circuire totum Zodiacum, & omnia percurrere signa spatio viginti septem dierum, & horarum sex vel octo. Principium istius motus sumitur ex recessu

Lunæ à sole, & desinit in coniunctione Lunæ cum Sole. Inter autem principium & finem istius motus, requiruntur dies triginta, quia Luna rediens ad gradum illum Zodiaci, in quo solem reliquerat, solem ibi non reperit, sed motu suo vltra progressus est, ac proindè requiruntur duo dies, imò etiã tres ante. quam Luna possit coniungi cum Sole. Motus hic secundum longitudinem Zodiaci est causa sine qua non illius varietatis, quam in Luna depræhendimus: experimur namque singulis mensibus lumen Lunæ augeri, & minui, non quod re vera augeatur, aut minuatur, sed quia Luna proprio lumine non lucet, & tantum suum lumen mendicat à Sole, qui Sol pro vario aspectu, quem habet ad Lunam, nunc partem vnam Lunæ illuminat, nunc alteram; ita tamen vt cum Luna globosa sit, media pars sui globi luminosa sit semper. Lis manifesta fiat, si dixerimus in coniunctione Lunæ cum Sole solam illam partem Lunæ illuminari à Sole, quæ est versus Solem: quia ad illam partem saltem radij solares perueniunt; altera verò pars Lunæ, quæ terram respicit manet opaca, lumine solis priuata. Recedens Luna à Sole post coniunctionem, & elongata à Sole, existensque in aspectu sextili, pars illa Lunæ, quæ terram respicit incipit illuminari à Sole, à quo si recesserit secundum aspectum tretagonum, magis illuminatur, & in aspectu trigono, magis luminosa apparet, donec ad oppositum veniat, tunc enim quia pars Lunæ respiciens terram, recipit radios solares ad se perpendiculariter venientes, tota luminosa apparet. Tunc incipit Luna redire ad Solem, & subire aspectus trigonum, tretagonum, sextilem, & tamdem Soli coniungitur: hinc fit, vt pedetemtim minuatur lumen Lunæ, deficiat lumen illius in parte illa, quæ terram respicit.

Quantum ad motum Lunæ secundum latitudinem Zodiaci, sciendum est Lunam hinc, & indè diuagari per latitudinem Zodiaci, quod habet commune cum alijs Planetis; ita tamen vt Luna numquam recedat à linea Ecliptica per totam latitudinem Zodiaci; non enim vltra quintum gradum latitudinis illius progreditur; ita vt summa latitudo Lunæ, sit dumtaxat quinque graduum.

DOCVMENTVM IV.

Non semper luna videtur subitò post coniunctionem cum sole.

Retardationis triplex est causa, scilicet obliquitas Zodiaci, progressio Lunæ versus partem australem, aut septemtrionalem, & Epicicli motus. Sciendum est Nouilunia aliquando fieri eo ipso die, quo coniuncta est cum Sole, aliquando retardari vsque in diem crastinum, imò & vsque ad tertium diem. Tunc eodem die cessat antiqua Luna, & noua conspicitur, videturque tam vetus, quam noua Luna, cum Luna coniungitur cum Sole, fitque Nouilunium in sex signis septemtrionalibus, & cum Luna à Sole recedens, pergit à linea Ecliptica versus partem septemtrionalem, & cum Epiciclus Lunæ mouetur, deferturque Luna versus partem septemtrionalem. Retardatur autem Nouilunium vsque ad tertium diem, si Nouilunium fit in signis australibus, & Luna à Sole recedens vergit ad partem Zodiaci australem, & motus Epicicli Lunæ deferat Lunam ad partem australem. Minus autem retardatur, fitque Nouilunium primo, aut secundo die; cum miscentur inter se causæ retardationis, & accelerationis Nouilunij.

De Eclipsi Solis & Lunæ.

Potest quodcumque sidus in cœlo superiori existens, sentire Eclipsim, eamque pati à sidere existente in cœlo inferiori. Nihilominus tamen duorum Planetarum dumtaxat, scilicet Solis, & Lunæ Eclipsim annotarunt, eiusque causam inuestigant Astrologi. Non sunt eiusdem rationis hæ duæ Eclipses: nam Lunæ Eclipsis sola vera est Eclipsis; at verò Solis Eclipsis non est nisi impropriè & abusiuè, ac æquiuocè Eclipsis, vt ex sequentibus documentis intelligatur.

DOCVMENTVM I.

Lunæ Eclipsis est priuatio luminis solaris, quo priuatur Luna ex interpositione terræ inter Solem & Lunam.

Formaliter loquendo Lunæ Eclipsis, est sola priuatio luminis illius quod recipit à Sole; cum enim Luna solius Solis luce

luce illustrata luceat, si contingat illam priuari, & carere dicta luce, tunc est in Eclipsi. Causam efficientem si quis quærat. Respondemus esse vmbram terræ, & ingressum Lunæ in huiusmodi vmbram. Hinc sciendum est terram esse opacum corpus, ac proindè sua opacitate impedit ne radij solares vltra pertingant, facitque vmbram maximam, quæ in alteram partem cœli ita protenditur, vt perueniat vsque ad cœlum Veneris; sitque figuræ piramidalis, cuius basis est in ipsa terra, acumen verò piramidis in cœlo Veneris. Est autem vmbra terræ piramidalis figuræ ex illa regula generàli, quæ docet corpus opacum minus obiectum maiori corpori luminoso facere vmbram piramidalem. Est autem Sol maior quam terra, ac proindè terra opposita Soli, vmbram mittit piramidalem. Si quando contingat Lunam subintrare vmbram terræ, tunc Eclipsim patitur Luna, prohibere vmbra terræ ne illam illuminent. Ex his collige tria requiri vt Luna eclipsetur. Primum est, vt Luna subintroeat vmbram terræ, in quam si tota ingrediatur, tota eclipsabitur; at verò si ex parte tantum vmbram ingrediatur, illa sola pars Lunæ Eclipsim patietur. Secundum est, vt Sol & Luna sint in linea Ecliptica. Tertium est, vt sint Sol, & Luna vnum in capite, aliud in cauda dragonis, quod tunc fit cum Luna est omninò & directè opposita soli, ita vt terra in medio sit; ex quo fit vt in solo plenilunio, & non tamen in omni plenilunio Ecclipsis fiat Lunæ.

DOCVMENTVM II.

Eclipsis Solis est prohibitio radiorum solarium, ne ad nos perueniant sole existente in nostro hemisphe-rio.

NOn priuatur suo lumine Sol, suaque luce in sua Eclipsi, sed cohibentur, & prohibentur radij solares, ne ad nos veniant, vndè suspicantur ignari, Solem priuatum esse suo lumine. Prohibentur radij solares ad nos venire ab opacitate, & densitate Lunæ, quæ coniuncta Soli, impedit ne vltra protendantur radij solares, & vsque ad terram veniant. Hinc fit vt Eclipsis Solis fieri non possit nisi in coniunctione Lunæ cum Sole paulò ante Nouilunium. Est altera Eclipsis Solis quæ fit, cum inte-

interiecti vapores opaci, & tenebrosi prohibent ne ad nos lumen Solis veniat, quod contigisse scriptum est tempore Caroli Magni, quo viuente, & regnante, trigesimo die post Eclipsim Lunæ, Eclipsis quoque fuit Solis, quæ per tres horas durauit. Quæ Eclipsis à Luna fieri non potuit, cum maximè distaret à Sole; facta ergo fuit ex interiectis vaporibus.

De Terra, Globo Terrestri, & Mappa Geographica.

Est terra cœli centrum, & ad terram referuntur quæ in cœlis cernuntur; ex quo fit vt in sphæra materiali non soli ponantur cælestes circuli, sed etiam in eorum medio suum terra habeat locum. Nos qui hactenus cœlum perambulauimus, cum terrestres homines simus, in terra, quæ mater nostra est, & futurum sepulchrum descendamus, & de terra agamus; non quatenus subest alteratricibus, & motricibus qualitatibus, neque quatenus vnum est ex elementis quatuor, sed quatenus cœli centrum est, illiusque ambitum, & varias sectiones, atque diuisiones explicemus, quæ tam in globo terrestri, quam in mappa Cosmographica, seù Geographica describuntur.

DOCUMENTUM I.

Terra ambitus est septem millium, & ducentarum leucarum, aut circiter.

Variæ sunt de ambitu terræ, & inter se dissentientes sententiæ, nec id mirum, cum metiri eam non possimus, nisi, aut conferendo eam cum cœlo, aut notando distantiam vnius loci terræ ab altero loco, & per inductionem colligimus quod superest, sed infida est vtraque mensurandi ratio. Prima quidem; quia terra instar puncti est si cum cœlo comparetur, & tamen in trecentos sexaginta gradus terra diuidatur, non minus quam ipsum cœlum: inter hos gradus quæ esse potest proportio, cum omnes gradus terræ non æquant millesimam partem vnius gradus cœli. Secunda verò via, nihil nobis certi pollicetur, eo quod mensuræ, quibus metiuntur homines distantiam locorum sint inter se maximè inæquales.

DO-

DOCVMENTVM II.

Prima totius terræ, & ambitus illius diuisio est in quinque Zonas.

TOrridam vnam, temperatas duas, glaciales totidem, quæ omnes habitabiles sunt, & re vera habitantur: in Zonas quinque cœlum diuiditur; quæ tamen in cœlo non sunt nisi effectiuè; sunt autem in terra formaliter, & re vera. Si cœlum neque calidum, neque frigidum formaliter esse potest, non potest diuidi in partes, quarum vna calidissima sit, aliæ frigidæ, aliæ autem tepidæ, seù temperatæ; sola terra est, quæ cum frigida sit & solo cælesti calore incalescat, has suscipit diuisiones. Estque Zona torrida & calidissima portio illa terræ, quæ respondet Aequatori secundum mediam sui partem, cuius extrema duo correspondeant duobus tropicis Zonę temperatæ. Sunt hæc duæ terræ partes, quæ correspondent spatio cælesti, quod est à tropicis vsque ad duos polares circulos; Zonæ glaciales sunt hæ duæ terræ partes, quæ correspondent spatio, quod est inter duos circulos polares, & ipsos polos. Fuit olim maxima quæstio an hæ omnes Zonæ essent habitabiles: superabat eorum sententia, qui id negabant, innitebantur enim valentissimis rationibus; Aestum esse maximum in Zona torrida, & frigus esse intensissimum in vtriusque Zonis glacialibus optimè probabant, vndè colligebant tantam esse intemperiem in illis partibus, vt eam homines ferre non possent, sed experientia, quæ est scientiæ mater falsam esse hanc sententiam docuit, & has tres Zonas habitari monstrauit. Succedit experientiæ ratio, quæ docet Zonam torridam habitabilem esse ex eo quod calor illius non sit tantus, quantus credebatur; remissum, & temperatum esse calorem Zonæ torridæ, oportet; primò propter Zodiaci obliquitatem, quæ respectu illorum, qui sub Aequatore habitant, facit maximam solis declinationem, & velocissimum transitum Solis in meridie. Secundò ex Aequinoctio perpetuo, cum enim æquales ibi sint semper noctes diebus, impedit nocturna frigiditas ne tanta sit diurna caliditas. Tertiò etiam ex rapidissimo Solis cursu, quæ rapiditas maxima

ma oritur ex maximo ambitu æquatoris, ad cuius velocissimum motum, velocissimè sol mouetur, quia non longe ab illo recedit. Quarto, ex eo quod interdiù ex diuina prouidentia spirent refrigerantes venti. Zonas glaciales habitari docet experientia, quæ addit incolas istarum partium frigidarum, solem habere artificialem, scilicet ignem, & calidissimam vestes, & exercitia corporis maxima. Has Zonas earũq; habitationes docebit Mappa Geographica, & globus cælestis, in vtrisque namque media ponitur linea, quæ est æquator, & ex vtraque illius parte in distantia viginti trium graduum ponuntur duæ lineæ, quæ præseferunt duos tropicos, & in vtraque extrema parte duæ aliæ protenduntur lineæ, quæ circulos polares repræsentant.

DOCVMENTVM III.

Terra diuiditur secunda diuisione, secundum longitudinem, & latitudinem, vt sit longitudo, quæ ab oriente sumitur distantia loci alicuius ab ortu à columnis Herculi, seù insulis fortunatis latitudo sit distantia loci à parte terræ supposito æquatori versus vtrumque polum.

Pariuntur Geographi ambitum terræ secundum longitudinem, quæ diuisio propterea ab Insulis fortunatis sumitur à columnis Herculis, quod antiqui sibi persuaderent vltra illam partem, terram non esse habitabilem. Hoc artificio notant Geographi distantiam locorum ab ortu solis, vt notent quisnam locus habeat citius orientem solem, quis verò tardius: nam locus terræ, qui habet prius orientem solem, non tantum distat ab ortu, nec habet tantam logitudinem, quantam habet alter locus, cui tardius sol oritur. Ad ignoscendum cuiusnam loci sit maior, minorue longitudo, sciendum quindecim gradus absoluere horam integram, ac proinde hæc duo loca, in quorum vno sol oritur vna hora prius, in altero verò vna hora posterius, distant inter se quindecim gradibus secundum longitudinem terræ. Hæc longitudo non describitur in Mappa Cosmographica, nec in globo terrestre; tamen in mappa Cosmographica ponuntur gradus longitudinis à latere, & contra mappam. Latitudo terræ sumitur à linea

æquinoctiali versus vtrumque polum. Idem est lătitudo Ciuitatis, quod poli eleuatio, ita vt, sit tanta ciuitatis latitudo, quanta sit poli eleuatio. Describuntur gradus latitudinis in mappa Cosmographica, in linea transuersali, quæ intersecat æquoatorem, & protenditur vsque ad vtrumque polum.

DOCVMENTVM IV.

Terra diuiditur tertia diuisione per paralellos, & climata.

NOtarunt Cosmographi diuersas partes mundi habere dies longiores, aut breuiores; hinc annotarunt quot horarum esset logissimus dies, qui est vigesimus quintus Iunij, & vbi repererant hunc diem longissimum esse dimidia hora longiorem, & breuiorem, ibi constituerunt terminos, quos vocant paralellos, idest æquidistantes, terram vero inclusam, & interceptam inter duos paralellos appellarunt clisma. Hi paralelli, & hæc clismata præcipuè notantur à terrestri globo, nam in mappa Cosmographica notantur in margine. De numero clismatum non consentiunt Geographi; nam antiquiores tantum decem, recentiores viginti duo, antiqui nouĕdecim assignant, vndecim ab æquatore vsque ad polum arcticum, & vndecim ab eodem æquatore vsque ad polũ antarticũ.

DOCVMENTVM V.

Vltima terræ diuisio est, in Europam, Asiam, Africam, Americam. De his quatuor terræ partibus consulendi sunt authores, qui mappas Geographicas & Topographicas vno in libro concludunt, vt fecit Tholonicus Rex Egipti, & alij plures.

Laus sit Deo optimo maximo;
Et sicut nobis concessit à Cœlis,
In terram descendere:
Ita, à terra in sublime Cælum
Iterato conscendere concedat
Amen:

POst nostrum compendiosum tractatum de cœlo, rectus expostulant, vt ad rerum materialium, & corporearum explicandam creationem, descendamus. Dux nobis erit hoc in tractatu Moyses, qui ità legit In principio creauit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua; & tenebrę erant super faciem abissi, & spiritus

ritus domini ferebatur super aquas. Quem sensum habeant hæc Moysis verba, docebunt, quę sequuntur propositiones. Illarum prima sit.

PROPOSITIO L.

Sensus verborum Moysis est, Deum creasse, & ex nihilo fecisse ante omnem diem terram coopertam aquis, & cælum tantum Empireum Angelis plenum.

FAteor hæc Moysis verba alias habere interpretationes, quæ omnes non mihi videntur coherere litteræ, sunt qui putant cœli nomine intelligendos esse Angelos, sed sine fundaméto: terræ verò nomine intelligi debere res omnes materiales, seù materiam ipsam, ex qua constant. Nescio quo fato omnes nomine terrę intelligunt materiam illam, ex qua constant omnia, nisi fortè id fecerint diui Augustini authoritate ducti, qui cœlum, terramque putat, aliud nihil esse, quam materiam, quæ dicitur à Philosophis prima, quæ & si in se nec cœlum, nec terra sit, cœlum tamen, & terra est in potentia, & in radice: cum omnes res creatæ materiales, eadem materia constent. Alij aliter sensiunt, putantque cœli, & terræ nomine intelligi debere materiam, sed non nudam, & solam, vt superiores interpetrabantur, sed habentem formam quamdam, quæ dici posset forma corporeitatis. Non est reijcienda hec sententia quod ex ea colligi videatur eamdem esse cœli, rerumque sublunarium materiam, quia probabilius est eamdem esse, quam diuersam cœli, terræque materiam. Fateor materiam creari potuisse expoliatam omni forma. Non enim est am exigua materiæ entitas, quin terminus esse possit creationis: siquidem habet creatio terminum duplicem, à quo, & ad quem. Terminus à quo est merum nihil, terminus ad quem est omne id, quod est extra nihil. Materia non est nihil: vnde diuus Augustinus ait, Deum materiam fecisse, quæ est propè nihil. Eo vsque se extendit diuina potentia, vt non solum ens, & quod est in actu, sed etiam non ens, & nihil, sint in potentia obedientiali illius, vt ex eo eliciat, & extrahat id non est nihil, aut non ens. Nemo dixerit materiam esse nihil, aut non ens, neque esse potentiam passiuam, dumtaxat obiectiuè, sed etiam subiectiuè: vndè debet habere aliquem actum; non

quidem formalem, & specificum (hunc enim accipit à forma,) sed entitatiuum. Ex quo fit, vt terminus creationis esse possit si ex parte materiæ non est implicantia, constans ex parte Dei nullam esse contradictionem, nihilque impedire quo minus creetur à Deo materia prima sine vlla forma. Si quis plura desiderat de hac re consulat Scotum in 2. dist. 12. Mens ergo Moysis est Deum in illo principio produxisse cœlum empireum, terram, & aquã; postea verò ex illa aqua facti fuerunt cœteri cœli, aer, ignis, & cœtera de quibus infra. Sunt multi Patres pro hac parte; inclinat Scotus in 2. dist. 14. quæst. 25. secundum Theologos Doctores, vbi habet hæc verba. Secundum Theologos ponenda est materia ibi, quia illud Chaos quod ponitur ab eis, attingisse vsque ad cœlum empireum, & terram, fuit materia, vndè cœtera corpora fuerunt educta; ergò à principio non omnia corpora fuerunt creata. Adde quod idem Moyses narrat secunda die Deum fecisse firmamentum, & quarta die posuisse in ipso solem, lunam, & stellas, ergo ante secundum, & quartum diem, huiusmodi cœli non erant, ergo solum empireum extabat, quod cœlos omnes nobilitate præcellit. De creatione verò Angelorum in empireo, non loquor, quia satis pro certo supponitur: eo quod Angeli, cum sint nobilissimæ creaturæ, in principio creari decens erat.

Spiritus ille, de quo dicit Moyses: spiritus Domini ferebatur super aquas, est Spiritus Sancti tertia in diuinitate persona. Eadem est in dictione hæbrea, & latina æquiuocatio: nam sicut hæc dictio, spiritus, aliquando ventum, aliquando Angelum, aliquando animam, aliquando aerem, aliquando Spiritum Sanctum significat, ita dictio hæbrea (Roac) eadem significat. Hæc æquiuocatio facit, vt in varias sentẽtias abierint Interpretes huius loci; inde putant aliqui ventum, alij aerem, alij Angelum, alij Deum, ferri super aquas: præualet tamen sententia, quæ de tertia Diuinitatis persona interpetratur. Fauent duo præcipuè huic sententiæ, quorum primum est, quod phrasis hæbraica habet verbum significans superferri; & incubare aquis, quomodo solent aues incubare auis, & pullis suis. Hac enim phrasi notat sacra pagina omnem virtutem in existentem creaturæ esse à Deo, & per oppropriationem esse à Spiritu Sancto, cui bonitas

tribuitur; hoc autem alteri non competit, quam Spiritui Sancto, nec potest nisi abusiuè tribui vẽto, aeri, aut Angelo. Secundum est quod expressit Moyses mundi creationem prout à Deo manat vno, & trino: Vndè posuit verbum singularis numeri, & dictionem Dei in plurali, hinc, ita intelligi deberet, si latina lingua pateretur. In principio creauit Dij cœlum,& terram; itaque ponitur ibi dictio Dei ad significandum Patrem. In principio notatur filius; ne ergo omittatur Spiritus Sanctus, necessum est vt spiritus Domini ille sit.

PROPOSITIO II.

Deus, non nisi per interualla, seù successionem temporis condidit cœlum empireum,& terram coopertam aquis;cunctas alias res per ter dies naturales.

NOn omnia eodem momento creata fuisse, sed pedetemtim successiuè, distinctisque diebus docet nostra propositio, comoque littera Geneseos significat, opera distinguens à duorum distinctione, in quibus separatim, & disiunctim creata sunt. Hæc est communis; cuius fundamenta sunt partim ex ipso textu, partim ex regula ab omnibus recepta,quæ monet sacrum textum ad litteram esse intelligendum, dũmodo ex eo litterarij sensu absudi sequatur nihil; hanc si aptemus regulam negotio nostro,certum est nullum sequi absurdum, vel quod Diuinæ deroget Maestati,vel cum natura creaturarum pugnat. Ex ipso textu ostendamus res omnes distinctè fuisse creatas, distinctisq; temporibus. In primis habet sacer textus Genesis primo: terra autem erat inanis,& vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi. Hæc verba iudicant per aliquod tempus terram vacuam mãsisse, scilicet herbis, arboribus, & animalibus destitutam,quia hæc non dum erãt. Addit insuper, nou dum vniuersum cœlis, atque elementis constantẽ,quæ omnia ab ipsius nomine intelliguntur sine luce esse; non dum enim lux erat, cuius creatio in illum diem dilata est, qui primus nominatur. Deinde ibidem legitur luce creata diuidisse eam Deum à tenebris,quod certè fieri non potuit, nisi de nouo producta luce, quæ primo die creata est. Sequitur diuisio aquarum ab aquis, quam diuisionem à principio non fuisse constat. Non postea dicitur apparuisse

ari-

aridam ex congregatione aquarum certo in loco, satis indicat fuisse tempus in quo non apparebat arida, nempè terra, & quod tunc operiretur aquis, & postmodum apparuisse terram collectis in vnum aquis; certum autem est, toto eo tempore, quo terra aquis operiebatur, nullam fuisse plantam, nullamque arborem in terra productam. Quod diximus de creatione aliarum; id ipsum de hominis creatione dicendum venit: nam oportuit ad hominis creationem ista successiuè fieri. Primo debuit apparere terra reiectis aquis in alium locum. Secundò formari corpus luteum, & terræ limo, ficut solent figuli. Tertio oportuit mutationem, & conuersionem fieri istius lutei corporis, & homogenei in corpus humanum, & etherogeneum, habens non solum externas, sed etiam internas ad vitam partes necessarias. Quarto animam oportuit creari, & infundi; hæc omnia indigere tempore, & successiuè fieri debere, facilè nobis persuadebimus, si subscribimus communi sententiæ affirmanti corpus humanum Angelica manu compactum fuisse. Vltima, & solidissima ratio colligitur ex sanctificatione diei septimi, in quo dicitur Deus quieuisse, cum antea per dies sex laborasset: siquidem, si omnia eodem momento creata sunt, appelletur illud momentum dies prima. cum nihil vltra Deus operatus fuerit, consequens est, vt secundus dies sit dies Sabbati, cum dies septima dicatur Sabbati dies quia vltra sextum non est operatus Deus. Totum senarium dierum numerum se laborasse, Deus non poterat clarius ostendere, quam cum præcepit nos per sex dies operari, & septimo quiescere, idque ad sui exemplum, vt videri est Exodi 20. Addimus probari non debere illam sententiã, quæ docet omnia eodem momẽto creata fuisse, quamuis eam probabilem diuus Thomas, certissimam diuus Augustinus, & Philope Iudæus putant. Author istius sententiæ, quæ docet omnia eodem momento creata fuisse, primus fuisse diuus Augustinus, qui libro primo de Genesi ad litteram interpretatur sex dierum distinctionem à Moyse notatam, non de successiua earum cognitione in Angelis: vult enim diuus Augustinus eodem momento omnia creata fuisse, sed ea ex tunc non esse Angelis cognita; sed volente Deo, & permittente; quæ dicuntur creata primo die, primo cognouerunt Angeli;

co-

cognouerunt autem ſecundo, & poſtea, quæ ſecundo die creata dicuntur. Vt iſta diſtinctio dici in mane, & veſpere impediret hanc interpretationem, reperit diuus Auguſtinus in Angelis duplicem cognitionem rerum; vnã ex rebus ipſis, quæ, quia habet aliquid obſcuri, dicitur veſpertina; alteram, quæ habetur in viſione eſſentiæ Diuinæ, quæ cognitio, quia tota lucida eſt appellatur matutina. In hoc itaque conſiſtit ſententia diui Auguſtini, vt quamuis omnia eodem momento creata fuerint, dicantur tamen à Moyſe diſtinctis diebus, & ſucceſſiuè facta, vt indicaret Moyſes, quo ordine voluerit Deus res à ſe creatàs ab Angeli intelligi. Conuenit Philo iudæus cum diuo Auguſtino in ſententia de creatione omnium in eodem momento, ſed aliam affert rationem, quare Moyſes per ſex dies illam deſcribat: ait enim Philo de allegorijs legis, id factum à Moyſi, & vniuerſi perfectionem demonſtraret, quam ſenarius numerus indicat: quæ ratio ex Arithmetica petita, & numerorum perfectione, eo vſque ſecundum aliquos extenditur, vt mundi durationem notet, quem duraturum inde colligunt per ſex annorum millia, quibus tranſactis aduenict magnus Sabbati dies, in quo cœlorum motus ceſſantur, omneſque generationes, & corruptiones; quod argumentum tamen non eſt valdè ſolidum. Aliam affert Caetanus rationem de diſtinctione ſex dierum, quamuis velit eodem die, & momento condita eſſe omnia; vt videlicet, quem ordinem inter ſe creaturæ ſeruaturæ erant, aut Deus ſeruaturus in earum creatione, ſi naturalem dependentiam ſecundum prius, & poſterius ſeruare voluiſſet; quo ſenſu Philoſophi interpretantur Ariſtotilem, qui & ſi velit mundum ab æterno fuiſſe, quo poſito ſequitur motum ſolis caruiſſe principio, & inchoatione, vt aſſignari non poſſit locus, vnde cœperit motus, tamen docet ſolis motum cœpiſſe in Oriente; ſcilicet, ſi cœpiſſet motus ſolis in Oriente cœpiſſet. Et ſi non probemus diui Auguſtini, ſuorumque ſequacium ſententiam, quia hiſtorica narratio non patitur huiuſmodi allegoriam; tamen tanti viri authoritas impedit ne damnemus hanc ſententiam.

Non ſunt leuia argumenta, quibus fulgitur diui Auguſtini ſententia de creatione omnium rerum eodem momento facta: nam Eccleſ.18. dicitur: Qui vi-

nit

uit in æte rnum creauit omnia simul; ad quæ verba alluxisse videntur Patres Romani Concilij sub Innocentio III. qui vt hominem extra de summa Trinitate, & fide Catholica, statuūt à principio temporis simul conditum esse creaturam spiritualem, & materialem. Si simul omnia creata sunt, ergò non successiuè, vt videtur dicere Moyses. Vis argumenti consistit in dictione, simul, quæ varias patitur hic interpretationes: vel enim idem est, simul, quod eodem momento, & hoc sensu nil aliud notat, simul, quam omnia fuisse creata eodem momento, non quidem in se, sed in rationibus seminalibus, sui in radice, & materialiter: nam creatio cœli, & elementorum est hoc sensu omnium rerum creatio, quatenus reliqua facta sunt ex quatuor elementis tamquam materiali causa, & cœlorum influxu tamquam causa effectrice. Vnde præcedit creatio lucis primariæ productionem: hic autem sensus non impedit successiuam rerum omnium in re, & in actu productionem. Vel, simul, significat non coexistentiam instantaneam, sed temporis breuem: quo sensu dicunt Theologi debere proferri verba Sacramentorum simul cum applicatione materiæ, & tamen certum est validum esse Sacramentum, & si aliqua morula intercesserit inter vtrumque; ita in mundi creatione, quia illa expedita fuit breuissimo tempore, dicuntur omnia facta fuisse simul. Vel hæc dictio, simul, non refertur ad omnia, sed ad verbum creauit, vt sit sensus, simul, scilicet pari, similique modo Deus creauit omnia, nempè quæ creata sunt. Hæc interpretatio nihil magis arridet: tollit enim omnem ambiguitatem. Argumentum quod desumitur ab omnipotentia Dei, nihil omninò concludit; nam, & si sua omnipotentia omnia creasse potuerit eodem momento, non tamen sequitur hoc ipsum fecisse: nam non omnia facit Deus, quæ potest, sed tantum quæ vult.

PROPOSITIO III.

Lux, quæ primo creatur die, alia non est, quam solis, sed valdè remissa, & debilis.

Loquens Moyses de opere primæ diei, ita scribit: dixitque Deus fiat lux: & facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem diem,

diem, & tenebras noctem; factumque est vespere, & mane dies vnus.

Qui lucem hanc dici primæ aliam putant fuisse à solis luce, in absurda incidunt, quæ nos retrahunt ab eorum sententia. Nam quomodo verum erit hanc lucem (vt aliqui putant) immateriale, & incorporeum quidquam fuisse, naturæque intellectualis, & tamen oculos illuminare corporeos? & si tanti ordinis hæc lux fuit, quomodo perijt, & ad tam breue tempus, nempè ad quartum vsque diem dumtaxat produci debuit, vt nox extingueretur? si lux illa (vt aliqui autumant) fuit accidens sine subiecto cur tam grande miraculum, quod soli videtur reseruato augustissimo Eucharistiæ Sacramento? Si lux illa (vt aliqui putant) fuit nebula quædam lucidissima, cuius tanta esset irradiatio, vt diem afferret; quare quarto die, aut reducta est in præiacentem materiam, aut annihilatione perijt? Si (vt alij sentiunt) illa lux supra omnes cœlos creata fuit, quomodo potuit auferri à conspectibus nostris solum cœlorum interpositione, quæ non impedit aduentum lucis illarum stellarum ad nos? Hinc cogimur aliter sentire, docereque, primo die lucem à Deo creatam, sed debilem, & tenuem satis, inhærentem corpori solis, donec adueniente quarto die, augeretur, & intenderetur lux illa ad modum, quo, iam videmus lucere solem: hæc namque sententia nihil habet absurdi, & libera est ab aliarum sententiarum angustijs. Nihil esse absurdi in eo, quod dicamus remissam esse creatam lucem, postea auctam, docet nos sacra pagina cum monet, post iudicium finale lucem lunæ augendam, ita vt sit futura similis luciditati solis, sicut solis splendor, & lux augebitur in septuplum. Secunda propositionis pars explicat quo sensu dixerit Moyses, hanc lucem fecisse diei, ac noctis distinctionem; prius tamen moneamus diem hunc, imò, & alios duos sequentes non fuisse illius splendoris, & luciditatis, cuius fuerunt subsequentes dies: nam cum causa remissior est, effectus quoque minor est. Erant itaque dies illi quantum ad splendorem & illuminationem similes auroræ, & crepusculo; imò qualis est sex mensium nox habitantibus sub vtroque polo. Duo sunt in præsentiarum in sole motus, quorum ille qui est ei naturalis denegatus fuit luci primæ diei; alter verò est à primo mobili, ap-

pellaturque diurnus: quia diem naturalem viginti quatuor horarum facit, & iste solus concessus fuit luci illi; quam rem, mihi videtur insinuasse Moyses, dum dicit: factum est vespere, & mane dies vnus: prius meminit vespertioi, quam matutini temporis, vt vespere totum tempus significat, quod est ab ortu solis vsque ad vesperam, & mane totam noctem vsque ad solis ortum. Tota doctrina est ista desumpta ex littera Scoti. Legatur in 2. dist. 13. A. & B. Legatur & etiam §. ad argumenta, vbi habet hæc verba: Scriptura dicit lucem factam fuisse prima die, non quod tunc fieret accidens sine subiecto, sed tunc fiebat corpus luminosum, cuius forma notior erat lux, & ideo describitur subiectum ignotum per terminum notiorem. Legatur in Reportatis dist. 13. ad primum vbi declarans quodnam fuerit corpus hoc luminosum prima die productum, sic ait: lux illa fit corpus luminosum denominatum à qualitate nobili in eo, & fortè fuit corpus illud, quod nunc dicitur sol, & si non fuit tunc lucens tanta luce, sicut nunc. Patet ergo mens Scoti. Minor interpetres sudare tantum vt explicent quare Moyses non dixerit dies primus, sed dies vnus; in eo namque nullum latet misterium, sed phrasis est hæbraicæ linguæ, quæ quod primũ est, solet appellare vnum; inde in Euangelio: Vna Sabbati, &c. & in actibus: cum conuenissemus vna Sabbatorum ad frangendum panem, scilicet prima die hebdomadæ.

PROPOSITIO IV.

Firmamentum quod secundo die factum fuisse dicitur, sunt omnes & soli orbes à cælo lunæ vsque ad decimam sphæram inclusiuam.

SErmonem faciens Moyses de opere secundæ diei, ita legit: dixitque quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. & fecit Dominus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque Deus firmamentum cœlum, & factum est vespere, & mane dies secundus.

Docet nostra propositio, quod Deus in hac secunda die, ne dum produxerit septem Planetas, videlicet Lunam, Mercurium, Ve-

ne-

nerem, Solem, Martem, Iouem, & Saturnum; verum etiam ipsum cœlum stellatum, seù firmamentum, & denique cœlum cristallinum glaciale, seu aqueum appellatur, & primum mobile, lauet Scotus nostræ propositioni in 2. dist. 14. quæst. 2. §. ad argumenta, vbi habet hæc verba. Ad primum dico, quod scriptura accipit firmamentum pro toto cœlo inter empireum, & elementare. Accedunt rationes pro nostra propositione. Illud debet intelligi in hac die productum, quod diuidit aquas ab aquis, & in quo fuerunt pocta astra cum sole, & luna, sed hæc omnia de hoc aggregato inter empireum, & elementare rectè verificantur: ergò, &c. Tum quia hoc aggregatum est illud, quod propriè dicitur cœlum per proprietates à cœlando: ergo, &c. Præterea probatur excludendo cœteras opiniones: etenim nequit intelligi per solam octauam sphæram, vt putabit Caterinus: quia non in octaua sphæra manent sol, & luna, nec sola octaua sphæra diuidit aquas ab aquis. Adde quod non potest intelligi per solum aerem, & quo ad partes densiores, & grassiores, vt aliqui voluerunt, quos non citò quia clarè habentur apud Recentiores, qui etiam hanc opinionem sequuntur, esto adhuc litigant an sensus sit de toto elemento aeris, vel de suprema regione, vel media, vel potius infima. Tamen quid quid sit probatur non posse subsistere: quippè textus loquitur propriè de cœlo, aer verò solum dicitur cœlum per quamdam similitudinem, videlicet propter claritatem, & altitudinem, iuxta illud volucres cœli, &c. Cataractæ cœli apertæ sunt, &c. ergo si firmamentum est re vera cœlum; per hoc nomen non potest venire aer. Adde quod luminaria fuerunt posita in firmamento cœli, non autem in aere. Tum quia non potest intelligi nomine firmamenti octaua sola sphæra cum septem Planetis tantum, vt quibusdam Scotistis placuit; vel per omnes. cœlos cum omnibus elementis iuxta sensum Beecani, & Molinæ Nam primum est directè contra Scotum, nec assignabunt Scotistæ quomodo deinde creatum fuit primum mobile cum cœlo cristallino, vt vult communis Astrologorum opinio; benè scio nonnullos Scotistas abstulisse de medio primum mobile, & cristallinum, velut cœlos superfluos.

PROPOSITIO V.

Aquæ, vniuersam terram opprimentes, collectæ sunt tertio die, & reductæ in congruum locum, vt reliqua terræ pars produceret, non actiuè, sed passiuè tantum omnes plantarum, & arborum species cum fructibus suis.

MOyses subsequens suum tractatum, de operè tertij diei ita scribit: Dixit verò Deus: congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida, & factum est ita. Et vocauit Deus aridam terram, cōgregationesque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen &c. Et factum est vespere, & mane dies tertius.

Nostram propositionē vt plenè intelligatis, scitote quod in prima mundi constitutione, suum seruabant elementa locum secūdum grauitatem, aut leuitatem, sicut credimus futurum post finale iudicium. Postulat hic ordo, vt quia aquæ leuiores terra sunt, supernatent, & totam ambiant terram, sicut suo ambitu aer, & terram, & aquam circumplectitur. Hoc posito, sub aquis tota sepulta erat terra vsque ad tertium creationis diem, in quo iubente Deo congregatæ sunt aquæ, & certum in locum reductæ, vt terra appareret, & habitationi nostræ postmodum deseruiret. Quomodo autem collectio aquarum facta fuerit, & appareat terra varij varia sentiunt; sed ille modus, quem posuimus, & sensui patet, & rationi conformis est; oculus namque noster testis est in foueis inclusas esse aquas tantæ profunditatis, vt aliquando inuenire fundum sit impossibile; ratio autem sibi persuadere non potest aliam esse viam continendi aquas, quæ nisi cohiberentur, extra suos limites exirent, & inundarent terram. Stare non potest eorum sententia, qui extra foueas in superficie terræ instar montiū putant stare aquas: nam si ita res se haberet à portu nauigantes ascenderent perpetuò, & ad portum venientes descenderent. Fluxus autem ille aquas ex altissimis montibus ad mare vsque, ascensus dici deberet, non descensus, cum tamen ali-

aliter omnes ſentiunt: nemo eſt enim qui non dicat aquas maris per ſubterranea loca, pedetemtim ad montis verticem aſcendere, verum in mare deſcendere. Minus probabiliter alij putant, condenſatas fuiſse aquas, vt minorem occuparent locum. Vndè mirum non putant tam magnam aquæ molem, tam anguſto coarctari loco per condenſationem; optima ſanè coniectura, ſi condenſatio, & rarefactio locum haberent in humidis, & fluentibus, quæ huiuſmodi proprietates ſolidis relinquunt corporibus, vſque nequaquam admittunt. Audax videbitur fortaſse quipiam hæc noſtra ſententia, & longè à vero diſtare, nam viſu cernitur rarefactio aquę dum ebullit, maiorem namque locum occupat eo quem habebat ante abullitionē, qua ebullitione ceſsante condenſari aquam neceſse eſt, cum minorem occupet locum; & hæc condēſatio clarè cernitur in glacie huiuſmodi obiectiones veritatem noſtræ ſententiæ nequaquam minuunt: ſiquidem in ebullitione non rarefit aqua, eleuatur enim, vt intumeſcat, & quaſi in aere ſuſpenditur vi caloris ignei, & locus, qui ab aqua deſeritur, vento, fumo, aere repletur. Non condenſatur aqua ceſſante ebullitione, ſed remoto prohibente ſuum repetit locum. Aquæ tantam eſſe ſoliditatem vt condenſari non poſſit colligimus ex duobus. Primo ex eo quod omnes res ſolidæ, quæ ſunt condenſationis capaces, preſſæ, & compreſſæ minorem occupant locum: at verò aquæ nequaquam comprimi poſſunt, vt teſtis experientia eſt; nam ſi vas aliquod repleatur aqua, nulla adhiberi poteſt compreſſio, qua detur acceſſus vnicæ tantum guttæ. Secundo ex illis metamathicis inſtrumentis, quibus attrahitur aqua, cogiturque perpetuò fluere, ne detur vacuum in rerum natura, prohibente ſoliditate aquæ ne aer ſubintrare poſſit. Si condenſari aqua non poteſt, niſi in alienam vertatur naturam, nempè ſolidi corporis, vt videre eſt in glacie; conſtat aquas, quæ terram operiebant, nequaquam per condenſationem in certum locum eſſe congregatus. Non eſt mentitus Moyſes cum dicit, iuſſu Domini omnes aquas congregatas in vnum, & ſi varia ſint maria, varia flumina, & aquæ ſubterraneæ; ſiquidem, eodem modo illæ aquæ ſunt in vno loco, ſicut Hierographi dicunt vnicum eſſe ex omnibus aquis mare, quod varia tamen ſortitur nomina

na

na ex varijs locis in quibus est. Vnicum est mare propter continuationem vnius partis cum altera;eo modo quo corpus humanum dicitur vnum, quia nulla est illius pars, quantumuis disiuncta, & disparata, quæ non cohereat cum aliqua parte, & per illam cum toto corpore.

Congregatis aquis in vnum, visibilis facta est terra,& ab aquę sepultura libera, eiq; dicit Moyses,tunc impositum est terræ nomen;ait enim apparuisse aridam, & appellatam esse terram. Verba ista Moysis ex eo obscura sunt, quod ab ipso principio mūdi creasse terram: ergo ex tunc terra dicebatur, & antequam visibilis appareret, & ante tertium diem. Nulla erit in dictis Mosaycis repugnantia, si dixerimus, terram à principio suæ formationis appellatam aridam, & tertia die acquisiuisse nouum terræ nomen; dici tamen à principio terram, non quod tunc tale ei nomē esset, sed per anticipationem, quomodo multi putant appellationem, & distinctionem animalium mundorum, & immundorum ante legem Moysis non fuisse, scilicet per bis mille annos,& plus à mundi creatione, tamen per anticipationem diluuij tempore, scilicet dum describitur diluuium,quædam animalia appellantur munda, alia vero immunda. Mox, vt apparuit terra ne otiosa maneret, herbas, arboresque produxit; hoc quidem dixit sacer textus, sed non explicat vtrum in huiusmodi productione terra fuerit actiua, vel passiua; tollitur tamen dubitatio si dixerimus eodem pacto se habuisse terram sicut ex tunc se habet in continuata productione earumdem rerum: non enim apparet vllæ disparitatis ratiò, ex tunc autem, dumtaxat passiua est terra, materiam subministrans productionis, & augumenti, nullaque est in vtroque eius actio; ergo similiter à principio fuit,& in hac primeua productione supplebat Deus deficientis causæ efficientis secundariæ. Patet; quia breuissimo temporis spatio non solum arbores cum folijs, & floribus, sed etiam cum fructibus apparuerunt: sed huiusmodi accelerationem exposcebat diuina prouidentia, nam parari debebat cibus animalibus infra paucos dies producendis. Hæc præmatura fructuum productio suasit quibusdam Autumni tempore mundum fuisse creatum, vel in æstate; præualuit tamen communis sententia de mundi creatione in vere, seù in solstitio vernali,

quod

quod tempus destinatum à Deo fuit generationi, & productioni, vt hoc ipso tempore putant omnia fuisse producta.

PROPOSITIO VI.

Non solum sol, sed etiam luna, reliquaque sidera dicuntur facta quarto die.

PRosequitur Moyses. Dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna. Luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus vt præesset nocti, & stellis. Et posuit ex infirmamento cœli &c. Et factum est vespere, mane dies quartus.

Iure merito, astra & si præstantiora Planetis, existimantur in hac quarta die producta, ne occasionem præbeant hominibus, dicendi astra esse primam caussam lucis, & Planetarum, & inde mouerentur homines idolatrandi. Hinc Deuthoronomij 4. Moyses alloquens hæbreis, ita dicit: ne fortè eleuatis oculis ad cœlum videns solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ei.

Dicuntur ergo non solum sol, sed etiam luna, reliquaque sidera quartò die facta. Monemus tamẽ non secundum omnes partes suas integrales, & essentiales, sed secundum aliquas, & accidentia quædam, pręcipuè motus, & lucis influentis diuersimodè. Si verum est quod diximus, solem non aliud esse quam lucem primariam cum augumento, non fuit sol de nouo productus quarto die, sed tunc solum accepit lucis incrementum, motum insuper sui orbis, & sibi peculiarem, quem trecentis sexaginta quinque diebus absoluit: nec non propriæ lucis, proprijque luminis ad diuersas partes translationem cum peculiari influxu. Vndè oritur effectuum varietas pro varietate aspectus solis, oritur etiam temporum distinctio. De luna, alijsque sideribus maior est difficultas; qua in lite illis subscribo, qui volunt nullas omninò fuisse stellas ante quartum diem, nisi solummodo secundum partem materialem. Siquidem stella, aut Planeta duabus constat partibus, scilicet materiali, quæ aliud nihil est quam pars densior sui orbis; altera verò formali, scilicet luce participata solis.

lis: habuit *sanè* cœlum à principio partes densiores; nam condensatio est cœli inimica, sicut & rarefactio, & illas respuit cœlum; itaque tales sunt partes cœli secundum raritatem, & densitatem, quales fuerunt à principio. Tunc autem quartum diem caruisse luce, quæ est pars formalis stellæ; inde colligimus quod partes stellæ densiores non luceant, nisi tunc cum luminare aliquod ab illis distans, in illas transfundit lumen, quod repressum, & receptum stellam format. Lux die primo facta, propter debilitatem suam transfundere, & transmittere radios suos non potuit in tantam distantiam, quantum deprehendunt Astrologi à media aeris regione, in qua putant formatam esse lucem: vel certè à sole ipso vsque ad firmamentum, & stelliferum cœlum. Quarto autem die auctus est sol in lumine, tuncque suos potuit vibrare radios vsque ad stelliferum cœlum, & in illo stellas formare, sicut & in alijs cœlis Planetas. Ridiculi sunt iudiciarij Astrologi, qui putant suæ diuinationis firmissimum fundamentum; quod dicitur, luminaria cœli data esse in signa, siquidem significatio cœlestium luminum restringi ad diuina attributa, quæ in illis maximè significantur, & ad temporum varietatem, cuius efficacia signa sunt stellæ, reliquaque cœlestia lumina. Moysem in tota narratione Geneseos mundi se accomodasse iudicio sensuum, & vulgi, præcipuè colligitur, cum appellat solem, & lunam luminaria magna: siquidem Astrologia ineuitabili demonstratione ostendit lunam esse vnam ex minimis stellis, solem verò non esse ex maximis; sed hæc duo luminaria dicuntur magna, non habita ratione comparatione eorum cum alijs, sed respectu visus nostri propter suam propinquitatem: quæ enim viciniora sunt, maiora apparent. Notabis insuper hic appellari firmamentum cœli, nō solum stelliferum cœlum, cum in eo nec sol, nec luna, sed etiam inferiores cœlos, quia sunt ei propinqui; vnde mirum non est si aer quoque dicatur firmamentum.



PRO-

PROPOSITIO VII.

Ex aquis in vnum collectis, tamquam ex parte materiali, quinto die produxit Deus reptilia, volatilia, atq; pisces. Ita consequenter suam prosequitur historiã Moyses.

QVod pisces ex aqua in aqua producti sint, non est mirabile dictum; vnum tamen est, quod incredibile facit: nam si mixtum sequitur temperamentum prædominantis elementi, præcipuè tunc cum ex eodem nutritur elemento; & aqua fluida est; quomodo ex aqua fluida, solidi pisces sunt, & in aqua degentes non diffluuntur? Facilis est responsio. Vel enim tota ratio facti, vel facientis voluntas omnipotens, qua res sic perseuerant, quales à principio factæ sunt; vel non ex aqua pura, & limpida, sed lutosa, crassa, & spissa, qualis esse solet aqua maris, pisces facti sunt: vndè retinent soliditatem, non aquæ, sed terræ mixtæ. Humanam superat credulitatem, quod dicatur etiã aues, atque reptilia ex aqua traxisse originem; vnde aliqui putant non ex aqua, sed aliundè formationem primam habuisse; suamque coniecturam probant ex eo, quod hæbrea Biblia (auiũ, & reptilium) ad aquas non referent. Nos tamen communi hæremus sententiæ, tum quia versio latina reijci non potest; tum quia huiusmodi primariç originis exẽpla quædam nobis reliquit Deus, cum plures auium, & reptilium species in aqua, & ex aqua nascantur.

PROPOSITIO VIII.

Et terra facta fuisse sexto die animalia, quæ in superficie terræ viuunt, atque in eius visceribus, nec non formatum fuisse hominis corpus, cui Deus indidit animam rationalem, docet abundè Moyses.

ANimalia quædam, & si in terræ visceribus generentur, in eiusque nutriantur: tamen non ita abhorrent terræ superficiem, quin in illa aliquando delicientur, alia tamen in terræ superficie sunt, vtrorumque generatio ex terra est tamquam à materiali causa; nam efficiens Deus fuit. Certè in animalium perfectorum productione mirabilis apparuit Deus; quia illa fuit mo-

mentanea, & instantanea. Qualia fuerint alia in prima productione non facilè est diuinare: duo enim occurrunt dubia, quorum primũ est de quantitate, aliud verò de numero. De quantitate dubitatur: hæc minutula producta fuerint, qualia videlicet nunc generatione vniuoca nascuntur, an verò tantæ molis tunc fuerint, quęsitæ esse debent cum ad generationem apta sunt. Primum dici non potest: nam catuli producti fuissent cæci, & lacte egentes, quod ridiculum est putare; cumque Dei perfecta sunt opera, necessum est in perfecta corporis quantitate, & in statu perfecta fuisse animalia. Quantum ad numerum animalium. Putant aliqui, duo tantum indiuidua, masculum, & fœminam in qualibet speciem Deum produxisse; sed vix stare potest huiusmodi sententia: quia quędam cernimus animalia, quibus secunda generatio denegata est; vnde affirmãt Naturalistæ, Leonem fœminam tantum semel parere, & tam marem, quam fœminam viperarum in primo partu perire. Est alia ratio; Cultorem Dei fuisse Adã, nemo est qui dubitet, eique sacrificasse, quod si verum est, & sacrificium ad multum tempus differri non potuit, necessarium est dicere, in eadem specie plura facta fuisse indiuidua. Missam facio rationem illam, quæ desumi posset ex tunicis pelliceis, quibus Adamum induit Deus post peccatum; nisi enim ad miraculosam productionem recurrere velimus, necessarium est concedere huiusmodi tunicas ex cuiuspiam animalis mortui pelle factas fuisse; quod si verum est, vel omninò perijt species illa, vel plura in ea erant indiuidua. In animalium productione aduertere licet, ea sola facta fuisse, quæ nunc vniuocè generantur, non autem quæ ęquiuocè tantum generantur ex putrida materia: nam neque cimices, neque pediculos volumus esse opera manuũ Dei. Non sunt quoque à Deo facta animalia, quæ ex diuersarum specierum mixtione generantur. Vnde mulus Deum non habet authorem. Est quidem humanum corpus per se sumptum, & animam destitutum opus die sexto factum, imò totus homo secundum corpus, & animam sexto die productus est; corpus quidem ex terra tamquam materiali parte, anima verò, quæ tota immaterialis est nullum habet cum terra commercium, & vnicam agnoscit causam, nempè Deum.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Ex lata productione vtriusque creaturæ tam incorporeæ, quam corporeæ, dicitur Deus quieuisse. Hinc Moyses. Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit diei septimæ: & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit.

Dicitur Deus quieuisse die septimo, nō quidem quod ex tunc nihil agat, sed quia nihil ex tunc de nouo producit. Quies in Deo propriè non est, nam id quod quieti contrariatur, nempè motus, & labor in Deo locum non habet. Itaque quies in Deo, cessatio tantum est à noua rei alicuius productione. Nullum in Deo fuisse laborem, satis constat in productione mundi, cum solo imperio voluntatis omnia producta sint, vt audibili verbo opus non fuerit. Nam & si Moyses affirmat Deum dixisse; fiat lux, non tamen Deus loquutus est, sed dicere Dei respectu creaturę velle est efficax, vt talis creatura sit. Operatur quidem Deus in cuiusque rei quotidiana productione; cum omnem effectum attingat immediatione actionis, & virtutis, & tantum dicitur Deus quieuisse, & cessasse ab omni opere, in quantum videlicet, quid quid iam producitur, fuerit in rebus productis senario dierum numero, vel tamquam in specie, vel tamquam in simile propter identitatem specificam earum, quæ tunc facta sunt, & nunc fiunt, &c.

Iam ergo prostratis in terra genibus, manus, corda, animasque erigamus in cœlos ad Dominum, & has præces ei humillimas offeramus.

Oratio.

Iesu Rex Regum, Domine dominantium, Iudex viuorum, & mortuorum, te suppliciter exoramus, & per sacra omnia obsecramus: ne reminiscaris delicta nostra, sed miserationum tuarum, quarum non est numerus. Non secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed propter merita laborum, lachrymarum, ieiuniorum, orationum, dolorumque passionis, & mortis suæ, ac propter gloriam nominis tui propi-

tius

tius esto peccatis nostris. Et si amiserimus vnde damnare potes: tu non amisisti vnde saluare soles. Non sic attendendas scelera nostra, vt obliuiscaris bona tua. Domine Iesu esto nobis Iesus, idest Medicus, & Saluator. Libera nos de ore Leonis, ne quando rapiat, dum non sit, qui eripiat. Libera nos de morte æterna, in die illa tremenda, quando in vltimo aduentu tuo planè mirabili, atque terribili, mouendi cœli, Angeli, elementa, homines, mortui, viuentes, abyssi, demones, inferi. Placeat ergo, constituamur à dextris tuis vt audire mereamur illam dulcissimam vocem tuam: venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Quod tam feliciter contingat, quam expetimus humiliter. Amen.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc opere continentur.

A

Ooo

D

Ebrij

E

F

In-

M

Pa-

P

Z

F I N I S



